

LIBRAIRIE ANCIENNE & MODERNE
ERNEST THORIN
Gendre d'Auguste Durand
7, Rue de Médicis, 7.
A PARIS



HERMANNI BOERHAAVE,

PHIL. & MED. Doctoris; MED. BOTAN. & CHEM. in Acad. *Lugduno-Batava* Profess. Celeberrimi; ACADEM. REG. SCIENT. PARIS. & SOCIET. REG. LOND. Socii,

TRACTATUS
DE VIRIBUS
MEDICAMENTORUM.

EDITIO NOVISSSIMA.

Alterâ vice dedit, accuratiùs adhuc recensuit, novisque Annotationibus & Additamentis locupletiorem fecit

BENEDICTUS BOUDON,
DOCTOR MEDICUS.



PARISIIS,
Apud GUILLELMUM CAVELIER, Viâ Jacobæâ, prope Fontem Sancti Severini, sub signo Lilii Aurei.

M. DCC. XL.

Cum Approbatione, & Privilegio Regis.

Ἀσκεῖν περὶ τὰ Νουσήματα δύο, ὠφελέειν, ἢ μὴ βλάπτειν.

Duo in Morbis præſtanda ſunt, adjuvare, aut ſaltem *non nocere.*

Hippocr. Epidem. Lib. I. §. 2. ℣. 92.



PRÆFATIO

EDITIONIS PRÆCEDENTIS.*

NOn hîc equidem in laudes meritiſſimi Auctoris hujuſce Libri animus eſt prolixè admodùm excurrere. Nemo quippe vel primum Artis Apollineæ conſalutavit limen, ad cujus aures non pervenerit Clariſſimi

* Editionem iſtam, tredecim abhinc annis (nimirùm ann. 1727. Pariſiis, apud eundem Bibliopolam) dedi, vivente adhuc Boerhaavio. Jam verò *Præfationem*, Operi tunc temporis à me præfixam, hîc iterùm exhibere, nonnullis mutatis, conſultum duxi, annexô inſupèr ad calcem *Monitô de noviſſima hac Editione*; ſcilicet ut inde faciliùs intelligere poſſint Lectores, quid in hiſce binis Editionibus ipſe præſtiterim.

BOERHAAVE in rebus Medicis admirandæ & omnibus numeris abſolutæ peritiæ fama: teſtantur eam profectò ſatis ſuperque numeroſi, qui quotannis ad celeberrimam Academiam Lugduno-Batavam undique concurrunt, Diſcipuli, & inde reduces Præceptoris Incomparabilis nomen ubique gentium percelebrant: at verò conſummatam Præſtantiſſimi Viri ſapientiam Medicam Gnaris omnibus, quibus Docentis præcepta coràm haurire non fuit datum, notam utìque faciunt eximia, cedroque digniſſima ipſius genuina Opera; de quibus autem plura dicere ſupervacaneum eſſet, cùm omnium terantur, ac teri debeant, manibus. Hinc etiam effectum, ut quidquid ſub tanti *Artis Medicæ Antiſtitis* nomine, ſive jure, ſive injuriâ, typis evulgatur, ſtatim ab omnibus *Medicorum Filiis*, ſummo cum applauſu, & amba-

bus excipiatur ulnis. Verùm enim verò non parum herclè dolendum est! quòd Magni istius Viri *Prælectiones* aliquot, olim habitæ, & ab ejus Auditoribus calamô exceptæ, adeò perperàm, quin & propudiosum in modum, non ita pridem publici juris factæ sint; scilicet à Bibliopolis lucripetis, quibus Discipuli, ejusmodi *Manuscripta* mendis scatentia dedêre, typis mandatæ. Eâ porrò ratione lucem primâ vice (1723) aspexit, Benevole Lector, hicce, qui tibi iterùm sistitur, Liber: quum enim, aliquot retrò annis, *de Medicamentorum Viribus* in Academia Lugduno-Batava *Prælectiones* haberet Clarissimus Professor BOERHAAVE; atque hæ primùm quidem avidis auribus ab Auditoribus exciperentur, nec segniore calamô, prout quisque tumultuariâ operâ Differentis vocem erat assecutus, concrederentur chartis, mox de manu in

manum describendo irent, colligerenturque in unum; accidit ut, quatuor abhinc annis, quidam Eximii illius Viri Discipulus, quum istiusmodi *Manuscriptum* haberet, idem in hac Urbe typis excudendum Bibliopolæ tradiderit. Quod quidem Opus, etsi mendis passim refertum, atque BOERHAAVII celeberrimo nomine prorsùs indignum, avidissimè tamen à *Tyronibus Medicis* exceptum est. Quin etiam cùm hic Fœtus, utut abortivus, tanti AUCTORIS nomine insigniretur, ideò meruit ut inter cæteros optimæ notæ de *Materia Medica* Libros, nuper ipsum retulerit FRIDERICUS HOFFMANNUS, Professor Halensis famigeratissimus*. Hinc igitur, omnibus pau-

* Confer *Præfationem de Studio Medico rectè pertractando, & ejus probatissimis Auctoribus*, quam FRIDER. HOFFMANNUS præfixit novissimæ Editioni (ann. 1726) *Introductionis ad Universam*

ſò pòſt diſtractis Exemplaribus, quum elapſo anno alteram Editionem moliretur Bibliopola Pariſienſis, eamque jamjam incepturus eſſet, rogatus fui ut Operis edendi curam in me ſuſciperem. Verùm enim verò cùm non vehementer dolere non poſſem, quòd Viro de *re Medica*, ſuiſque potiſſimùm Diſcipulis tam bene merito, ut & Præceptori meo, æterno grati animi atque reverentiæ cultu proſequendo, Liber iſte proſtaret adſcriptus, non ſolùm ipſius indignus nomine, ſed & craſſiſſimis ſcatens erroribus; eapropter, hâcce mihi demandatâ Provinciâ quô par erat modô functurus, omnem requiſitam operam impendere decrevi: ita quidem, ut non modò totum hunc Tractatum, quantùm in me eſſet, *mendis* expurgarem innu-

Artem Medicam HERM. CONRINGII, pag. 13.

meris; verùm *hiulca* quòque *loca*, ubi foret necesse, supplerem, *divisiones* ineptas emendarem, omissas adderem, omniaque necessaria sedulò præstare anniterer: etiamsi profectò, ad eliminandas inde sordes, salebrasque complanandas, primâ fronte requisitus mihi videretur labor Herculis, cui soli datum est Αὐγέου βουστάσιαν ἐκκαθαίρειν. Hoc autem opus lubentiùs suscepi, quòd mihi daretur faciliùs præstandum; utpotè qui *Manuscriptum* ejusdem *Collegii* possiderem *Exemplar* multò correctius, & nonnihil auctius, quàm illud quod typis primâ vice mandatum fuit. Porrò, quum etiam averet Bibliopola, ut Liber hic auctior aliquo fœnore jam prodiret; ideò, votis ejus satisfacturus, nonnulla *de Corporum Elementis* ad initium præfanda, tum quædam *de Solidis & Fluidis nostri Corporis in genere*, nec non *de*

Vasis ejusdem in *PROLEGOMENIS* addenda, suisque inserenda locis operæ-prætium autumavi. Jam verò quandoquidem hæc ex ipsius AUCTORIS penu duntaxat, si modò fieri posset, excerpenda mihi viderentur; idcircò ea omnia ex ejus *Collegio Manuscripto de Methodo studendi Medicinæ* deprompsi: quod quidem inutile futurum tunc temporis non arbitratus sum; quum inprimis pleraque ex hocce *Collegio* desumpta, & præsenti inserta Tractatui, alibì non exstent, egregia sint admodùm, atque *Theoriæ Medicæ* plurimùm inserviant. Cæterùm, licèt intereà *Collegium* istud (sub hoc titulo, *Methodus discendi Medicinam*) anno elapso (1726) *Amstelodami* fuerit editum, operam tamen & oleum, in iis quæ ex meo deprompsi *Manuscripto*, perdidisse haudquaquàm existimo; quandoquidem hoc impressum Opus (quod ad oras hasce

nuper advectum mihi vidiſſe contigit) adeò turpiter, totque fœdatum errorum monſtris in lucem prodierit, ut ſanè cùm Editorum, tùm Bibliopolarum, iſtius farinæ Opera typis evulgantium, perfrictam frontem ſatis demirari non poſſim, ut hunc Egregium & Incomparabilem Virum tam injuſtè atque indecorè, propter vile lucellum, peſſimè multare non erubeſcant; peſſimè, inquam, quum enim Eruditi nihil pretioſius habeant & antiquius quàm ſuam famam, num quid iis moleſtius eſſe poteſt, quàm ſi incondita, mendis ſcatentia, & ex ſuis *Prælectionibus* perperàm corraſa *Manuſcripta*, ſub ipſorum nomine, ipſiſque inſciis ac invitis, furtivè in lucem edantur? Hoc igitur, utì ſummâ ſit injuriâ, ità meritò non ipſi ſolùm Auctores, quorum nomini ejuſmodi Libri adſcribuntur, id inprimis ægerrimè ferunt, ſed &

omnes Boni ſimul abominantur; nec enim leve crimen eſt, in aliorum labores ſibi arrogare divulgandi poteſtatem. Hinc ergo quid mirum? quòd, increſcente quotidie Bibliopolarum inhoneſto lucro hiantium audaciâ, in evulgandis ſub clariſſimo BOERHAAVII nomine indignis planè Operibus, de hac ſibi illata injuria, nuper in *Nuntiis publicis* identidem conqueri coactus fuerit Vir optimus & moderatiſſimus. Quin etiam hac de re multò quidem potiori jure hodie conqueſtus eſt, quàm olim JOANNES-BAPTISTA, MONTANUS *Veronenſis*, Academiæ Patavinæ celeberrimus Profeſſor; cujus *prælectas Lucubrationes* cùm ipſius evulgâſſent Diſcipuli, de hiſce ſub ſuo nomine editis Operibus verba faciens, « *hæc* (inquiebat) *Dii* » *boni! ita conſcribuntur, ut, cùm* » *mihi quandòque offeruntur, non* » *ampliùs ut mea recognoſcam, ita*

» *ſunt corrupta, contaminata, & in-* » *feliciter explicata.* * » Licèt enim hæc ſors famigeratiſſimis pleriſque Profeſſoribus & olim contigerit, & hodie ſimiliter contingat, iſtud tamen ipſos multò quidem acerbiùs afficit, quum ſua *Prælecta* adeò perperàm in lucem eduntur, ac intra quatuor annos non ita pridem evulgata fuêre tria Præclariſſimi BOERHAAVII *Collegia*; ſcilicet, (α) *de Viribus Medicamentorum*; (β) *de Chemia*; atque (γ) omnium noviſſimè, *de Methodo diſcendi Medicinam*. Ego verò longè alius fuiſſem mehercule! quàm ut hujus primi Libri ſub Colendiſſimi Præceptoris nomine typis mandandi curam ſuſcipere voluiſſem, niſi jam in lucem prodiiſſet, nec parvo Summi Viri dedecore proſtaret iſte Tractatus: quum enim alteram Edi-

* Vide *Librum* MONTANI *de Differentiis Medicamentorum*, &c.

rionem ſine mora dare decreviſſet Bibliopola, hæc profectò, niſi operam qualemcunque meam collocâſſem, eadem omninò ac prior evulgata fuiſſet. Non igitur exiſtimo, quenquam ita iniquum fore judicem, ut laborem huncce meum aut vituperet, aut vilipendat; quum inprimis palàm teſter, me iſtud Opus eâ duntaxat inductum ratione ſuſcepiſſe, ſcilicet, *ut illud celeberrimo* BOERHAAVII *nomine minùs indignum, emaculatius multò quàm anteà, Tyronibuſque ſaltem innoxium hâc vice redderetur.* At enim, utut multa cauſetur ille qui priorem Editionem hujuſce Libri dedit, dicatque præſertim ſe iſtud feciſſe, *ut ad perfectiorem ejuſdem Operis dandam Editionem excitetur Clariſſimus Auctor*, (quod quidem primâ fronte ſufficiens videri poſſet) nemo tamen inficias ibit, iniquam ædepol! ac miſeram fore Eruditorum ſortem, ſi, gra-

viſſimis implicati negotiis, quidquid abſonum inconditumque ſub eorum nomine, ab aliis editum prodiret, idem ipſi tenerentur evulgare. Hinc igitur ſiquando ejuſmodi *Prælectiones*, utilitatis publicæ gratiâ, quiſquam typis committere geſtit, hoc ſanè nunquam omninò præſtare debet, niſi ipſius Auctoris conceſſu; & quidem tunc temporis, omnem, pro virili parte, operam impendere tenetur, ut Editio caſtigata & emaculata prodeat in lucem. Sed de his hactenùs. Jam verò tempus eſt ut enarrem ordine, quid in hac Editione ipſe præſtiterim; hôc enim pactô BENEVOLUM LECTOREM certiorem utìque faciam, me nihil hîc egiſſe, quod quidem vel *neceſſarium*, vel *utile* ſaltem non fuerit.

Primò igitur. Huncce Tractatum typis nitidiſſimis excudendum curavi, nempe, cum requiſitis Characterum differentiis

Vocum & Argumentorum distinctionibus, &c. de quibus autem omnibus plura dicere necessarium non est; quandoquidem primâ fronte conferenti clarè pateat, quantùm, hoc respectu, inter priorem & hanc Editionem discrimen intersit: cùm in illa pleraque, quæ distingui debuissent, incompta, confusa, & inconcinna jaceant.

Secundò. Sermonem paulò tersiorem reddere annisus sum; & ideò Voces aliquot hinc inde deficientes inserui, aliasque mutavi, scilicet ut Sensus clarior, ac Phrases aliquantò elegantiores essent: neque tamen in hocce casu Verborum aucupio, Phrasium-ve lenocinio nimis indulsi; utpotè veritus, ne Sermonis nitori sectando tempus nimium impenderem; tùm quòque præsertim ne hunc in modum Sensus Auctoris fortè perturbaretur, vel etiam inverteretur: verùm ta-

men pendentem ſæpenumerò Senſum ſupplere coactus fui, ne LECTOREM offenderet, aut remoraretur: at verò iſtud citra neceſſitatem nuſquàm præſtiti; quin etiam hæc Additamenta, ſi alicujus eſſent momenti, intra *binos hamulos*, hunc in modum [ ], incluſa fuêre.

Tertiò. Ex *Manuſcripto* hujus Operis *Exemplari*, quod ad manus erat, non modò plurima paſſim emendavi; ſed & nonnulla addidi, quæ quidem *hamulis* eſſe diſtinguenda non arbitratus ſum; niſi ubicunque manifeſti adeſſent *hiatus*, quos egomet meo Marte ſupplere debuerim, utpotè qui, cùm in Editione priori, tùm in *Manuſcripto* meo deficerent, atque neceſſariò ſupplendi venirent; ſicut videri poteſt præcipuè *pag.* 161. 166. 209. 210. 211. 255. 282. 287. 292. 314. 321. 324. 330. 331. 332. 333. 336. 343. 351. 353. 387. 390.

390. 397. 403. 422. hujusce secundæ Editionis *, & alibi hinc inde, ubi quidem distinctio per *hamulos* modò adest, modò deficit.

Quartò. Cùm optaret Bibliola, ut hæc Editio priori fieret auctior, quin & ad certam molem excresceret; eàpropter, ad hoc exequendum, *tria* non inutilia quidem præstiti. 1°. Nonnulla ex *Manuscripto Collegio* Auctoris *de Methodo studendi Medicinæ* (sicut anteà dictum est) deprompsi; quæ verò singula suis inserui lo-

* Hæ citatæ paginæ referuntur, in hac *novissima Editione*, ad sequentes: 164. 169. 215. 216. 262. 289. 294. 300. 322. 329. 333. 339. 340. 342. 343. 346. 354. 355. 363. 366. 401. 405. 412. 418. 438. Porrò, in *præsenti Editione*, nova adhuc ejusmodi exstant, præter memorata, Additamenta in Textu, *binis hamulis* pariter distincta; scil. *pag.* 132. 133. 156. 157. 229. 241. 300. 317. 319. 347. 354. 392. 475. & aliis hinc inde locis.

cis. Sic igitur, in PROLEGOMENIS, integrum Primum Caput inde conflavi, (quod quidem etiamsi non magni fortè momenti quibusdam videri posset, illud tamen ex alio penu vel auctius, vel perfectius reddi opus esse non censui); tum hinc etiam Caput Quartum, maxima ex parte, concinnavi, additis ad finem iis quæ Tertium alterius Editionis constituebant: denique mutatô Capitis sequentis titulô (quia nempe similis jam fuerat præcedenti datus) viginti *articulos* ibidem inserui, nimirùm ab *art.* 2. ad 22. Et hæc quidem omnia intra duos *hamulos* semper apposui; ne scilicet cum reliquo Textu eadem confudisse viderer, utque Scrupulosis omnibus hôc pactô satisfacere possem. 2°. AUCTORUM in Textu citatorum Loca, sive Collationes, minori charactere (discriminis gratiâ) subjunxi; & quamvis hoc initiô

factum non fuerit, quoniam tunc temporis minùs otii mihi suppeteret, attamen in Tertia Parte, quæ totius Operis est præcipua, istud satis accuratè præstitum advertet BENEVOLUS LECTOR, quanquàm alicubi forsan omissum reperturus. 3°. Annotationes aliquot, & Additamenta circa res præcipuas (& hæc quidem hinc inde, prout operæ-pretium esse arbitratus sum) minori charactere similiter distincta subnexui. In quibus autem omnibus præstandis curam non mediocrem impendi, ne quis subreperet error, utque hæc Tyronibus saltem utilia quadantenùs esse possent.

Quintò. Divisiones aliquot ineptas emendavi, neglectasque adjeci. Sic enim Partem Operis Tertiam, quæ jam in PROLEGOMENIS, Cap. XIII. *de Classibus Medicamentorum*, in Classes quinque distributa fuerat, & quæ ta-

men perperàm admodùm in tres duntaxat divisa in Operis serie exstabat, (dum scilicet Prima Classis cum Secunda, & Quinta cum Quarta simul confunderentur, adeò ut istud conspicientem statim offenderet) distributione genuinâ in quinque iterùm distinxi. Prætereà, in secunda Classe ejusdem Partis, Caput *de Hydragogis*, minùs aptè itidem in quatuor divisum, ad unum reduxi. Sic etiam, in Tertia Classe, Caput *de Detergentibus*, *Emundantibus*, *& Erodentibus*, cum altero confusum, distinguendum necessariò mihi fuit. Plurimas insupèr Divisiones, Distinctionesque omissas addidi: quum enim initiô singula Capita in *articulos* divisa fuissent in Editione priori, ac istud paulò pòst omninò neglectum exstaret, quin & Argumentorum distinctioni plerùmque consultum non esset, nec unquam Formularum à reliquo

Textu discriminis haberetur ratio; hæc omnia sanè mihi fuerunt non perfunctoriè quidem interpolanda, atque supplenda.

Sextò. In Erratis tum Typographicis, tum aliis, præsertim si alicujus essent momenti, corrigendis operæ non peperci: Sphalmata quippe multa emendavi, non modò in Figurarum Mathematicarum explicationibus (ubi quidem adeò crassa occurrebant Menda, ut ea profectò vel ignarissimo Tyroni condonari non potuissent); at etiam, siquando necesse fuit, Literæ in ipsis Schematibus deficientes additæ sunt, atque superfluæ alibi deletæ. Verùm enim verò curam inprimis adhibui quàm diligentissimè, ubi corrigendi venirent errores in dosibus Medicamentorum; in quibus sanè numerosi reperiebantur, & erga Tyrones admodùm periculosi: utì quidem videre est, ex. gr., in Capite *de*

Phlegmagogis, pag. 215 prioris Editionis, ubi *Gummi-Gutta* à gran. xv. ad ſcrup. v. præſcriptum exſtat; & in Capite *de Hydragogis*, pag. 233, ubi *Mercurii Dulcis* à gran. jv. ad drachm. jj. doſis aſcendit: taceo, brevitatis gratiâ, complures alios eoſque graves hujuſcemodi errores paſſim obvios. In his autem omnibus emendandis, non modò probatiſſimorum quorumque Auctorum adminiculô, ſed inprimis Clariſſ. AUCTORIS noſtri *Materiâ Medicâ* uſus fui; quam etiam, ut & ipſius *Inſtitutiones Medicas*, ſemper debent conferre Tyrones, dum præſentis Tractatûs lectioni operam dabunt, quò meliùs nempe ſenſum aſſequantur, & errores, ſiqui præterlapſi fuerint, ipſimet corrigere valeant.

Septimò. Indicem Capitum non ſolùm auctiorem multò reddidi, adjectis ſcilicet Capitum argumentis; ſed etiam alterum Indi-

cem Rerum & Verborum locupletiſſimum ad Operis calcem adjunxi.

Octavò. Denique cùm, in hoc expurgando AUGIÆ *Stabulo*, impoſſibile ferè fuerit unâ vice omnes eliminare ſordes, idcircò *Errata* tum Typographica, tum alia quòque, ſive prætervisa, ſive commiſſa, ad finem annexui; ſcilicet ut iſtud Opus, quantùm quidem in me eſſet, utilius atque perfectius eô pactô redderem.

Et hæc ſunt, LECTOR HUMANISSIME, quæ in hac Editione fuerunt à me præſtita: in quibus verò ſi expetitum attigerim ſcopum, erit ſanè de quo non mediocri afficiar gaudio; ſin minùs, tu ipſemet reliqua ſupplere dignaberis. Porrò quidquid bonum in hujuſce Libri Textu inveneris, id omne Præclariſſimo BOERHAAVIO jurè ac meritò arrogare, ipſiuſque Tholis appendere utique non dubitabis: ve-


rùm ſi quid adhuc minùs aptè, vel etiam perperàm expoſitum ibidem offenderis, iſtud profectò non in Præſtantiſſimum AUCTOREM, ſed in Diſcipulorum deſcribentium negligentiam, ut & inſcitiam, atque cacographiam, vel in Typographorum ſphalmata, precor, refundas. Ego verò (utì jam dixi) hoc ſanè duntaxat in iſto ſuſcepto labore mihi propoſui, ut ſcilicet qualemcunque hanc Editionem clariſſimo AUCTORIS nomine minùs indignam, emaculatiorem multò, ac proinde Tyronibus non ſolùm innoxiam, ſed & priori longè utiliorem, in omnibus, pro virili parte, efficerem. At enim hoc Opus perfectum unquam, vel celeberrimo BOERHAAVII nomine dignum ſpes utìque non eſt in lucem proditurum eſſe, niſi ab ipſomet edatur AUCTORE: quod quidem ſiquando contingeret, tunc exigui & qualiſcunque hu-

jusce

juſce mei laboris jacturam non modò non ægrè, ſed & lætiſſimè profectò laturus eſſem. Verùm enimverò, quoniam Præclariſſimo Viro graviſſimis detento negotiis, otium ſuppetere non videretur, ut huncce Tractatum ab ipſo nunc temporis edendum eſſe ſpes aliqua daretur; ideò Spartam hanc lubentiùs in me ſuſcepi, atque, pro meo modulo, imparatis ac imparibus licèt viribus, adornavi. Quàm verò exoptandum eſſet, ut huncLibrum (utiliſſimum herclè futurum, ſi ipſius AUCTORIS exaratus prodiret calamô) publici juris faceret Vir maximus, ac de re Medicâ, ſuis aureis Operibus locupletatâ, optimè meritus! Quid enim Philiatris utilius nunc eſſe poſſet, quàm ut ille qui Inſtitutiones Medicas, Praximque omnium accuratiſſimè docuit hactenùs, idem etiam Vires & Uſus Medicamentorum exponeret? Donec

autem tantô beneficiô Medicos ſibi obſtringere conſultum duxerit, huncce Summi Viri Fœtum, utut abortivum, ne dedigneris, quæſo, BENEVOLE LECTOR; in eo quippe plurima non modò perquàm egregia, atque utiliſſima, ſed & alibi vix invenienda reperies: hinc etiam nullus dubito, quin fructus haud mediocres exinde percepturi ſint Medicinæ Tirones. His ergo præſertim offertur iſte Liber, utpotè ad ipſorum uſum quàm optimè redundaturus, inprimis verò ſi illum unà cum aliis, iiſque genuinis, Clariſſimi AUCTORIS Operibus aſſiduè & ſedulò contulerint.

Scribebam *Pariſiis*, 13. Januarii, M. DCC. XXVII.



EDITORIS MONITUM
DE HAC NOVISSIMA EDITIONE.

JAm elapſi ſunt anni ſeptemdecim, BENEVOLE LECTOR, poſtquàm hic Liber primâ vice *Pariſiis* editus eſt (*a*): Quâ verò ratione iſtud tunc temporis factum fuerit, in præcedente Præfatione (*b*) dixi. Deinde autem, *Hagæ-Comitum*, (licèt titulus ferat *Pariſiis*) ſecundâ vice recuſus prodiit (*c*); quæ quidem aſſimulata Editio priori omninò ſimilis eſt, neutiquàm verò auctior, & e-

(*a*) Anno 1723.
(*b*) Pag. v. & vj.
(*c*) Ann. 1726.

mendatior, quamvis titulus utrumque ſpondeat. Hanc autem vidiſſe nondùm mihi contigerat, cùm, anno ſequente 1727, novam dedi, primâ & ſecundâ longè emaculatiorem, & auctiorem; cui quòque PRÆFATIONEM, quam in Operis fronte iterùm ſiſto, tum præfixi. Adeòque Editio noviſſima, quam alterâ vice nunc præbeo, in ordine quarta eſt, niſi forsàn alibi quædam alia prodierit mihi incognita. Hiſce præmiſſis, ſupereſt ut enarrem, quid hîc denuò præſtitum à me fuerit; quod quidem paucis ſic habe.

1°. Tractatum hunc, ſemel antehàc à me ſedulò recognitum, & ab innumeris mendis expurgatum, accuratiùs adhuc in omnibus, tum quoad impreſſionem, tum quoad ſermonem, & res ipſas (quantùm quidem per otium licuit) recenſui, ac repurgavi, correctis ubique præceden-

tis Editionis Erratis, annexiſque Addendis; quin etiam allucinationes multas, eaſque interdùm graves, primâ vice prætervilſas, ſimul emendavi: quæ omnia profectò conferenti ſpontè patebunt.

2°. Additamenta quædam aliæ in Textu, iis ſcilicet locis ubi requiri viſa fuerunt, intra duos hamulos ſive cancellos, inſerui.*

3°. Annotationes præcedenti Editioni à me adjectas, minorique charactere diſtinctas, modò reformavi, modò adauxi, prout operæ pretium eſſe arbitratus ſum; imò & alias non paucas variis in locis addidi.

4°. Indicem Rerum & Verborum, in multis deficientem, non ſolùm accuratiorem, ſed hinc inde auctiorem quòque effeci.

5°. Auctorum in hoc Libro

* De his confer ſuperiùs *Notam* paginæ xvij.

citatorum Indicem adjeci novum.

6°. Capitum Indicem etiam auxi, præcipuis ſcilicet contentis multò uberiùs annexis; ita ut Operis Conſpectus, hôc pactô, meliùs exhibeatur.

7°. Quod ad ordinem hujuſce Tractatûs attinet, pauca duntaxat in eo mutata reperiuntur. Sic, ex. gr., in PART. III. CLASS. II. pag. 330. CAPUT IX. continens *Corollaria de Purgantibus per Alvum in genere*, diſtinctum eſt à CAPITE VIII. *de Melanagogis*, quocum anteà hæcce Corollaria confundebantur. Ita quòque, in CAP. XII. *de Sudoriferis*, pag. 370. *Theoremata de Sudoriferis in genere* antepoſita ſunt *Corollariis Practicis* de iiſdem. Prætereà, in IV. CLASSE, pag. 432. *Theoremata de Topicis in genere* primum CAPUT jam conſtituunt. Notandum inſupèr mihi videtur, quòd in *PROLEGOMENIS*, ad

accuratiorem ordinem, CAP. IV. & V. ante II. & III. ſatiùs collocata fuiſſent. Porrò, Citationes interdùm mutatæ ſunt, quando ſcilicet iſtud facto opus eſſe viſum eſt: Ex. gr. jam non ampliùs, in primis *PROLEGOMENORUM* Capitibus, citatur *Collegium Manuſcriptum* AUCTORIS *de Methodo ſtudendi Medicinæ*, verùm, hujus locô, *Collegii* ejuſdem *Editio Londinenſis* anni 1734; licèt tamen hanc (quæ quidem præcedente* anni 1726 non multò ſanè correctior, aut melior eſt) citare profectò me puduerit, cùm iſtud Opus Clariſſimo BOERHAAVIO planè ſit indignum: at quoniam hujuſce *Methodi* nulla potior exſtaret Editio, eandem *Manuſcripti Collegii* loco ſubſtituendam eſſe putavi. Sed cùm hæc omnia levio-

* De qua vide ſuprà, in *Præfatione*, pag. ix. & x.

ris ſint momenti, iis fuſiùs enarrandis tempus mihi terendum non eſt.

Jam verò ſupereſſet, ut de præſentis Tractatûs tàm ordine, quàm methodo, pauca hîc loci diſſererem : ſed iſtud ſupervacaneum utìque foret; cùm in *Indice Capitum* (ut ſuperiùs dixi) totius Operis Conſpectus ſimul exhibeatur.

Verùm enimverò, quanto Medicinæ bono res ceſſiſſet, ſi Clariſſimus BOERHAAVIUS ipſemet evulgâſſet huncce Librum! At, quamvis eum aliquando tandem iſtud præſtiturum eſſe ſpes quædam affulgere viſa fuerit, nulla jam ampliùs ſupereſt; cùm Eximium hoc HYGEIÆ Columen, Medicorumque Coryphæus, duobus ferè abhinc annis obierit*, maximô ſui deſi-

* *Lugduni-Batavorum*, die 23 Septembris 1738, annô ætatis ferè ſeptuageſimâ.

deriô omnibus relictô; postquàm scilicet ingenii summi, simulque studii & diligentiæ non minoris insigne diu præbuisset exemplum, ac de Humano Genere, Medicisque potissimùm, uberrimo ut & purissimo Doctrinæ fonte, aureisque Scriptis, bene mereri non desiisset Vir nulli in Arte Salutari secundus: Cujus ideò nomini nunquam intermorituro grata semper assurgere debet Medicina!

Porrò, ab AUCTORIS obitu, Editionem hanc novissimam huc usque distuli; quippe qui sperarem, eum, circa idem argumentum, in suis Manuscriptis, forsàn aliquid typis edendum reliquisse. Verùm quoniam nihil, super hac re, ab ipso exaratum in ejus Schedis inventum fuisse tandem audiverim; simulque Bibliopola, divenditis omnibus præcedentis Editionis exemplis, quæ undi-

que expetebantur, aliam ſine mora dare vellet, hujus demùm curam ſuſcipere decrevi: quamvis tamen vix fortè tale quid aggredi in animo mihi fuiſſet, niſi jam aliâ vice in idem opus incubuiſſem. Enimverò nôrunt omnes Literati, quàm tædioſum, laborioſumque ſit, imò & quovis reſpectu ingratum, iſtiuſmodi Libris operam ſuam impendere; cùm inprimis quid in iis ab Editore præſtitum fuerit, ſcire Lector ut par eſt haud poſſit, niſi ſimul conferat Editiones; quod quidem à nemine ferè fit unquam. Non igitur arbitror, quempiam ita iniquum fore judicem, ut vanæ aucupandæ glorïolæ, vel tenuis lucelli deſiderio laborem huncce meum imputaturus ſit.

Tandem aliquid monendum hîc mihi reſtat de DAVIDIS ABERCROMBYI Opuſculo, quod

ad Libri calcem, *binarum Epistolarum*, quæ antehàc aderant, loco ſubjunxit Bibliopola.

De hocce Tractatulo; duo ſequentia præſertim, in Tironum gratiam, notanda veniunt. 1°. AUCTOR univerſam doctrinam ſuam de *Saporibus* ſuperſtruit vetuſtæ hypotheſi quatuor Qualitatum primarum, à quarum diverſa combinatione, tum naturam Saporum, tum operandi rationem poſtmodùm eruit. Sic, v. gr., Acerba, &, quæ gradu ab iis differre dicit, Auſtera, & Acida, frigida pronunciat; adeòque vim adſtringendi, repellendi, æſtum compeſcendi, reliquoſque frigiditatis effectus ipſis aſſignat. E contrario Amara, & Acria pro calidis venditat, atque hinc contrarias virtutes de ipſis prædicat. Similiter porrò Dulcium, Salſorum, Pinguium, reliquorumque Sapidorum naturam exponit.

2°. Licèt *Sapor* explorandis Plantarum Viribus, ut plurimùm apprimè inſervire poſſit, iſtud tamen ab AUCTORE nimis generaliter prædicatur. Non enim Medicæ Vegetabilium, ut & Corporum quorumcunque Facultates, ex ſolo Sapore certò ac ſemper determinari poſſunt; vel additis etiam (ut fieri debet) tum Odore, tum Notis Characteriſticis ex Botanica deſumptis, imò & Tentaminibus Phyſico-Chymicis, &c. Siquidem, utut mediantibus his omnibus adminiculis, veras ac genuinas in Plantis pleriſque vires explorari poſſe negandum minimè ſit, eædem inſupèr ab Effectu, & Experientiâ, eâque ſæpe repetitâ, clariùs patefiunt. Nemo quippe Saporis, & Odoris ſubſidiô, vel etiam ope Experimentorum Phyſico-Chymicorum, &c. conjicere, vel certò cognoſcere unquam

poterit vim *Chinæ-Chinæ* febrifugam, *Ipecacuanhæ* antidyſentericam, *Jalappæ*, *Rhabarbari*, aut *Sennæ* purgantem, *Seminis Hyoſcyami* narcoticam, *Daturæ* dementiam producentem, *Gratiolæ*, *Hellebori albi*, ac præſertim *Antimonii* emeticam, *Mercurii* ſialogogam, *Cantharidum* viis urinariis infenſam, & ſic porrò. Quin potiùs ſpontè patet, Experientiæ ſuffragium omninò requiri ad ejuſmodi Medicamentorum Facultates eruendas ac ſtabiliendas. Nec etiam unum vel alterum ſufficit experimentum; ſed plura ſimul adhibenda ſunt, adeò ut tandem, iteratis aliquoties, ſine aliûs cauſæ ſuſpicione, experimentis, veri ac genuini Remediorum evincantur effectus. At profectò (quod quidem Artis Medicæ progreſſum haud parum impedit, ut appoſitè monet GEORG. BAGLI-

VIUS.*) « Multi, ob fauſtos eventus ex aliquo Remedio, vel » potiùs ob innatam quandam » proclivitatem tum laudandi, » tum fingendi ad libitum Medicamentorum Vires, ita erga » Remedium aliquod afficiuntur, ut putent illud unum, » ad curandos quoſque Morbos, » ſummam vim, ac velutì imperium obtinere. »

Jam verò de variis adminiculis, quorum ope cognoſci poſſunt Medicamentorum, præſertimque Vegetabilium, Vires, conferri merentur inprimis (præter DAV. ABERCROMBYUM, de notis ex Sapore) Auctores ſequentes: (1) De notis ex Odore, & Sapore, GEORGIUS-WOLFFGANGUS WEDELIUS, in *Amænitatibus Materiæ Medicæ*, Lib. I.

* *Prax. Medic.* Lib. I. Cap. V. §. 1. pag. m. 12.


Cap. v. & vj. Jenæ, 1704. *in*-4°. (2) De notis ex Fructificatione ſive Characteribus Botanicis, PATRICIUS BLAIR, in Opuſculo Anglico idiomate conſcripto, cui titulus eſt: *Miſcellaneous Obſervations in the Practiſe of Phyſick, Anatomy, and Surgery; with new and curious Remarcks in Botany*, &c. *Letter* iv. v. & vij. Londini, 1718, *in*-8°. (3) De notis ex Sapore, atque Odore, nec non Fructificatione, ut & Solo ſive Loco natali, FRIDERICUS HOFFMANNUS, in Exercitatione *de Methodo compendioſa vires & virtutes in medendo Plantarum indagandi*, insertâ Tomo I. ejus *Opuſculorum Phyſico-Medicorum*, Ulmæ, 1725. *in*-8°., ac Tomo V. *Operum omnium*, pag. 58. Genevæ, 1740. *in*-fol. (4) De notis ex Odore, & Sapore, ſimulque Fructificatione, JOANNES-ERNESTUS HEBENSTREIT, in Diſ-

ſertatione Inaugurali *de Senſu externo facultatum in Plantis judice*: Lipſiæ, 1730. *in*-4°. Quæ quidem Diſſertatio à celebri Botanico, CAROLO LINNÆO, in *Horto* CLIFFORTIANO, omnium maximè ſuper hac re commendatur: ſed eam vidiſſe mihi nondùm contigit, cùm ſit rariſſima; itaque, hujus loco, ſuprà dicta Clariſſimi HOFFMANNI Exercitatio ſufficere poterit. (5) De notis ex varia cum aliis corporibus combinatione per Tentamina Phyſico-Chymica, JOSEPHUS PITTON de TOURNEFORT, *Préface de l'Hiſtoire des Plantes qui naiſſent aux environs de Paris*, pag. iv. & ſeqq. Pariſiis, 1698. & 1725. *in*-12°. Cui addi poteſt JOANNES-BAPTISTA CHOMEL, *Diſcours Préliminaire de l'Hiſtoire des Plantes Uſuelles*, Tom. I. pag. xxxvj. & ſeqq. Pariſiis, 1731. *in*-12°. (6) Tandem de Notis omnibus

omnibus simul, PAULUS HERMANNUS, & JOANNES BOECLERUS, in *Proœmio Cynosuræ Materiæ Medicæ*, Tom. I. Argentorati, 1726. *in*-4°.

Scripsi *Parisiis*, 23. Julii, M. DCC. XL.





INDEX CAPITUM,

ET

PRÆCIPUORUM CONTENTORUM:

UBI SIMUL OPERIS EXHIBETUR CONSPECTUS.

PROLEGOMENA.




PARS PRIMA.

DE MEDICAMENTIS IN SOLIDA OPERANTIBUS. pag. 141



PARS SECUNDA.




PARS TERTIA.

PRIMA CLASSIS



SECUNDA CLASSIS.



TERTIA CLASSIS.



QUARTA



QUARTA CLASSIS.

DE MEDICAMENTIS TOPICIS.



QUINTA CLASSIS

MEDICAMENTORUM IN SOLIDA ET FLUIDA SIMUL OPERANTIUM. pag. 475

Finis Indicis Capitum, & præcipuorum Contentorum.

ERRATA.

PAg. 13. *lin. ult. pro* §. 69. *de Hydrostatica*, lege *de Hydrostatica*, §. 20. & seqq. pag. 132 ad 134.
P. 15. *lin.* 21. in illo, *leg.* in illud.
P. 37. *l.* 10—11. *leg.* LEEUWENHOEKIUS.
P. 50. *l. penult. pro* à §. 20 ad §. 24. *leg.* pag. 277 ad 290.
P. 55. *l. penult. post* constant, *adde* partim.
P. 121. *l.* 8. anetà, *leg.* anteà. *Ibid. l.* 24. *leg.* nauseosi. *Ibid. l.* 25 *leg.* nauseosæ.
P. 122. *l.* 15. *leg.* nonnulli.
P. 132. *l.* 17. & P. 216. l. 25. *Galactophora*, leg. *Galactopœa.*
P. 139. *l.* 12. *leg.* Stomachô.
P. 147. *l.* 7. *post* V. *adde* §. I. *Ibid. l.* 8. aliquot, *leg.* plurima.
P. 183. *l.* 7. *leg.* Medicamentorum.
P. 184 *l.* 2. Phthisis, *leg.* Phthisicis.
P. 198 *l.* 20. leg. (2) *Acida* omnia quæ.
Ibid. l. 21. *post* licèt, *adde* quædam ex iis.
Ibid. l. 22. talia verò sunt, *leg.* Ex Acidorum classe sunt.
P. 219. & *p.* 221. (*in titulo*) leg. *Galactopœis.*
P. 219. *l.* 6. *ante* Hinc, *adde* 3.
P. 255. *l.* 13. *pone* (2) *à linea.*
P. 294. *l.* 2. *leg.* Practicis.
P. 300. *l.* 19. *leg.* nauseosum.
P. 326. *l.* 12. *leg.* quæ.
P. 333. *l.* 6. sæpe, *leg.* statim.
P. 499. *l.* 18. & *p.* 504. *l.* 20. *pro* 133. *leg.* 134.
P. 507. *l.* 35. *pro* 134. *leg.* 135.
P. 515. *l.* 13. *leg.* Defectus.
P. 520. *l.* 19. *pro* 153. *leg.* 135.
P. 528. *l.* 34. & *p.* 530. *l.* 15. *pro* 135. *leg.* 136.
P. 547. *l.* 17. *pro* 134. *leg.* 133.



TRACTATUS
DE
VIRIBUS
MEDICAMENTORUM.



PROLEGOMENA.

CAPUT PRIMUM.

§. I.

[*De Elementis Corporum, seu de naturâ Solidorum in genere.*

Art. 1. ELEMENTA CORPORUM definiuntur à Philosophis, *Corpuscula simplicissima, ex quibus alia fiunt, & in quæ iterùm resolvi possunt:* atque sic per hæc intelligimus, *Corporis cujuscunque firmam originem & Stamina,*

*A

quæ suâ aggregatione corpus constituunt. (a)

2. Si cohæsio seu durities tanta sit in corpore quolibet, ut omnem cognitam vim motûs superet, tum illud vocatur *Atomus*, seu *Elementum Corporeum.* (b)

Docent Physici omne corpus esse extensum, impenetrabile, figurabile, mobile, nec non corpora omnia composita cohærere cum aliquo nixu separationi plus minus-ve se opponente, qui nixus vocatur durities: si jam illa cohæsio, ille nixus, illa Vis, quam *Attractricem* vocat Newtonus, tanta sit in illis *Staminibus* ex quibus conflantur corpora, ut nullus motus in rerum Natura sit, qui non superetur à resistentia cohæsionis horum *Staminum*; tum, inquam, illæ particulæ dicuntur *Atomi*, ex α privante, & τομὴ, sectione: hinc *Atomus* vocatur propriè pars non ampliùs secanda, seu indivisibilis. Sunt autem hæ *Atomi*, ex quibus omnia constare corpora jam olim asseruit Democritus; qui quidem satis intelligebat, nullam esse particulam in Natura, quæ non adhuc capax esset divisionis ma-

(a) Confer Boerhaave, Collegium *de Methodo discendi Artem Medicam.* Part V. Cap. I. §. 6. pag. 248. *Edit. Londin.* 1734.

(b) Idem, *ibid.* Part. I, pag. 30. Cap. III. ad pag. 45. Cap. VI.

thematicæ;

thematicæ; ſed voluit ille, quòd ſi vis uniens partes corporis major ſit, quàm ulla vis quæ huic corpori imprimi poſſit, inde ſequatur, cohæſionem hanc vel unionem inſuperabilem eſſe, utpote quæ à nulla vi deſtrui queat: hinc particulæ tali deprehenſæ nomen imponebat *Atomi.*

3. Quæritur an hujuſmodi corpuſcula in Natura dentur? Quod ut examinetur, primò attendendum eſt, licèt corpora plurima mutentur quoad formam, nulla tamen unquam mutari in ſua eſſentia; ergo ita cohærere debent illa quæ rerum eſſentiam componunt, ut nulla vis tanta ſit in Natura, quæ particulis eſſentiam corporum conſtituentibus applicata, earum cohæſionem ſuperare valeat; unde ſequitur manifeſtè, particulam hanc ſive *Atomum* nullatenùs mutari poſſe: enimverò ſi mutari inciperent & in partes dirimi corpuſcula hæc, tota rerum Natura peſſum iret, atque penitùs deſtrueretur; quippe, ſi Aqua, v. gr., partes haberet ita mutabiles, ut eſſe poſſent partes Ignis, ecquis non videt, totam rerum faciem mutatum iri, ſi hoc accideret, & omnia ab Igne abundare tum incipiente deſtruenda fore? Ergo tota Natura clamat, *principia* quibus

corpora constant, immutabilia esse: quod quidem si verum non foret, non potuissent eadem permansisse per tot sæcula; atqui in nullis rebus mutatam videmus corporum essentiam, quoniam immutabilia sunt eorum *Stamina* sive *Elementa*, ut jam diximus; non quòd mathematicè dividi non possint, hoc enim in infinitum fieri potest, sed quòd nulla vis eorum partes ab invicem separare queat; & hoc facit stabilitatem Naturæ. Illa nunc causa, quâ istud fit, est ordo Naturæ ipsius, à Deo ita constitutus ut sit eadem semper causa Cohæsionis.

4. Si *Atomus*, aut corpus ex *Atomis* constans, partes suas cohærentes ita habet unitas, ut nullum spatium vacuum intercipiatur, tunc *Atomus* illa, aut illud corpus, vocabitur *Solidum* perfectum. *Solidum* autem *est corpus*, *cujus partes ita cohærent inter se, ut unâ parte motâ, reliquæ etiam simul moveri cogantur.*

Hæc est inter Eruditos agitata quæstio, quænam idea dari debeat *Solidi?* PERIPATETICI omnes & CARTESIANI dicunt, Extensionem ideam esse *Solidi*; verùm facilè ostendi potest, hoc non ita intelligendum esse. Siquidem diximus *Atomum* constare ex partibus ita arctè inter se cohærentibus, ut separari ne-

queant; at verò *Atomus* illa non erit adhuc perfectè *ſolida*, niſi aliquid prætereà huicce definitioni adjiciatur: quippe, ſi Deus duas *ſolidas* particulas ſimul conjunxiſſet hunc in modum ⋀, hæ quidem ambæ particulæ ita junctæ ſimul eſſent, ut inde conflaretur *Atomus* una, cujus partes in contactu tam arctè cohærerent inter ſe, ut una pars ab altera, quâcunque vi adhibitâ, ſeparari minimè poſſet; attamen non eſſet adhuc *Atomus* perfectè *ſolida*, quoniam inter ambas hujus partes ſpatium ineſſet: verùm ſi ita fuiſſent unitæ, ut nullum vacuum relinquerent intermedium, hâc nempe ratione ▬, tunc *Atomus* illa perfectè *ſolida* foret, quippe quæ nullum in ſe ſpatium haberet, ubi alterum poſſet recipi atque contineri corpus. Hinc igitur, *corpus perfectè ſolidum eſt illud, quod ex Atomis ſeu particulis indiviſibilibus conſtat, ita junctis, ut nihil vacui inter ipſas hæreat.* Alterum adhuc vocatur perfectè *ſolidum* corpus, quod ex prioribus perfectè *ſolidis* conflatum eſt, abſque ulla quoque intercapedine, ſeu ſpatio relicto inter partes totum conſtituentes: his autem binis perfectè *Solidorum* generibus ſi *Atomum* addamus, quæ conſtet partibus ſibi mutuò unitis, ſine ullo ſpatio inter-

medio, tunc tria corporum perfectè *solidorum* genera habebimus.

5. Jam verò si quis quærat, quomodo corpus perfectè *solidum* metiri possimus? Respondemus, mensurâ spatii. Supponamus enim, v. gr., nos habere spatium quod sit exactè unius pedis cubici; & hoc spatium à nobis dein impleri corpore ejusdem omninò molis & figuræ, i. e., unius pedis cubici, & in quo nullum omninò vacuum sit, adeòque quod sit corpus perfectè *solidum*: jam ergo, quandoquidem hoc corpus exactè repleat illud spatium, mensura ejus erit etiam mensura spatii in quo continetur; tantùm enim ibi aderit impenetrabilis materiæ, quanta est magnitudo spatii.

6. Si *Atomus*, aut corpus ex *Atomis* constans, partes impenetrabiles ita junctas habet, ut intercipiantur inter unitas partes spatiola vacua, aut aliâ materie non unitâ repleta, tunc vocatur corpus *porosum*.

7. Ut verò habeamus mensuram corporis *porosi*, supponamus, v. gr., molem Auri perfectè solidam occupare spatium unius pedis cubici, & jam inde auferri hoc Aurum, cujus mensura, ex hypothesi, est capacitas istius pedis cubici, & ejus loco Aquam substitui spatium hoc

exactè replentem; tunc si $\frac{2}{3}$ partes hujus Aquæ, sint *pori*, ergo $\frac{1}{3}$ pars pedis cubici erit mensura Substantiæ corporeæ istius Aquæ: reliqua enim habentur tantùm vacua, non corpora, Materiæ perfectè *solidæ* respectu. Hoc plurimùm juvat in viribus corporum indagandis: vires enim inveniuntur ex quantitate Materiæ; sed quantitas hæc noscitur, cognitâ magnitudine numeroque *pororum*, quia tunc isti subtrahuntur à reliqua mole corporea; nihil quippe faciunt ad vires corporum, quoniam sunt tantùm spatia vacua: sed illud quod præter poros spatium replet, hoc solum dat quantitatem materiæ in eo contentæ; ergo hæc est mensura *Corporeïtatis.*

8. Unde videmus, quòd si ARISTOTELIS & CARTESII vera foret sententia, dum asserunt, Extensionem esse ideam *Solidi*, tum inde sequeretur, ubique esse eandem Substantiam corpoream: quod quidem verum esset, si non daretur in rerum Natura *Vacuum*; tunc enim Aqua & Aurum essent æquè gravia, & æquales vires haberent, utpote quæ forent æquè perfectè *solida*; sed hoc falsum esse ostendit magnus NEWTONUS, evidentissimis demonstrationibus mathematicis, in experimentis de *Pendulis.*

9. Jam igitur vidimus *Atomum* aliquam esse posse perfectè *ſolidam*, & imperfectè *ſolidam*, ſeu *poroſam*; & quòd proinde corpora ex eis conflata poſſint eſſe tum perfectè *ſolida*, tum *poroſa*; quòdque corpora dicantur *poroſa* duplici ſenſu; nempe poroſa ſimpliciter, ubi nihil in poris continetur; & poroſa cum Materie interna in poris fluctuante, quando ſcilicet, ut diximus, meatus habent tantummodò, ſeu ſpatia penetrabilia, adeòque non repleta, h. e., *vacua philoſophica*. Ex his etiam patuit, quòd cùm phyſicè, non geometricè, corpora ad vires metiri volumus, tunc moles à maſſa corporea diſtinguenda ſit: *moles* enim eſt tota extenſio corporis, quæ in quibuſdam locis perfectè *ſolida* eſſe poteſt, in aliis verò *vacua*. Unde ſequi perſpeximus, ſi perfectè *ſolidum* ſit corpus, tum menſuram molis & ſpatii in quo continetur, eſſe menſuram ſubſtantiæ; ſed ſi in mole ſint loca vacua, tum menſuram inſtituendam eſſe ſubtractis vacuis: quod quidem in ſequentibus clariùs adhuc patebit.

§. II.

De Pondere specifico Corporum.

1. INvenêre duo maximi Viri, ISAACUS NEWTON, & CHR. HUYGENS, ambo per diversa ratiocinia, quòd *materies corporea, in quocumque spatio deprehensa, haberet eam proportionem, ut pondus erat illius molis ponderatæ.* Quæ verò Propositio, ut elegantissima est, ita & utilissima evadit in Mechanicis, ad vires corporum eruendas. Jam explicuimus, quid sit intelligendum per Molem, seu Massam corporis, quid-ve per Quantitatem, seu Substantiam corpoream. Invenit autem NEWTONUS, illud quod inter poros intercipitur & non cohæret, nihil facere ad vim corporis, verùm esse prorsus ac si vacuum foret, respectu virium agentium; quod quidem per experimenta clarè deducit, dum agit de *Pendulis*: vide igitur hunc Authorem in eruditissimo suo Tractatu *de Principiis Mathematicis Philosophiæ Naturalis*, 1°. ad initium, tum verò in Parte tertia, ubi experimenta habet de *pyxide* modò *plenâ*, modò *vacuâ* ponderatâ: consulatur quòque de hac Propositione HUYGENIUS, in Tractatu quem inscripsit,

De la Lumiére, & de la Pesanteur. Jam verò quod hi duo magni Viri experimentis suis adstruxerunt, assumimus pro principio; nempe, *prout sunt pondera corporum, ita vires eorum esse:* si enim in uno corpore duplo plus virium habuerimus, positis reliquis iisdem, duplo plus etiam materiæ impenetrabilis est in eo.

2. Hôc positô, cognoscere possumus Quantitatem Substantiæ impenetrabilis veræ in certo loco contentæ, si nimirùm Molem ponderemus (utì superiùs jam dictum est); verùm nondùm equidem novimus ut propriè se habet, quia nullum *perfectè Solidum* habemus cognitum; si enim unum tale *Solidum* haberemus, dignoscere utique possemus vires corporum, quatenùs inde pendent: ergo *pondùs* est tantùm relativa scientia ad nos: verùm si exactè scire possemus, Aurum in pede cubico continere tantùm præcisè Materiæ *perfectè solidæ*, tum ponderaremus etiam Aquæ pedem cubicum; unde statim sciremus, quum Aqua tantò minùs ponderis habeat quàm Aurum, tantò plus vacui igitur esse in illa, & sic de cæteris Naturæ corporibus: atque ita vera tradi posset *Hydrostatices* ut & *Mechanices* in genere doctrina.

§. III.

De Diversitate Corporum.

1. PRo physicis principiis jam assumpsimus, Materiem esse extensam, impenetrabilem, figurabilem, & divisibilem in infinitum, quatenùs constat ex infinitis quasi *nihilis*, quæ vi quâdam cohærent, & vocantur *Atomi*; omnesque particulas hasce divisas habere gravitatem aliquam, quæ perfectè convenit toti Massæ, seu Aggregato *Atomorum*: Ex his ergo jam sequitur, quòd quædam harum proprietatum diversæ esse possint in corporibus. Itaque nunc dicimus, ex idea naturæ corporis sequi *diversitatem* ejus, quæ triplex est.

2. Prima diversitas nascitur ex diversitate ipsius *Atomi*: 1°. enim *Atomus* una non est semper æquè magna ac altera, cùm istud necessarium non sit ad corpus constituendum: 2°. *Atomus* una potest esse plùs minùs-ve *solida* quàm altera; cùm una possit esse *perfectè solida*, altera verò, quamvis unita ex indivisibilibus particulis, *vacua* tamen in se habere queat (utì superiùs demonstratum est): 3°. denique potest *Atomus* una, tum magnitudine, tum figurâ, ab altera differre.

3. Secunda varietas in eo conſiſtit, quòd *Atomus* una cum altera, & corpus unum èx *Atomis* aggregatis confectum, cum altero itidem ſimili, poſſint diverſimodè, cohæſione ſcilicet majori minori-ve, inter ſe uniri: & eam quidem cohæſionem ex rebus *elementatis* deducere non poſſumus; eſt enim iis eſſentialis proprietas, non autem à cauſis externis dependens.

4. Tertia diverſitas oritur ex vario modo uniendi *Atomum* unam alteri, & unum corpus ex *Atomis* conflatum alteri quòque ſimili; v. gr., duæ *Atomi* poſſunt hâc ratione ∧, & hôc pactô ═, inter ſe uniri, atque ſic plùs minùs-ve ſpatii inter ſuas partes relinquere, &c. Unde originem ducit diverſitas *Poroſitatis*, & *Denſitatis*, utì jam vidimus.

5. Nunc igitur ex præmiſſis patuit, quòd in conſideranda *Elementorum corporeorum* natura, novem capita percipere debeat quàm optimè Phyſicus, ac proinde Medicus, utpote fundamentalia & ſcitu neceſſaria; quæ quidem ſunt, 1°. *Extenſio Corporis*; 2°. *Diviſibilitas*; 3°. *Impenetrabilitas*; 4°. *Durities*, ſeu Cohæſio partium totum conſtituentium major minor-ve; 5°. Natura *Atomi*, ſive Moleculæ nullâ vi diviſibilis; 6°. *Soliditas & Denſitas abſoluta*; 7°. *Poroſitas* & *Ra-*

ritas; 8°. *Mensuratio Solidi perfecti*, aut *imperfecti*; 9°. *Diversitas Corporum*, quæ triplex est, & ex ipsa *Elementorum* doctrina spontè deducitùr.

Hæc jam sunt vera Principia physica, & ex ipsa rerum Natura petita. Perspectis autem corporibus *Solidis* in genere, superest ut de natura *Fluidorum* aliquid adjiciamus.

§. IV.

De natura Fluidorum in genere. (a)

1. *Fluidum vocatur illa omnis corporum congeries, cujus moleculæ minutissimæ, sensumque fugientes, aut nullo, aut facilè mutando nisu inter se cohærent, ac proinde quæ tactui levissimo cedunt, & in se invicem arietant.* Quandoquidem *Solidum*; vel *Consistens* (utì vocat Celsus) definiatur, illud quod partes suas constituentes facilè separari non patitur, & in quod impressus impetus potiùs facit movere totam molem, quàm ut separet partem cui impressus est, hinc *Fluidi* definitio est præcisè contraria, negando scilicet quod affirmatur in præcedente.

2. At verò unaquæque pars *Fluidi* est *unum* corpus; nam illa pars, quæ vel minimè, vel nullatenùs alteri cohæret, est

(a) *Id. ibid.* §. 69. *De Hydrostatica.*

una pars: igitur ea quæ de *uno* corpore ſuperiùs dicta fuêre, ratione *Solidorum*, vera ſunt etiam in iis corporibus quæ *Fluida* conſtituunt; adeòque iſta generalia præmiſſa hîc iterùm locum habent.

3. Verùm inſuper tria conſideramus in hiſce moleculis, quatenùs componunt *Fluidum*: 1°. Partium Molem diverſam; unum enim Fluidum partes habet majores minores-ve altero: 2°. Figuram variam; quippe unum Fluidum partes habet aliô modô figuratas, quàm alterum: 3°. denique Cohæſionem Nixum-ve diſſimilem; quoniam Fluidum unum ſuas habet partes majori minori-ve niſu inter ſe cohærentes, quàm alterum.

4. Ab his tribus diverſis capitibus pendet omnis Fluidorum varietas: hinc nempe, *Fluidum tenue* eſt illud cujus partes ſunt minimæ, & vix inter ſe cohærent; & *Fluidum viſcoſum* dicitur illud, cujus partes majori nixu cohærent inter ſe, quàm in alio Fluido; & ſic de cæteris.

5. Hôc poſitô videmus, proprietates quas Mathematici tribuerunt Fluidis, nihil aliud eſſe quàm dotes in omnibus communes, non ut ſe habent in Aquâ, vel ut ſe habent in Oleo, ſed tantùm communes. Jam verò ut Fluidorum naturam quô par eſt modô explicarent Hydroſta-

tici, aſſumpſerunt, 1°. *Fluida* conſtare particulis quibuſdam admodùm exiguis; 2°. haſce particulas ita lubricas eſſe ſupra ſe mutuò, ut fluere poſſint; 3°. eas eſſe graves: & ex his tribus deduxêre, quomodo Maſſa corporea ex iſtis Moleculis aggregatis conſtans, reverâ ſe haberet. Hæc eſt *Hydroſtatica*, non ſolùm Phyſico, ſed etiam Medico, ſcitu neceſſaria; quoniam omnes ferè mutationes phyſicæ ope Fluidorum contingunt: ſic enim nutrimentum & incrementum Animalium, Vegetabilium, Mineraliumque, fit per Aërem, Aquam, & Sales ſolutos, quæ omnia ſunt fluida.

Hæc itaque ſunt quæ *de natura Solidorum & Fluidorum in genere*, præfanda habebamus; quæ nos equidem ſponte ſuâ jam ducunt ut ipſum *Corpus Humanum* aggrediamur; hinc verò tandem ad *vires* quas in illo exerunt *Medicamenta* deveniemus]

CAPUT II.

De ſtructura Corporis ſani.

1. Corpus noſtrum duabus conſtat partibus, ſcilicet, *ſolidis* & *fluidis*.
2. Solida continent in ſe Fluida, ſunt-

que ita inter ſe unita, ut nulla pars aſſignari queat, cujus cum reliquis connexio vel immediata, vel mediata, demonſtrari non poſſit; Vena quippe & Vas Lymphaticum Arteriæ cohærent mediante Glandulà, quæ ab Arteria oritur; Arteriæ omnes Aortæ adnaſcuntur, quæ & ipſa Cordi inſeritur; Cor, Nervorum nec non Arteriarum Aſcendentium ope, Cerebro unitur; Cerebrum Cerebello adhæreſcit; hoc Medullæ Spinali, &c.

3. Omnes Corporis Canales, aliquô modô, cum utroque Cordis Ventriculo conjunguntur.

4. Ventriculus Cordis ſiniſter connectitur cum Arteria Magna; hæc verò ita divaricatur & diſpergitur, ut nullum Corporis punctum aſſignari poſſit, ad quod portio aliqua hujus Arteriæ non pertingat: unde fit ut cavitas à Corde uſque ad ſingula Corporis puncta continuetur.

5. Omne Corporis punctum *cavum* Liquorem intra ſe contentum verſus dextrum Cordis Ventriculum tranſmittere poteſt, ſi modò *Vaſa Secretoria*, vel *Excretoria* ſic potiùs dicta, excipiamus: qualia ſunt, (α) Vaſa Sudorifera; (β) Vaſa Sanctoriani Perſpirabilis, Perſpirantia dicta; (γ) Vaſa Oculos continuo humo-

re

re Humectantia; (δ) Vasa Mucosa; (ε) Vasa Salivalia; (ζ) Vasa Oesophagi, Ventriculi, Intestinorum; (η) Vasa Urinifera; (θ) Vasa Seminifera; &c.

6. Omnes Corporis Canales, & Receptacula, Liquida quædam continent, modò bene se habeat Corpus. Quum ergo Canales inter se conjungantur, Liquida quòque inter se communicationem habere necesse est: hinc agitatio quæ in una Liquidorum parte excitatur, reliquis omnibus communicari potest.

7. Omnia Corporis Liquida, exceptis Excrementis, ad Cor redeunt.

8. Quamdiu Liquida hæc intra Canales regulariter moventur, tamdiu *sanus* est Homo; quoties verò motus ille irregularis est, vel in aliqua parte cessat, toties *ægrotat* Homo; si autem omninò, & omnibus in partibus, cessat hic motus, *mors* sequitur.

9. *Sanitas* itaque consistit in *æquabili motu Fluidorum*, simul & *æquabili resistentia Solidorum* in omni parte. *Fluida* dicuntur æquabiliter moveri, quando majorem impetum non faciunt in unam, quàm in alteram partem. Resistentia *Solidorum* æquabilis dicitur, quum æquabiliter premunt Liquida in omni parte, adeò ut inde nullus doloris sensus oriatur.

CAPUT III.

De statu Corporis læsi, sive morbosi.

1. EX dictis patet, *morbosum* esse illum, sive Solidorum, sive Fluidorum *statum*, in quo, quacunque de causa, *æquabilis* ille motus, quolibet in loco, turbatur, impeditur, vel sistitur; quòd verò *mors* fiat, quando motus ille ubique cessat.

2. *Mederi* ergo est, tollere de Corpore *morbum*, i. e., causas *æquabilem* motum sive transfluxum impedientes semovere & expellere.

3. *Medicamenta* vocantur *Instrumenta illa mechanica, ope quorum Artifex potest tollere causas ablati æquilibrii, idemque restituere.*

4. Medicamentum ergo supponit *fluxum* Humorum seu Liquidorum, adeòque agere potest solummodò in *Corpus vivens.*

5. Quum Medicamentum supponat *Corporis vitam*, quæ pendet à trajectu Fluidorum per Solida, inde patet, illud agere in Fluida adhùc mota, & in Solida.

6. Itaque Medicamentum non agit in *Cadaver.*

7. Omne Medicamentum effectus suos mechanicè producit, vi scilicet soliditatis, molis, figuræ, motûsque particularum suarum.

8. Actionis mechanicæ effectus, est mutatio figuræ, motûs, molisque corporis.

9. Hinc in Morbis curandis non immediatè agunt instrumenta illa, scilicet Medicamenta, sed mediatè.

10. Quoniam autem actionis effectus, vel bonus vel malus, omninò pendet à mole, motu, & figura particularum agentium, ideò à Solidis solummodo deducenda est *æquilibrii* antè dicti destructio.

11. Triplici modô destruitur fluxûs æquabilitas Fluidorum intra Solida; (α) Fluidorum in Solidis existentium ablatione; (β) impetu & pressione nimiâ Fluidorum in superficiem Solidorum internè, à causa externa comprimente, [vel ab interna obstruente]; (γ) vi contractili ipsius Solidi nimis auctâ.



CAPUT IV.

[*De Solidis & Fluidis nostri Corporis in genere.*

1. TErna quidem diversa, totum Corpus Humanum constituentia, Principia agnoscit HIPPOCRATES, *Lib. 6. Epidem. Sect.* 8. (*a*) Scilicet, (1) τὰ Ἴσχοντα, i. e., Continentia & Coërcentia; has autem partes *Firmas*, seu *Cohærentes*, vel (vocabulô usu receptô) *Solidas* appellamus: (2) τὰ Ἐνισχόμενα, i. e., intùs Contenta; quæ quidem hodie (vocabulô licèt minùs Romanô) dicuntur *Fluida*, sive *Liquida*, & apud Latinos, *Humores*, seu *Liquores*: (3) τὰ Ὁρμῶντα, h. e., *Impetum* facientia; per quem verò putamus AUTHOREM intellexisse illum qui fit ab Humana Mente, cùm aliquam Corporis partem movere vult; hic autem *impetus* quî fiat ignoramus: nec arbitramur, ut Scholiastæ, HIPPOCRATEM intellexisse per hoc verbum *Spiritus animales*; sed ipsum solummodô voluisse significare, quòd Mens nostra non mechanicè, sed incognitô modô

(*a*) BOERHAAVE, *ibid.* Part. 5. Cap. 1. §. 3. pag. 244.

agat in nostra Solida & Fluida, seu Ἴσχοντα & Ἐνισχόμενα. Quum autem illa quæ vocat HIPPOCRATES τὰ Ὁρμῶντα, ad scopum nostrum in hoc Tractatu non ita faciant, ideò naturam tantummodò *Solidorum* & *Fluidorum Corporis Humani in genere* jam expendemus.

2. Partium Solidarum & Fluidarum ideam generalem sat claram dedimus in primo Capite; quæ verò partes *Solidæ* dicuntur omnium corporum respectu, hæ, quatenùs ad Corpus nostrum pertinent, proprio sensu *Firmæ* vocantur, sicut modò vidimus. Diximus autem initiô corpora quælibet constare *Staminibus* quibusdam firmis & immutabilibus, quæ suâ aggregatione corpus constituunt, & hæc quidem *Elementa* corporum appellavimus. Sunt igitur quædam particulæ *primæ* & *minimæ*, quæ partes *Firmas* Humani Corporis constituunt: particula enim quantulacumque nobis sensibilis in corpore, non est unica pars, sed ex pluribus constat simul aggregatis; has ergo moleculas cognoscere debemus, si nostrarum Partium naturam cognitam habere velimus.

3. (*a*) Sunt autem hæ particulæ *corpus-*

(a) *Id. ibid.* §. 7, *De natura Solidorum.*

cula exigua, ſatis ſimilia, ſimpliciſſima, terreſtria, ex fluidis humoribus adducta, ad ſingula loca ſecreta, & appoſita omnibus firmis partibus. Hæc vera ſunt *Elementa*, ex quibus Corpus Humanum conſtat.

Dicimus 1°. quòd ſunt *corpuſcula exigua*; & iſtud quidem clarè demonſtratur ex anatomicis: maxima pars enim, quæcumque ſit in Corpore noſtro, fit ex Vaſis, Vaſa fiunt ex Membranis, quæ involutæ conſtituunt *cavum*; hæ verò membranæ conſtant iterùm ex Vaſis, quæ Vaſa Membranas formantia rurſùs conflantur ex Membranis, quæ iterùm ex Vaſis, donec ad *ultimum* Vas perveniamus, quod habet Membranam ex Fibris compoſitam ſimpliciſſimis, non verò jam ampliùs cavis ſeu vaſculoſis; aliter enim non eſſet *ultimum* Vas: ſed illæ Fibræ ſunt mera filamenta *ſolida*, quæ conſtant meris tantummodò partibus *ſolidis minimis*, & inter ſe ita adunatis & cohærentibus, ut Membranam *ſimplicem* conficiant: de qua re vide plura in *Cap. ſeq.* Sunt igitur *Elementa* noſtrorum Solidorum *valdè exigua*; ſed prætereà dicimus,

2°. Sunt *ſatis ſimilia*. Nam profectò examinavimus per ignem chemicum Solida plurimorum Animalium; atque his experimentis nobis conſtitit, quòd ſi *Os*,

v. gr., omnibus membranis,& omnibus ſuis liquidis orbatum fuiſſet, tamdiuque coqueretur in aqua, donec aqua ultimò effuſa, æquè clara & inſipida inde rediret, ac fuerat cùm affunderetur, tum ſemper Fibræ *ſolidæ* in hoc Oſſe ſibi ubique ſimiles remanerent: Idem quòque verum fuit de aliis partibus experimentum, v. gr., reſpectu Muſculi, &c. Neque iſtud tantùm; ſed maximâ mutatione quæ in Natura contingere poſſit, hoc idem ſemper accidet: ſi enim comburatur Os, vel Muſculus, non ideò tamen deſtruentur hæ Fibræ; ſed rectæ & extenſæ manebunt, quaſi integræ, & erunt ubique, in una parte, & in omnibus, eædem; nam & ex Oſſe, & ex Arteria, Vena, Muſculo, Pilo Capitis, &c. eædem ſunt, eandemque præbent in conſpectu materiem: ita ut illud quod noſtri Corporis *firmitatem* facit, ſit idem ferè ubique; quod quidem mirum videbitur iis qui putant, ſingulis partibus ineſſe ſingularem firmitatem, ſeu ſingularem materiem, pro ſingulari firmitate danda: ſed ſi conſideremus Embryonem, an non Arteria, v. gr., ipſi eadem eſt hoc ſenſu, ac in nobis? Imò ſanè: ſi enim comburatur, ſimiles Fibras exhibebit; & Membrana in Embryone idem dabit poſt co-

ctionem, vel combustionem, ac Membrana in Adulto; & ex omni parte diversa, eadem semper habebitur materies in utroque subjecto.

COROLL. I. Ergo illud quod maximum est, vel firmissimum, in Corpore, ex eadem materie constituitur, ac est materies illius quod tenuissimum, vel minimè firmum extat; Membrana enim ex Vasis Lymphaticis, i. e., tenuissimis, confecta, ex eadem est materie, atque Os maximum durissimumque.

COROLL. II. Ergo *Firmæ* nostri Corporis partes differunt tantùm majori minori-ve aggestione & compositione minimorum corpusculorum quibus constant.

COROLL. III. Hinc jam concludimus, *ultima Stamina* ex quibus conflantur omnes nostræ partes majores minores-ve, non modò esse *valdè parva*, sed etiam *satis inter se similia.*

Verùm dicimus 3°. Sunt adhuc *simplicissima*; illud enim quod, in omni puncto suæ Molis, eandem præbet Materiem, vocatur *simplicissimum*, vel illud tale dicitur, cujus una pars est eadem ac tota reliqua massa: hujusmodi autem sunt omnes partes Corpus Humanum constituentes, ut jam jam vidimus.

Tum dicimus 4°. Sunt *terrestria*, & hoc

hoc utimur vocabulo, quoniam aptius haud novimus ullum, quô natura hujusce materiæ exprimi possit. Chemici enim *Terrestria* vocant corpora, partes illas quæ nec Igne, nec Aquâ solvi queunt, sed in his immutabiles manent: *Salina* vocant ea corpora, quæ & Igne, & Aquâ solvuntur, iterùmque coëunt in materiem quasi lapideam: *Oleosa* sive *Sulphurea* nominant, quæ Igne quidem solvuntur, & comburuntur, sed Aquæ sponte suâ non miscentur: *Spiritus* appellant, corpora Aquæ miscibilia, & ad Ignem combustibilia: *Aquam* dicunt, corpus quod, si concretum sit, ad minimum Ignem liquescit, & ad eum semper avolat absque odore & sapore: &c. Sed nullis ex nostri Corporis partibus hi characteres conveniunt, si characterem excipiamus partium *terrestrium*; hæ quippe nec ad Ignem, nec in Aquâ solvi possunt: atqui talia sunt *ultima* nostrarum Fibrarum *Stamina*; hæc itaque *terrestria* vocare: cogimur, quoniam sunt simplicissima, & hæc in omni parte, ubique eadem, similia, & immutabilia reperimus. Sed recentiores Anatomici dixêre, partem Corporis Humani *simplicissimam* esse *Os*: verùm profectò in *Osse* sunt adhuc Membranæ, Medulla, Sanguis, Lympha, &c.

quibus omnibus ſi privatur, remanebit utìque tantùm, pro *ultimis Staminibus*, pars *fibroſa* & *terreſtris*. Ne quis dicat igitur, ſi Os per Chemiam examinetur, dat Aquam, Salem, Oleum, Terram, & hæc eſt materies Oſſis, erraret ſanè quàm maximè qui hoc ita conciperet: videmus enim quòd Oſſa in cœmeteriis ſole primùm exſiccata, dein rore & pluviâ humectata, tumque vento & ſole iterùm exſiccata, ſint tamen adhuc Oſſa; ſed ſi tum Chemicus vellet inde Salia & Oleum educere, non id profectò arte ſuâ efficere poſſet: verùm materies maneret fixa, omni Sale & Oleo privata; Oſſa tamen adhuc integra perſtitiſſent ante hanc operationem Chemicam. Ex his igitur patet, quid ſit materies Oſſis, nempe *terra* ſolummodò, & ſic de cæteris Corporis partibus. Jam verò ſi quærimus ab Anatomicis quid ſit *Vas*? Reſpondent, Vas eſt Membrana ſic involuta ut canalem conicum formet, & ita fit Vas arterioſum, &c. Si rogamus eos quid ſit *Membrana*? Reſpondere debent, ex ſuis principiis, eſt textura Vaſorum plurimorum, arterioſorum, venoſorum, &c. quæ Liquida ferunt tranſſudantque: Sed ut rectè ſciamus quid ſit Membrana, ex definitione tollere debemus om-

ne Fluidum; & inde patet, quòd Membranæ materies sit iterùm *terra* tantummodò, non minùs ac in Osse. At etiam si Pilum comburamus ad flammam Alcohol vini, (ne scilicet inquinetur) dissipabuntur tunc temporis liquidissimæ partes; si verò postea Pilum huncce tenaculô subtiliter sustineamus, consideremusque, tum videbimus quòd extùs adhuc cohæreat, suamque pristinam figuram pertinaciter retineat. Hinc liquet, *ultima Stamina* nostri Corporis componi partibus nec Aquâ nec Igne solubilibus, ac proinde constantibus ex merâ *terrâ*, junctâ simul *oleoso glutine*, quod quidem solum destruitur per ignem apertum, solidis interim partibus intactis & iisdem semper & ubique permanentibus.

Dicimus denique 5°. *Corpuscula hæc simplicissima & terrestria ex Fluidis humoribus esse advecta, & apposita Firmis partibus.* Novimus enim quòd nostrum Corpus, quantæcumque molis nunc sit, initiô tamen suæ formationis minimum extiterit, ac plùs quàm millies minus uno grano sabuli, & ex tantilla molecula sic accreverit; quòdque istud omne factum fuerit per appositionem *minimarum* molecularum ad reliquas jam simul compactas: etenim si Fibræ alicui non appo-

nerentur aliæ partes, hæc equidem longior fieri, & adhuc ſimul in partibus ſuis cohærere non poſſet. Ergo hujuſmodi appoſitione particularum increvit Machina noſtra: iſta quippe omnia Vaſa, elongata, aucta, ampliata fuêre; unde & reliquæ itidem partes. Cùm igitur omnia Vaſa ſic æquabiliter increſcere debuerint, hinc oportuit ut ad ſingula Vaſcula diſtinctæ applicarentur particulæ; quod quidem fieri non potuiſſet, niſi cum Fluido, per vaſa tranſvecto, eò deductæ fuiſſent illæ partes.

4. Perſpectâ igitur *Firmarum*, vel, ut vocant, *Solidarum* Humani Corporis partium indole generali, ſupereſſet ut aliquid de *Fluidis* adderemus; verùm quia Liquidorum in genere proprietates in primo Capite jam explicatæ fuerunt, ea quæ de Fluidis noſtris hoc ſenſu dici poſſunt inde iterum peti debent: ſic enim in illorum definitione ibidem jam diximus, quòd] *Fluida conſtant moleculis minutiſſimis, coacervatis, & ſine cohæſione contiguis, quæ tactui leviſſimo cedunt, & in ſe invicem arietant.* Hæc autem generalia omnibus noſtri Corporis Humoribus planè congruunt, utpote cunctis communia Liquidis.

5. Jam verò cùm Liquor nullus ex-

travasatus reperiatur naturaliter in nostra Machina, necesse est ut omnis Fluidorum mutatio in Vasis, sive Solidis cavis, contingat; idque triplici modô, (1) ab intestino Liquidorum motu; (2) à motu extrinsecùs, sive à lateribus Vasorum, communicato; (3) à nova Liquidi admistione.

CAPUT V.

§. I.

De natura Vasorum Corporis Humani.

1. SOlida sunt duplicia, vel cava, vel cavitate destituta; cava vocantur *Vasa*. [*Vas autem in genere est illud corpus quod format cavum, in quo contineri potest corpus alterum, & ubi plerumque Fluidum adest.*

2. (*a*) Vidimus in præmissis, quòd *ultima* Materies stabilis & *firma*, unde perennitas Solidorum pendet, sit merè *terrestris*; tum verò quòd hæc Materies simul adunata & applicata constituat Fibras: perspeximus enim partem *firmam*, si comburatur, ultimò dare Fibras solidas, quæ resolvuntur in illas partes

(*a*) Boerhaave, *ibid.* Part. 5. Cap. 1. à §. 10. ad §. 15.

terrestres jam descriptas : unde liquidò patet Fibras ex istis partibus constare.

3. Porrò vidimus quoque , Fibras hasce filamenta esse solida & oblonga, non cava, quæ sibi mutuò applicata cum aliis Fibris junguntur & intertexuntur, & hoc modo Membranam constituunt ; dein autem hæc Membrana convoluta facit Cavum, & hâc ratione jam habemus *minimum* Vas : ut cognoscamus igitur nostra Solida, cognitâ priùs Materie quâ constant, sciendum est quid sint hæ Fibræ ex quibus conflantur Vasa, ut ex combustione Solidorum patet. Harum verò Fibrarum ideam sat claram dedimus, diximusque in genere , Fibras certâ ratione adunatas constituere Membranam *simplicem* : istud autem eodem modo fit , ac videmus filamenta Lini inter se mutuò intertexta conficere linteamina ; hoc igitur sigillatim jam examinandum est.

4. Fibræ & Membranæ ex Fibris convolutæ , sive Canaliculi omnium *minimi*, nec non *majora* ex istis constantia Vasa quæ Membranas etiam conficiunt, triplici diversâ ratione sibi invicem attexuntur, decursumque observant (1) parallelum, (2) intertextum, (3) spiralem.

Quandoquidem Materies ultima *terreſtris* (utì vidimus) conſtituat primò Fibras, hæ verò ſibi mutuò applicentur, & conficiant Membranam ſimplicem, ex hac autem ſimplici Membrana convoluta confletur Vas quod eſt primum & minimum ; ſi nunc hujuſmodi plura Vaſcula ſumamus, hæc decurſu ſuo intertexto conſtituent Membranam, jam non ex Fibris ſolummodò, ſed Vaſis conſtantem ; hæc involuta faciet etiam Vas : ejuſmodi porrò Vaſa plurima ex Membranis non fibroſis ſimpliciter, ſed vaſculoſis, conflata ſi ſumamus & intertexamus, fient iterùm Membranæ, unde rurſus Vaſa, & ſic deinceps. Dicimus autem hæc Vaſa intertexi non ſecùs ac lintea & panni, triplici nimirùm ratione ; (α) nonnulla quippe Vaſcula parallelo ſitu decurrunt, & ad ſe invicem cohærent ; (β) alia iterùm inter hæc parallela decurrunt ſitu oppoſito, & ad angulos varios priora ſecant ; (γ) alia tandem adſunt quæ ſpiraliter intorquentur, atque ſic inter præcedentia decurrunr. Tali verò Vaſorum intertexto decurſu fiunt Membranæ majores, unde Vaſa majora, ex quibus Viſcera, & reliquæ corporis partes conficiuntur.

5. Jam verò si Fibræ sibi mutuò tantùm applicantur per parallelismum, tum Membrana est simplicissima, & respectu fibrarum & nexûs; at si Fibræ sibi invicem insarciuntur decursu intertexto, tunc Membrana respectu nexûs non est adeò *simplex* ac præcedens; verùm si Fibræ spiraliter se mutuò involvunt, tum Membrana est maximè *composita* in omni sensu. Vidimus porrò quid Vas *simplicissimum* esset, nimirùm illud quod componitur ex Membrana minima & simplicissima, sicque convoluta ut Cavum formet; substantia igitur hujus Vasis sunt Fibræ simplicissimæ, nec ampliùs cavæ. Hîc verò jam finis est Vasorum: istud enim in infinitum non progreditur; quia nullus alioquin daretur Corpori nostro terminus, ergo & nulla figura.

6. Explicatâ *simplicis* Membranæ naturâ, considerandum nunc est, quid sint aliæ Membranæ: dicimus igitur eas non esse contextas ex Fibris simplicibus; sed, v. gr., si fuerit *penultima* Membrana, tum illa conflata erit ex Vasis quorum Membranæ sunt simplicissimæ, h. e., constantes ex Fibris; ergo tunc *penultima* hæcce vocanda erit *Membrana minima vasculosa*: hujus autem Vascula

jam iterum & ſecundùm paralleliſmum, & decuſſatim, & juxta ſitum contortum ſibi invicem unientur.

7. Membrana verò *antepenultima* quæ jam ſequetur, conſtabit ex Vaſis quorum Membranæ non ex Fibris, ſed ex minimis Vaſculis conflantur: hanc etiam Membranam componentia Vaſa *vaſculoſa* (ſi ita loqui liceat) i. e., quorum Membranæ ex Vaſculis confectæ ſunt, juxta triplicem modum ſuperiùs expoſitum erunt intertexta. Atque ſic pergimus uſque ad *craſſiſſimas* Membranas, quæ ex Vaſis conſtant multò majoribus, &, ſuo decurſu itidem intertexto, majora adhuc cônſtituunt Vaſa, nec non Viſcera, & reliquas partes.

8. Hæc eſt omnium accuratiſſima idea quæ de natura *Firmarum* noſtri Corporis partium tradi debeat. Ex omnibùs autem antè dictis facilè concludimus, Anatomicos nunquam Vaſa minima, vel Membranas minimas, & multò minùs Fibras minimas, verùm ſolummodò partes quæ ex hiſce conflantur demonſtrare nobis poſſe.

9. Porrò ex iis quæ hactenùs allata ſunt evidenter etiam deducitur cauſa roboris & debilitatis in Homine. *Robur* enim oritur in ipſo à compreſſione, &

adunatione propinqua vasculorum minimorum, expulsô suô liquidô, concretorum, atque sic fortiorem constituentium fibram; ita ut plurimæ fibrillæ, sic adunatis omnibus horum omnium Canalium fibrillis, simul coalescant in unam fibram; quæ igitur tantò plus robustior erit, quò plures canales, ac proinde plures fibrillæ simul concreverint; & hoc ita contingit in nostro Corpore: si verò dicta coalitio fiat in Vasis minimis, tunc erit tantummodò fibrarum robur auctum; sed si in paulò majoribus Vasis accidat ista concretio, tum orientur calli. *Debilitatis* autem causa est planè contraria præcedenti, ut spontè liquet.


10. Jam verò, quoniam *minima* Vascula Corporis, nec oculis nudis, neque vel optimorum microscopiorum ope, visibilia reddi possunt, hinc igitur accuratô tantùm argumentô, ex *majoribus* Vasis cognitis depromptô, indagari queunt: quod quidem ut ostendatur ad sequentia attendendum est.



Sit A unus pollex geometricus; hic dividi potest in 100 partes geometricas

adhuc conspicuas: tum sumamus ejus $\frac{1}{100}$ partem, & sit B; hôc positô, habeamus corpusculum cubicum, cujus longitudo sit tantùm $\frac{1}{100}$ pars pollicis; dein (ut quidam fecêre Physici) talem cubum microscopiô contemplemur, tumque hujus magnitudinem visam retineamus: si jam scire velimus, quot Vasa in hoc spatiolo contineri possint, tunc rubros sanguinis globulos microscopio quòque subjiciamus; hoc igitur pacto, si globuli uniûs sanguinei magnitudinem cum amplitudine dicti cubi conferamus, reperiemus (ut invenerunt omnes qui hoc experimentum fecêre), diametrum uniùs globuli rubri in Sanguine conspicui esse centuplô minorem diametro talis exigui cubi; qui verò cùm supponatur habere solummodò $\frac{1}{100}$ partem pollicis pro diametro, hinc uniûs globuli rubri diameter est tantùm $\frac{1}{100}$ pars $\frac{1}{100}$ partis pollicis, i. e., si 10000 tales globuli juxta se invicem ponerentur, unum pollicem geometricum æquarent. Porrò demonstrat EUCLIDES, quòd *quadrata superficierum sunt ut quadrata diametrorum*; ergo in spatio quadrato pollicis contineri possunt millies centena millia horum globulorum: etenim (ut res faciliùs exem-

plô pateat), ex hypothesi, diameter uniûs globuli rubri est $\frac{1}{100}$ pars $\frac{1}{100}$ partis pollicis; globuli autem in spatio pollicis continentur 10000; ergo evidens est indè sequi, quòd 100000000 contineri poterunt in spatio quadrato pollicis geometrici, quemadmodùm est figura C.



Hinc igitur facilè quivis eliciet numerum Vasculorum (quorum quidem singulorum diameter uniùs tantùm globuli rubri capax est), quæ in hujusmodi spatio concludi possent.

11. Hæc autem sunt quæ in uno quadrato pollice videre potest oculus optimo adjutus microscopio; & ideò tantùm conspicit, quia sunt opaca. Verùm etsi millies centena millia Vasorum cernere queat oculus in hoc spatio, is profectò non parùm hallucinaretur, qui talia Vascula *minima* esse & omnium *ultima* sibi fingeret. Hi quippe Canaliculi qui sanguineos rubrosque devehunt globulos,

si sint arteriosi, dant alia rursùs Vascula multò quidem ipsis *minora*, nempe Lymphatica, quæ liquorem vehunt de lato in angustum, ac proinde arteriosa quoque sunt; cùm enim Venas Lymphaticas detexerint atque demonstraverint Anatomici, hæ profectò suas habere debent Arteriolas, unde Lympham accipiant, imò & hanc inde necessum est ut hauriant, sicutì mox ostendetur. LEEUWENNOEKIUS autem demonstravit, uniùs globuli Seri pellucidi, sive Lymphæ primi generis, diametrum *sextuplô* minorem esse diametro globuli rubri sanguinei; cùm hicce globulus, juxta ejusdem Authoris experimentum, in *sex* alios minores non ampliùs rubros, sed pellucidos, sponte suâ resolvatur.

COROLL. Ergo Vasa Serosa, sive Lymphatica primi generis, tantò *minora* sunt Vasis Sanguiferis ultimis.

At verò Perspirabile Sanctorianum est adhuc multò tenuius, ita ut (juxta modò laudatum Authorem, in *Epistolâ Physiologicâ 43. ad Societatem Reg. Britannicam*) sub spatio uniùs vulgaris grani sabuli contineri possint, ad minimum, ex ejus calculo, 125000 oscula Vasculorum hocce Perspirabile in Homine sano perpetim & ubique exhalantium: Ac proinde nume-

rus incredibilis eorum concluderetur in ſpatio, ubi millies centena millia Vaſorum Sanguiferorum (ut oſtendimus) contineri queunt. Quid dicemus autem de Filamentorum Cerebri tenuitate, quæ fidem omnem ſuperat? De qua re videatur iterum idem LEEUWENHOEK, in *Tom. I. Epiſtol. ad Societat. Reg. Britann.*

12. At equidem ſi quis jam à nobis quæreret, an hæc Vaſcula ſint tandem omnium *minima?* Ipſi ſanè fateremur, plurimùm longiſſimèque adhuc abeſſe. Supponamus enim, ut etiam omnino veriſimile eſt, unum ex Animalculis in Semine Maſculino deprehenſis, Hominis futuri rudimentum eſſe baſimque, (de quorum Animalculorum immenſa parvitate rurſus conſulatur citatus Author); ſi jam igitur attendamus, quòd in hoc Animalculo forſan adſint oculi, naſus, aures, cæteræque partes in Homine formato poſtmodùm conſpiciendæ; quod quidem admittere ſi quis nolit, dicatque, ex MALPIGHIO hæc ita facta nondum adeſſe, ſed omnia fieri dein incrementô, non diſputabimus; verùm hoc ſaltem dabunt omnes, in hoc Animalculo partem quæ fiet oculus diverſam eſſe ab illa quæ fiet digitus, & ſic porrò: hinc ſequitur evidenter, omnia diſcrimina par-

tium quæ in hoc Animalculo sunt, & tempore solummodò sensibilia fiunt, ex diversis distinctisque constare Vasis, quæ successu temporis semper extenduntur, ut augeantur & increscant. Cogitemus ergo, quantula debeant esse isthæc Vascula, & quàm infinitus eorum numerus in uno quadrato pollice concludi posset!

COROLL. Ex his igitur patet, injectiones anatomicas, utcumque subtiles, Vasa *minima* nobis in conspectum neutiquàm exhibere; licèt enim inter Recentiores SWAMMERDAM, & postea RUYSCHIUS, aliique, inceperint liquida injicere in Vasa majora Corporis, tantâ vi ut extra suum naturalem situm ea distenderint, id tantùm profectò & arte & industriâ suâ efficere potuerunt hi Viri, ut hæc Vasa, eorumque aliquot ramulos, conspectui meliùs præberent: liquet autem ista Vasa non esse valdè parva, quandoquidem repleri possint adeò crassâ materie ac est cera, vel aliud liquidum opacum injectionibus anatomicis inserviens: cera quippe, quæ ad istud negotium ut plurimùm adhibetur, raro quidem ad Vasa Sanguifera *minima* pervenire potest; etenim injectio facta per Arterias, ex mille vicibus vix pervenit se-

mel in Venas, quomodo igitur ad *minima* omnium Vaſcula perveniret? Nec ſi mercuriô aliiſve rebus utamur, feliciùs multò ſuccedet negotium.

13. (*a*) Vaſa porrò noſtri Corporis in genere vocantur propriè Canales, (1) qui ducunt Humores à Corde acceptos ad quodlibet internum & externum punctum Corporis, atque hi dicuntur *Arteriæ*; (2) qui Liquores referunt ab hiſce punctis iterùm versùs Cor, hi verò nuncupantur *Venæ*; denique (3) qui Humores ibi & delatos & ſecretos, in ſe ſtagnantes aliquandiù continent, ut *Sinus*, *Veſiculæ*, *Folliculi*, *Glandulæ*, *Cryptæ*, vel quocumque ſimili nomine veniant. Ergo ſub nomine Vaſorum propriè complecti poſſumus omne tùm Arteriarum & Venarum, tùm quoque Veſicularum, Folliculorum, Sinuum, &c. genus.

[14. Canales autem in Corpore Liquida deferentes, variorum ſunt generum diverſarumque decreſcentium ſerierum, atque totidem, quot etiam ſunt decreſcentes globulorum noſtros Humores conſtituentium ſeries. Sic igitur quatuor propriè Vaſorum genera diſtingui poſ-

(*a*) Boerh. *Ibid.* Cap. 4. *De Angiologia*, §. 52. *pag.* 387.

ſunt,

ſunt; nempe (1) *Sanguifera*; (2) *Seroſa*, ſive *Lymphatica primi generis*; (3) *Lymphatica ſecundi generis*; quæ plurimas adhuc ſub ſe incognitas eaſque decreſcentes ſeries includunt, donec tandem (4) ad Vaſa *Nerveum Liquidum devehentia* pervenerint; quæ quidem tanquam *ultimæ* Corporis noſtri Vaſcula conſideranda ſunt.

Hîc verò jam Vaſorum Lymphaticorum examini pauliſper immorari non inutile futurum arbitramur, utpote quædam hanc in rem allaturi, de quibus apud Authores, ut plurimùm aut nullatenùs, aut jejunè admodùm fit mentio.]

15. (*a*) Dicimus igitur primò, Vaſa omnia Lymphatica, quæ ab Anatomicis huc uſque deſcripta atque demonſtrata fuêre, meras eſſe tantummodò Venas; & hoc inde probamus, (α) quòd omnis Canalis in Corpore, qui ex anguſto liquores deducit in latum ſit Vena: verùm talia ſunt Vaſa Lymphatica omnia hactenùs deſcripta; hæc enim ex minoribus ramis in majores ſua devehunt liquida. Sed prætereà (β) Vena eſt Canalis in quem alii minores Canales ſe exonerant; at verò ſi conſpiciamus Lymphatica, vi-

(a) *Id. ibid.* §. 53. *pag.* 391.

debimus cuncta quidem ab invisibilibus oriri radicibus, tum gracilia admodùm esse, sensimque majora ac majora fieri, Canalium scilicet lateralium accessione; verùm ex iis è majori trunco in lateralia Vascula nihil omnino derivari posse. (γ) Omnes hujusmodi Canales Lymphatici habent Valvulas; atqui istæ quidem Venis solummodò competunt (utì notum est omnibus Anatomicis); nam Valvulæ in Aortæ & Arteriæ Pulmonalis initio deprehensæ, non ad Arterias hasce, sed ad substantiam Cordis propriè pertinent. (δ) Vena est Vas quod Liquidum versùs Cor reddit, Arteria verò contrà: sed si consideremus Lymphatica omnia quæ à LOWERO, VIEUSSENSIO, RIDLEYO in Capite detecta sunt, ea quidem suam lympham in Venas Jugulares deferunt: Lymphatica quoque Thoracis se exonerant omnia & in ductum Pecquetianum, & in Venas Thoracis majores: si deinde consulere libeat HEMSTERHUYSIUM, GLISSONIUM, LOWERUM, MALPIGHIUM, & NUCKIUM, de Lymphaticis tum Abdominis, tum etiam partium inferiorum, advertemus utique, hos omnes Authores [ac etiam recentiores Anatomicos] nos docere, quòd

Vasa hæc, vel in Venas majores varias, præsertim in Cavam, Venam Portarum, &c., vel in Cysternam Lumbarem, hinc in Ductum Chyliferum sese pariter evacuant. Sic ergo clarè patebit, Lymphatica quæ ab Anatomicis huc usque descripta fuêre, suum liquidum mediantibus Vasis majoribus Cordi reddere : hinc etiam & ex hac nota, & ex tribus superioribus concludere licet, ista Vasa meras esse tantummodò Venas.

16. At verò nulla est in Corpore Vena quæ non debeat habere suam Arteriam, h. e., nullum Vas suum humorem versùs Cor deferre potest, quin ab alio Vase liquidum hocce deferendum acceperit (si modò Venulas Absorbentes, de quibus paulò inferiùs erit sermo, excipere velis); unde sequitur manifestè, quòd utì deprehendimus in Corpore Venas Lymphaticas, sic etiam adsunt Arteriæ ejusdem generis. Siquidem Venæ quæ Lympham acceptam ad Cor deducunt, eam à Lymphaticis hactenùs descriptis receperunt (quemadmodùm jam dictum est) : atqui probatum fuit, hæc Vasa meras esse Venas; ergo Lympham haurire debent à quibusdam Arteriis, sed ejusdem generis, i. e., Lymphaticis; quoniam hi Canaliculi Sanguiferæ esse

Arteriæ non possunt: nam ubi detegimus, oculorum ope, Vasis uniûs Lymphatici principium, non statim equidem existimandum est, ibi loci hujus originem adesse; microscopia quippe demonstrant, quòd infinitô minora adhuc dentur; atque ratio facilè potest institui inter Venam Lymphaticam ultimam oculô visibilem, & ultimam ope microscopii tantùm conspiciendam. Verùm tamen hæc non est adhuc *ultima*; ergo Vena Lymphatica ex invisibili Vase debet oriri: quòd verò non oriatur ex Arteriæ Sanguiferæ trunco, istud vel inde probatur, quoniam, si hoc ita foret, tum globuli sanguinei, quos semper esse rubros docet microscopium, in hanc Venam deferri deberent; cùm autem tale quid non accidat, hinc iterum luce meridianâ clariùs patet, quandoquidem Vas à quo Vena Lymphatica primùm oritur, ex Arteria Sanguifera humorem accipiat Sanguine rubro multò tenuiorem, hoc igitur esse necessariò Arteriâ Sanguiferâ multò minus; ac esse proinde Lymphaticam Arteriam *primi generis*. Jam verò, cùm illa prior conspicua non sit ubi desinit, tantò minùs hæc posterior ibidem visui sese præbitura est; quinimò vel optimi microscopii ope deprehendi nequit, quippe

quæ ſit pellucida : non ſecùs enim in Pediculo, in quo Vaſa pellucent, etiamſi innumera extare Vaſcula certò noverimus à poſteriori, ea tamen, propter ipſorum pelluciditatem, nobis haud licet microſcopiô detegere.

17. Porrò Sententiam noſtram ſuper hac re, paulò clariùs exponere jam lubet. Ad omnem locum ubi tranſmittitur Sanguis ruber ex Arteria in Venam, ibi naſcuntur innumeri Canaliculi, & ad minimum ſextuplô minores diametro Sanguiferarum Arteriolarum unde prodeunt: & iſtud quidem hunc in modum ſe habere docent Liquidorum globuli microſcopiis inſpecti; quippe globuli rubri, qui non intrant in illa Vaſcula lateralia, ſi cum lymphaticis comparentur, ſextuplô majores (ut ſuprà notavimus) apparebunt. Atque ſic dum applicatur Sanguis, per Arteriolam Sanguiferam delatus, ad hoſce laterales Canaliculos, premitur tunc eò versùs liquidiſſima pars Sanguinis, quâ orbati (quoniam hæc in lateralia Vaſcula eodem tempore propellitur & intrat) globuli rubri rectà tranſeunt in Venam Sanguiferam huic Arteriæ continuam. Porrò Canaliculos hoſce laterales, in quos tranſit liquidiſſima tantùm Sanguinis portio, *Seroſas*

appellamus Arterias, ſive *Lymphaticas primi generis*; quia ſcilicet *Serum*, ſive *Lympham primi generis*, arterioſo motu, h. e., ex lato in anguſtum deferunt. Poſtmodùm autem iſtæ Arteriolæ prolongatæ, ſenſimque minores factæ, deſinunt ſingulæ in Venam ſui generis; quæ quidem initiô conſpicua eſſe non poteſt, ut ſpontè patet, cùm adeò tenuis ſit; ſed pluribus ejuſmodi ſimul aggregatis, unumque truncum multò majorem, dum ita concurrunt & junguntur, conficientibus, tum demum conſpectui ſe præbet Vas illud quod Venam Lymphaticam eſſe demonſtravimus.

18. Verùm exiſtimamus præterea, quòd Arteriæ Lymphaticæ, ubi in Venas ſui generis tranſeunt, dent etiam Canales laterales, eoſque tantò ipſis minores, quantò ipſæ minores erant *ultimis* Arteriis Sanguiferis unde fuerunt ortæ (ut ſuperiùs dictum eſt); jam verò Vaſa hæc *Lymphatica ſecundi generis* vocamus, & ſic porrò: ſed ignoramus, quot ſint decreſcentes horum Canaliculorum ſeries; verùm tamen iſtud eò uſque pertingere, ut Vaſa *Liquidum Nerveum devehentia* ſint omnium *minima* ſine dubio putandum eſt. Quemadmodùm autem Sanguis ruber ex Arteriis Sanguiferis re-

dit in Venas Sanguiferas, ſic Lympha primi generis revertitur quoque in Venam Lymphaticam primi generis, Lympha verò ſecundi generis in Venam Lymphaticam ſecundi generis, & ſic deinceps. Hoc igitur pacto, juxtaque legem iſtam, omnes Humores derivantur à Corde per Arterias in Venas, & inde redeunt ad Cor.

19. Iſtud autem in Corpore noſtro ita fieri, taliaque *minima* Vaſcula maximô adeſſe numerô prorsùs erat neceſſarium; quippe ſi Cutim, Tendines, Membranas, Oſſa, &c. conſideremus, parùm equidem & vix quicquam Sanguinis rubri hiſce in partibus inveniemus; nutriuntur tamen, & creſcunt, non ſecùs ac aliæ ubi Sanguis ruber abundat: verùm hoc in iſtis partibus fieri nequit, niſi ipſarum Vaſa Lymphatica repleantur, & ex eo liquore lymphatico ad loca idonea tantùm applicetur & adunetur, quantùm fuit deperditum; quod autem ut fiat, ad omnia puncta Corporis applicari debet hocce Liquidum. Quin & initiô formationis Embryonis, nullus omninò reperitur Sanguis ruber; attamen nullo alio tempore tam citò magiſque creſcit Homo. Imò quidem, ſi res examinetur, microſcopia nos docebunt

maximam partem Corporis Hominis adulti, Sanguinis rubri expertem esse; ac proin ex Vasis Lymphaticis & Nervosis esse conflatam. Denique notandum est, quòd Corpus nec se flectere, neque flexibile permanere posset, nisi ex partibus infinitè parvis constaret; sed Vasa Sanguifera hujusmodi non sunt, verùm potiùs illa quæ Liquidum Sanguine multò tenuius devehunt: quod quidem clarè patet in Cute, quæ partium nostri Corporis omnium maximè flexilis est; ibi enim (ut jam dictum est) vix Vasa Sanguifera, sed minora, Lymphatica nempe reperiuntur: etenim (ut spontè liquet) quò Vasa ad majorem tenuitatem reducuntur, eò faciliùs flectere possumus partem ex hujusmodi Vasculis confectam: verùm ex his totum ferè constat Humanum Corpus; siquidem Membranæ majores ideò tantùm sunt flexiles, quoniam ex minimis conflantur Canalibus, & sic de cæteris.

20. Etsi verò nesciamus, quot sint Vasorum Lymphaticorum genera, eorum tamen subdivisionem multùm procedere, imò & longiùs quàm vulgò putatur, diversasque illorum series eodem ritu; similique lege decrescere credimus: [atque sic existimandum est, quòd, v. gr.,

cùm

cùm Arteriæ Lymphaticæ *primi generis* diameter, sit sextuplô minor Arteriæ Sanguiferæ *ultimæ* diametro, (quemadmodùm istud probari per experimentum LEEUWENHOEKII suprà notavimus) ita diameter Lymphaticæ *secundi generis* est etiam sexies minor diametro Lymphaticæ *primi generis*, ac proinde tricies & sexies Sanguiferæ *ultimæ* diametro tenuior]: quin & hujusmodi subdivisionem arbitramur pergere, donec omnia Vascula æqualiter parva, & Liquida æquali etiam modô divisa sint, ita ut (sicutì jam dictum est) hæc omnia tandem desinant in Vasa tàm exigua, quàm sunt *Nervorum origines*; etenim Liquida & Vasa, Nerveo Latice Tubulisque hunc devehentibus tenuiora in Corpore nostro dari non putamus.

COROLL. Sic igitur hoc sensu *Nervos* ubicumque adesse clarè patet; & hi quidem oriuntur non solùm ex Cerebro, Spinalique Medulla, verùm etiam ex *ultimis* Lymphaticis Arteriolis ubique loci.

[Cæterùm quando dicimus, *Nervos* ubicumque adesse, ac proinde totum ex his constare Corpus Humanum, clausula quædam adjicienda est; nimirùm, sive isti Tubuli suum Laticem adhucdum deferant, sive jam sint concreti simul & con-

ſolidati: atque iſtud quidem hoc ſenſu intelligendum eſt, quòd ſcilicet Embryo dum in Utero formari incipit, meris ſolummodò *Nervis*, ſive Vaſculis *minimis* Liquida devehentibus, tunc temporis conflatus ſit; poſtmodùm autem plurimi ex hiſce Tubulis compingantur ſimul, occalleſcant, & conſolidentur.] Succeſſu quippe temporis, (*a*) ex Vaſis (1) fiunt Membranæ, ex Membranis (2) formantur Cartilagines, ex his tandem (3) conficiuntur Oſſa. Quâ porrò ratione conflentur ex Vaſis Membranæ *minimæ*, *majores*, & *maximæ*, iſtud equidem ſuperiùs jam ſatis ſuperque explicatum eſt; ſiquidem omnium primò Membranam minimam ex Fibris Solidis & oblongis, merè *terreſtribus*, confici, &c. clariſſimè ibidem evictum fuit. Verùm hîc addimus, Fibram quòque fieri ex Vaſe (ſive Vas illud ex Fibris ſolummodò, ſive ex Membranis vaſculoſis conſtiterit); idque triplici viâ, ſcilicet, (1) ſi ex Vaſe exprimatur Liquidum, quod latus à latere diſtare faciebat; (2) ſi Vaſis hujus latera comprimantur; (3) ſi eadem latera coëant & concreſcant inter ſe. Hinc igitur, ubi ſimul adſunt tres iſtæ conditiones, ex Vaſe fieri poteſt

(a) Vid. Boerh. *ibid.* à §. 20. ad §. 24. Cap. *De Oſteogeneſi.*

Fibra ; quæ quidem eò magis est elastica, quò crassities ejus major est primâ Fibrâ, quæ Vas illud cum aliis Fibris simul adunatis componebat. Sic, ex. gr., supponamus *minimum* Vas in Embryone ex 1000 filamentis constare fibrosis ; si jam omne liquidum exprimatur, latera comprimantur, compressaque simul coalescant, tunc ex hoc Vase una fiet Fibra ; ergo ex mille Fibris una tantummodò conficietur : verùm elasticitas semper hæret in unaquaque harum Fibrarum ; singulæ igitur adhuc suâ vi debent agere : hinc erit millies plùs elastica, suique sitûs tenacior ista Fibra, quippe quæ ex aliis 1000 conflata sit ; & sic porrò. Ex his itaque videmus, quòd si Membrana quædam hujuscemodi Vasorum texturâ constet, ita ut plurima Vasa fiant Fibræ, tum evadet solidior, durior, candidior, magis elastica, jamque sic erit Cartilago ; hæc enim fit, quando multa ex Vasculis quæ texturâ suâ Membranam constituebant, non ampliùs manent Vasa, sed concrescunt atque solidescunt : De qua re videatur MALPIGHIUS, qui ostendit quô pactô fiat *stella alba* in Ossibus adhuc membranosis. In ista porrò Cartilagine, quando ex Membrana hunc in modum confecta est, tum quædam strata fiunt ex

Vasis compressis, tum alia strata simul adsunt Vasorum non adhuc compressorum, at cætera jam compressa etiam comprimentium; per hæc enim Liquida fluunt pulsum in hisce Vasis excitantia: sic igitur *lamellatim* formatur Cartilago, ita ut inter istas lamellas adsint semper Vascula Liquidum deferentia. Jam verò, si hæc Cartilaginea strata magis magisque comprimantur inter se, tandem evadunt corpus durissimum, compactissimum, siccissimum, quod quidem *Os* nuncupatur. Itaque perspeximus Os adunari & conflari primò quidem ex pluribus Membranis, quæ sibi mutuò *lamellatim* incumbebant, & quarum nonnullæ jam erant consolidatæ, durasque hunc in modum conficiebant lamellas, inter quas tamen adhuc aderant intercapedines, ubi Vasa quædam suum Liquidum deferentia tutò recondebantur: quum igitur inter hasce lamellas alibi Vasa minora, & alibi majora decurrant, hinc in quibusdam locis brevî solidescunt, in aliis verò secùs. In his quippe spatiis ubi majores arteriæ perreptant, quandoquidem copiosius velociusque trajiciatur Liquidum, major etiam ibidem oritur distensio partium inter quas decurrunt, quàm alibi; unde fit, ut magis à se invicem removeantur hæc

ſtrata, inter quæ majores iſtæ tranſeunt arteriæ: hunc igitur in modum nonnulli ſinus excavantur, qui proinde initiô non aderant in Oſſe, ſed diu poſt Oſſis formationem in eo facti reperiuntur. Oſſa porrò ſolidiora ſunt in medio, quàm ad apophyſes; quoniam in medio ſemper priùs incipiunt dureſcere: demonſtravit enim Clopton Havers, quòd in eo loco perreptet arteria maxima; unde & maximus ibi pulſus, atque compreſſio vicinorum ſtratorum fit etiam maxima; ſic igitur ibidem omnium primò, ex Membrana Cartilago fieri incipit. Cùm autem deinde eadem arteria comprimere pergat, ideò quòque in medio compactiſſima, duriſſimaque Oſſa extant; at interim tenuiſſima ſunt, quoniam ſtatim ibi conſolidantur nec ampliùs creſcunt in infantibus, dum tamen intereà reliquæ partes Oſſium adhuc extenduntur. Si quis autem de hiſce plura voluerit, conſulat (1) Theod. Kerkringii *Oſteogeniam Fœtuum*, nec nón ejuſdem Authoris *Anthropogeniæ Ichnographiam*; (2) Malpighium, in Operibus ſuis *Poſthumis*, tum in *Epiſtola prima ad* Sponium, tandemque in Tract. *de Ovo incubato*, & *de formatione Pulli*; (3) Le Clerc, in Libro quem inſcripſit, *Oſtéologie éxacte*

& complette, ubi egregia aliquot habentur de Ossium in Fœtu formatione Observata, quæ verò desumpta fuerunt ex prælectionibus incomparabilis illius Anatomici Parisini Professorisque Regii Jos. Duverney. Hactenùs igitur hæcce circa materiem istam dicta sufficiant; jam verò ad propositum nostrum, ac è diverticulo in viam, redeamus.

21. Notandum est denique Lymphaticas Arteriolas *ultimas*, duplici loco in Corpore patulis orificiis desinere; scilicet, (1) partim extra Corpus, nimirùm ad Cutim; (2) partim in Cavitatibus intra Corpus. Hæc verò Lympha quæ in Cava Corporis effunditur, partim quoque per Os, Nares, &c. foràs exhalat, & in auras evanescit; partim autem, postquàm munus suum implevit, à Venulis Absorbentibus (quas quidem non modò ad Cutim, sed in omnibus etiam Cavis internis ubique pullulare suis confirmârunt experimentis Animalis Œconomiæ scrutatores, præsertim verò Bellini & Vieussens) recipitur, inque Venas & ad Cor revertitur, ut Circulationis Secretionisque munera iterùm obeat: quemadmodùm enim, juxta monitum Hippocratis & experimenta Sanctorii, totum Corpus Humanum

exspirabile est, & *inspirabile*, proinde tum ipsa Cutis, tum omnes Membranæ in Corpore Cava formantes, ubique & semper, quamdiu sanus est Homo, tenuissima Liquida & *exspirant* & *inspirant*.

22. Ex his porrò quæ superiùs allata sunt luculenter evictum fuit,] nullum esse in Corpore punctum, quod non sit *vasculare*, prout etiam experimentis probari potest. (α) Nulla enim Corporis est pars, cujus ex vulnere quantùmvis minuto, quale infligi solet ab aciculis exilibus, muscarumque rostris, non effluxurus sit liquor. (β) Dein docent microscopia, pustulas illas fluido turgentes, quæ ex Cantharidum applicatione in qualibet Corporis parte excitari solent, nihil aliud esse quàm congeriem plurimorum exiguorum Vasorum, in unum tunc temporis exeuntium; ut etiam salia acida, alcalina, & ignis ustio id satis probant. (γ) Istud quòque patet ex Perspiratione Sanctoriana, quæ licèt subtilis adeò sit, ut oculum microscopio armatum fugiat, ope tamen speculi Humidô Perspirabili madescentis observari potest.

23. Imò ipsa Ossa constant ex congerie plurimorum Vasculorum repletorum

liquido, quod ex arteriis minutis in illa deponitur: ſi enim cera in Arteriam Subclaviam injiciatur, Oſſa Brachii ſtatim rubeſcent; cera quippe injecta Sanguinem magnâ quantitate propellit in Perioſteum, indeque in Oſſium ſuperficiem, quæ, cùm Sanguine turgeat, neceſſariò rubeſcit: ſimili ritu compertum eſt, Album Oculi vaſculare & ſanguiferum eſſe; microſcopii etiam ope eadem eſt detecta ſtructura in Membranis tenuiſſimis, nec non in Unguium & Cornuum radiculis, & in partibus omnibus minutis. Si autem iſtud ita ſe habet in partibus tenuiſſimis, & à Corde remotiſſimis, quantò magis idem expectandum eſt in iis quæ proximè illi adjacent.

24. Omne Vas habet cavitatem, & parietes, qui conflantur ex *minorum* ſtructura inter ſe cohærentium, quorum latera iterùm ex *minoribus*, & ſic deinceps (utì jam dictum eſt); donec perventum ſit ad Vaſa *minima* & *ultima*; quorum cavitates adeò exiles ſunt, ut Liquidorum non niſi tenuiſſimorum ingreſſum admittant, atque ſic ferè pro nullis haberi queant. Confirmatur hoc, [nempe latera Vaſorum *majorum* ex *minoribus* Vaſculis confecta eſſe,] 1°. Experimentis Ruyschii; ſi enim cera rubra magno

impetu injiciatur in Arteriam, ejus ſuperficies undique rubeſcet. 2°. In Animalibus laqueo ſtrangulatis, Sanguis qui per Arterias Carotides fluit, impedito per Venas tranſitu, retrogreditur, inque Vaſis *minimis* ſtagnans eadem inflat, & rubedine inficit. 3°. Idem apparebit in Arteria viventis Animalis ſtrictè ligata.

25. *Minima* Vaſa determinatam habent magnitudinem, aliàs in infinitum dividi poſſent; adeòque & omnia Corporis noſtri, & noſmet ipſos (utì ſuperiùs jam dictum eſt) determinant.

26. Determinatio Vaſculorum oritur à continua Aëris preſſione in noſtram Machinam; ſi enim excedat vim reſiſtentiæ quam habet Fluidum contentum, ſtatim collabuntur Vaſorum latera; unde ſequitur *conſolidatio*: Sic Vaſa quædam majora, ſcilicet, Vaſa Umbilicalia, Foramen Ovale, Urachus, &c. in Ligamenta paucis pòſt partum diebus abeunt: Ita Ungues & Cornua oriuntur ex Arteriolarum extremitatibus conſolidatis: *Callus* etiam ortum ſuum plurimorum Vaſorum compactioni debet. Si autem in *majoribus* Vaſis hoc fieri ſolet, quantò faciliùs id in *minimis* accidere poteſt.

27. Latera autem *ultima* Vaſculorum omnium Canalium, ſive Arteriæ ſint,

ſive Venæ, ſive Vaſa Lymphatica, ſive Ductus Adipoſi, ſive quocumque Vaſorum nomine veniant, ſunt *nervoſa*, & *Nervis* ſimilia, & in iis nutritio vera Solidorum fit.

28. Hinc & *ultima* Solidorum omnium in noſtro Corpore Stamina ſunt merè *nervoſa*; hæc enim conſtantur ex *Nervis* unà compactis atque conſolidatis per concretionem: (exceptis partibus illis, quæ ex coagulatis Liquidis concrevêre, quales ſunt concretiones polypoſæ, lapideæ, &c.) & hoc ſatis probari poteſt. Enimverò, ut detexit Malpighius, ac deinde Leeuwenhoekius, primum Corporis noſtri principium eſt tantùm *Vermis*, qui in Utero conſtituit primò Medullam Spinalem; huic dein accreſcunt bullæ quinque limpidæ, quæ fiunt Lobi Cerebri, quibus accreſcunt Oculorum Globi; poſteà ex medio illius *carinæ* (utì vocat Malpighius) emergit tubus incurvus, qui deinde quatuor acquirit inæqualitates, quæ ſenſim incurvantur, & fiunt Cor; ſenſim dein naſcuntur integumenta Thoracis, & Oſſium; deinceps formantur Hepar, Lien, &c. tandemque oriuntur Stamina mucoſa totumCorpus involventia. Unde patet, hæc omnia Stamina ſo-

lida procedere ex Spinali Medulla: & mirum est profectò, adeò dura corpora ex tam molli, ac est Medulla Spinalis, oriri posse principio; sic enim ex mollibus Nervis indurescunt Cornua, Ungues, &c. Si verò moles Cerebri & Medullæ Spinalis conferatur cum mole reliquorum omnium Solidorum, horum moles non apparebit major quàm ut oriri possit à Cerebro & Spinali Medulla. Porrò, quum omnia sint *vasculosa* [sive Vascula quibus constant Liquidum contineant, sive non, h. e., jam coalita sint], omnia Vasa oriantur à tendinibus Cordis, hi ex *nerveis* filamentis constent, omnia quoque integumenta Glandularum, Viscerumque, ex integumentis Vasorum Sanguineorum conflentur, Ossa fiant ex Membranis, sensim in Cartilagines, inde in Osseam substantiam indurescentibus, Membranæ etiam fiant ex adunatis Vasis *minimis*, quæ ex *Nervis* (quemadmodùm istud sigillatim superiùs ostendimus); hinc liquidò constat, quamlibet totiûs Corporis nostri partem esse *nervosam:* unde sequuntur duo *COROLLARIA.*

COROLL. I. Omne corpus agit in *solidas* Corporis nostri partes; illud ita-

que impingit, vel in *Tubulos Nerveos*; vel in partes ex *Nervis conſolidatis* concretas.

COROLL. II. Omnis ergo vis Medicamentorum quatenùs agit in Solida, agit quatenùs applicatur vel ad *Nervos*, vel ad ea quæ ex *Nervis* coaluêre.

§. II.

De Proprietatibus Nervorum.

THEOREMATA.

THEOR. I. IN Vaſis *minimis* proportio Solidi ad Fluidum contentum eò magis increſcit, quò Vaſa *tenuiora* fiunt; hinc partes exteriores magis Solidæ ſunt, quoniam copioſiſſimis & tenuiſſimis conſtant Vaſis.


THEOR. II. Quò *minora* in Corpore noſtro ſunt Vaſa, eò puncta contactûs inter latera Vaſorum & ſuperficiem Fluidorum præterlabentium, multiplicantur magis; in *minimis* enim cujuſlibet ferè globuli ſuperficies impingit in latera Vaſorum.

COROLL. Hinc in *maximis* Vaſis minor eſt incurſus, & vice-versâ.

THEOR. III. Quò Vaſa *minora* evadunt, eò magis vis Solidi in Fluidum increſcit: Quò verò *majora* ſunt, eò magis diminuitur illa vis; per *vim* autem hîc intelligimus facultatem communicandi motum: Demonſtratio ſic ſe habet. Conſtat ex mechanicis quòd, cæteris partibus, vis ſolidæ cujuſlibet molis ſive maſſæ, ad vim alteriûs cujuſlibet maſſæ ſolidæ, ſe habeat ut moles ad molem; porrò ſicut vis, ita quoque reſiſtentia uniûs corporis ſe habet ad reſiſtentiam alteriûs ut moles ad molem, cæteris paribus. Quum ergo proportio Solidi ad Fluidum contentum eò magis increſcat, quò *minora* fiunt Vaſa, (ut in hoc THEOREMATE ſtatuitur) hujuſce THEOREMATIS veritas clarè patet.

THEOR. IV. Vis Solidi *ultimi* in Liquidum contentum nihil aliud eſt, quàm niſus iſte quô ſeſe coarctare conatur; per iſtum enim niſum, Liquidi motus promovetur: nam quò magis Vaſa elongantur, eò magis vim ſuam in Fluida exerunt; idque hac de cauſa, quòd, quò magis elongantur, eò magis quoque coarctatur eorum diameter: Quod ſic demonſtratur. Sint A G, & C H lineæ duæ parallelæ in infinitum protenſæ, ſintque A C B D ſibi invicem parallelæ,

item C E D F; tum ex puncto C ad B



ducatur linea C B, & ex puncto D ad E linea D E; patet ex EUCLIDE, (*Lib. I. Prop.* 35.) quòd parallelogrammum A B C D æquale ſit parallelogrammo C E D F; item quòd triangulum B C D æquale ſit triangulo C D E; latera verò parallelogrammi A B C D, & latera trianguli B C D minora ſint lateribus parallelogrammi C E D F, & trianguli C D E; & ſic porrò. Idem quoque demonſtratur de Cylindris & Conis, quæ fiunt circumvolvendo iſta plana circa latera homogenea. Quum igitur omnia Corporis Vaſa ſint vel *Cylindrica*, vel *Conica*, liquidò conſtat, iſta Vaſa eò magis coarctari, quò magis elongantur. Omnis ergo vis *minimorum* Solidorum in Liquida contenta, pendet à vi quæ Solida hæc ſive Vaſa coarctat.

THEOR. V. Vis omnium Vaſorum *majorum* oritur ex vi aggregata *minimorum*; omnis enim Arteria vim habet à la-

teribus ſuis, quæ compoſita ſunt ex *minimis* Vaſis.


THEOR. VI. Omnis nutritio, ſive reſtitutio perditi, omnis accretio, ſeu augmentatio Fibræ ſolidæ, ſolummodo fit in *minimis* Vaſis, ſcilicet *Nervoſis*; non autem in *majoribus*, ut in Arteriis, Venis, Glandulis, Vaſis Lymphaticis, & Adipoſis; quoniam augmentatio & accretio *majorum* omnino pendet ab extenſione *minimorum* lateralium Vaſorum, quæ ſunt *Nervoſi* Tubuli. Nutritio igitur, quæ fit applicatione partis cujuſpiam ad locum partis perditæ, contingit *minimis* illis Canalibus, ex quibus *majores* conſtant. Inde ſequitur Medicamenta omnia, qualiacumque ſint, ſive *replentia*, ſive *evacuantia*, ſive *alterantia*, in partes iſtas *minimas* ſolummodò agere.


THEOR. VII. Omnis mutatio Fluidorum fit in Vaſis *minimis*, Vaſorumque *minimorum* vi debetur; aliquatenùs etiam pendet ab indole ipſorum Liquidorum per illa Vaſa fluentium.

THEOR. VIII. In omnibus lateribus Canalium flexibilium hæret vis, quâ partes ad ſe mutuò *accedere* tendunt, ut breviores fiant lineâ directionis quæ Fibræ dicatur; eaque vis in omni Fibræ puncto reperitur.

THEOR. IX. Illa vis, quâ partes nituntur ſe *contrahere*, compeſcitur & ſuſtinetur à punctis quibus applicatur Fibra, nempe, à Liquido diſtendente.

THEOR. X. Vis hæc verè & phyſicè agit, eo tempore quo *quieſcere* videtur Fibra. V. gr., in Fig. 1., ſit A punctum quoddam fixum, cui ſuſpenſa hæreat chorda muſica A B; ſitque D pondus chordæ appenſum, eamque plurimùm diſtendens: In puncto C applicetur leve aliud pondus E (propendens ex altera chorda in puncto C priori affixa, & ſupra trochleam puncto fixo hærentem tranſeunte, ac ita ſuſtinente hocce pondus), eâ conditione, ut vis prioris chordæ ſuperet vim ponderis hujus, ita ut ab eo





non omnino, aut ſaltem quàm minimùm inflectatur:

inflectatur; His positis, abscindatur ista prior chorda inter puncta B & C, ac prope punctum C, cultrô acutissimô, ita ut ab ictu motus nullus chordæ imprimatur: Tum pars superior A C sese statim *contrahet*, & pondus E aliquantulùm supra trochleam elevabit. Patet igitur, quòd chorda ante divisionem, vim suam contractilem exerceat, licèt, propter pondus appensum, semet actu contrahere non potuerit. In Fig. 2., sint A B duo fixa puncta, inter quæ chorda sit quædam summoperè tensa: Chordæ huic, ad puncta C D, affigantur duo fila C F & D E, quorum extremitatibus annectantur pondera F & E, quæ à mensa G sustententur; sintque H I duæ trochleæ, quas chorda A B levissimè perstringat: His positis, discindatur chorda eodem modo ac superiùs (in Fig. 1.) idque in puncto K, in medio nimirùm inter utraque hæc appensa fila: Tum ambæ partes K A & K B chordæ discissæ, versùs fixa sua puncta A & B se contrahentes retrahentesque, pondera E & F supra trochleas H & I paululùm elevabunt. Eadem est in Corpore nostro Fibrarum *contractilitas*, prout in Fibra transversim secta videre est; sese enim versùs fixa

ſua puncta contrahit: inde verò fit, ut vulnera Corpori inflicta hiare ſoleant.

THEOR. XI. Vis illa, qua quælibet Corporis pars ſeſe *contrahere* conatur, æquilibratur ab illa vi *antagoniſtica:* habent enim omnes partes illam vim *contractilem*; cùmque versùs puncta oppoſita trahunt, ſunt ſibi invicem *antagoniſtæ.*

THEOR. XII. Vis hujus contractilis *æquilibrium*, in Corpore noſtro, pendet ab æquali influxu Liquidi ejuſque impulſu in omnes partes, ita ut eas æquabiliter diſtendat.

THEOR. XIII. Quicquid ergo mutat alicubi *momentum* influxûs Liquidi, ita ut non æquabiliter fluat in omnes Canales; & quicquid tollit *æquilibrium* reſiſtentiæ in Canalibus, tollit illud in toto Corpore: Hinc duæ ſunt hujus æquilibrii cauſæ, ſcilicet, *Canalium reſiſtentia*, & *Fluidi influxus.*

THEOR. XIV. Simul ac in aliqua Corporis parte tollitur *æquilibrium*, mutationem quòque ſubeunt primùm in illo loco, deinde per totum Corpus *motus oſcillatorii*, ſive motus illi qui fiunt dum Canales quidam ampliùs ſolito extenſi eſe contrahunt; hocque pendet à *præva-*

lentia resistentiæ supra vim influxûs Liquidi; & destruitur quotiescumque vim resistentiæ superat vis influxûs.

Coroll. Ergo virium omnium summa derivari potest in unam partem; adeò que in ea parte *motum* quemdam *novum* apparere posse constat.

CAPUT VI.


De Acribus.

1. Oscillatorii in Corpore motûs *æquilibrium* nunquam magis tollitur, quàm quum *Acre* quodpiam se insinuat intra Cavum minimi Vasculi, ejusque lateribus inhæret, ac fixum manet.

2. *Acria*, prout docent microscopia, constant ex plurimis stylis in acumen desinentibus, sive ex iisdem in aciem dispositis instar cultri, aut gladii; unde, in parvis punctis resistentiæ, rodere, pungere, scindere, instar cunei, possunt.

3. Si *Acre* infixum sit lateri alicujus Vasculi, tota illa vis influentis Liquidi quæ in varia lateris puncta agere solebat, jam in punctum illud determinatur, in quo infixum est *Acre*; & hinc oritur

convulſio illius Canalis: Quod quidem ita demonſtratur. Sit A B C Vaſculi alicu-



jus portio, in qua lineæ deſcriptæ fluxum Liquidi per Canalem determinant: Linea ex D ducta impingit in E; quæ ex F ducitur impingit in G, & ſic porrò: Hæ autem omnes lineæ hîc ponuntur, tanquam Liquida æquali vi influentia, & impellentia puncta in quæ impingunt, eaque æqualiter diſtendentia: quumque Canalis ſit contractilis, iſta puncta ſeſe æqualiter contrahunt, & impulſui reſiſtunt; ſicque conſervatur motus oſcillatorius. Si verò ſupponamus corpus aliquod *acre*, ſicut H I, Vaſculi lateri in puncto I infigi, nequaquàm ab influente Liquido removeri poterit ex hoc puncto; quoniam quantùm premitur à parte B H, tantùm reprimitur à parte H C: Hinc omne, quod inter B H continetur, Fluidum ruet in ſuperficiem H I, & hæc ſuſtinebit omnem illam vim, quæ à tota

longitudine ab I ad K ejuſque omnibus punctis ſuſtineri debuit; tota verò vis quæ ſuperficiei H I imprimitur, communicatur puncto I, quod, quum Canalis flexilis ſit, cedere debet, utpotè plùs preſſum quàm reliqua ejuſdem lateris puncta: quumque Canalis elaſticus ſit, quò plùs premitur, eò majore vi ſe reſtituit; unde fit ut motus oſcillatorii *æquilibrium* deſtruatur, Vaſculumque in motus convulſivos agatur. Corpora quæ hunc effectum poſſunt producere, ſunt præcipuè Sales *acres*, volatiles, & fixi, nec non Metallorum *particulæ* corroſivæ, quæ lædunt propter figuram quam habent, inſtar eiuſmodi cunei H I, non autem quatenùs Fluida, ſed quatenùs Solida afficiunt.

Ex hac demonſtratione hæ ſequuntur Veritates, ſeu *COROLLARIA*; nempe,

COROLL. I. Quò particula infixa rigidior ſive minùs flexilis eſt, & quò altiùs infigitur, eò pejor & vehementior futurus eſt effectus: Hinc etiam fit ut Metallorum particulæ in figuram *acutam* redactæ, v. gr., Mercurius Sublimatus corroſivus, Præcipitatus ruber, &c., in Corporibus noſtris effectus multò vehementiores obtineant, quàm particulæ

quæcumque ex Vegetabilibus, aut Animalibus deprompt æ; ſunt enim hiſce multò rigidiores, &, propter majorem gravitatem, altiùs Vaſorum lateribus infiguntur.


COROLL. II. Quò gravior eſt particula, eò vehementior effectus ejus erit, diutiùsque permanebit, propter rationem modò allatam.

COROLL. III. Cæteris paribus, quò vis Fluidi in parte B H major eſt, eò vehementior eſt particulæ infixæ effectus, eòque altiùs infigitur: Unde ſequitur, quòd vis Cordis plurimùm facit ad *Acre* hoc H I excitandum in motum ſtimulantem.

COROLL. IV. Ubicumque Humorum in Vaſa *influxus* ceſſat, ibi quoque perit tum Medicamentorum, tum Venenorum vis omnis: Inde eſt quòd *Cauſticum* ægris ad extremitatem redactis, & jam jam morituris (in quibus ſcilicet Humorum circulatio non niſi in partibus Cordi vicinis fit) admotum, vix ac ne vix quidem agit; quum idem Corpori ſano ac vegeto applicatum, intra breve tempus operetur.

COROLL. V. In *Cadavere* ergo, ubi omnia quieſcunt, particula infixa nullum ſortitur effectum.

COROLL. VI. Liquida in Vasis *cylindricis*, æquè ac in *conicis*, per lineas parallelas feruntur; ideòque particula *acris* infixa eundem in *cylindricis* ac in *conicis* habet effectum, sed mitiorem in illis, quàm in his. Enimverò vis Liquidi supra particulam infixam ad F, ut in Fig. 1., eâdem paululùm versùs G pressâ, (quod facilè fieri potest, quoniam ab altera parte non resistunt Liquida, ut in *conicis*) transibit versùs B D, ubi æquale priori A C spatium inveniet. In *conicis* verò non item; nam, in Fig. 2, Fluidum quod ex parte A D C, in particulam E F puncto F infixam incurrit, post transitum inter G E, non invenit spatium æquè capax, ac illud ex quo fluebat;




adeòque hîc major nisus & pressio Liqui-

di, inter fluendum versùs B, quàm fuerat in *cylindro*. Ponamus, in FIG. 3, contrario & inverso motu fluere Liquida in Vase *conico* A B C D, quod hîc tanquam Vena considerabitur. Liquor fluens ex A B, non nisi paucis particulis impinget in particulam E F puncto F infixam, quam quidem versùs D aliquantulùm impellet, Liquido ab ea parte non resistente, & facilè satis pertransibit; quoniam spatium H E æquè, imò & magis, capax est ac A B. Vis itaque impressa particulæ à Fluido incurrente, in hoc casu ferè nulla est: Unde *Acria* in Solida nullibi minùs agunt, quàm cùm *cavo* applicantur ex angusto in latum abeunti; talia verò sunt Vasa Venosa omnia.

COROLL. VII. Si *Acre* lateri Vasis externè hæreat, idem secuturus est effectus, ac si internè adhæresceret. Punctum enim C, (in FIG. sequenti) à Liquido influente & Canalem A B æquabiliter premente, necessariò debet distendi; ideòque particulam *acrem* adhærentem D premet, & contra eam nitetur. Quum verò hæc, ob pressionem vel Atmosphæræ, vel alîus causæ, cedere nequeat, necesse est ut Vasis latus penetret, motumque Fluidorum æquabilem impediat;

diat: Hunc in modum agunt Emplaſtra,



omniaque Stimulantia externè applicata. Porrò hinc inferimus, Medicamentorum actionem conſiſtere in remotione impedimenti motûs æquilibrati Fluidorum.

COROLL. VIII. A ſola prædicta poſitione uniûs particulæ (reliquis omnibus in ſtatu naturali manentibus) alterari vel perturbari poſſunt Secretiones, dilatari Canales, vis concuſſiva laterum augeri, motuſque oſcillatorius deſtrui.

COROLL. IX. Secretio eſt derivatio & ſeparatio uniûs Liquidi ab alio. Omne Liquidum conſtat ex particulis minutis ſolidis; & Liquidorum moles quàm maximè mixta eſt, ut in Chemia patet; confundi enim poſſunt variæ Solidorum ſpecies, quæ mixtæ Liquidum conſtituunt, & ex iis rursùs poſſunt fieri Solida. Ad *Secretionem* tria ſunt neceſſaria; 1°. Applicatio Liquidi ad Canalium orificia; 2°. Orificiorum iſtorum determinata magnitudo; 3°. Vis ſufficiens ad Liqui-

dum intra Canales impellendum. Jam autem, si particula *acris* infixa efficeret utCanales, v. gr. Renales, plùs solito dilatarentur, aut angustiores fierent, tum particulæ Fluidorum majores aut minores solitô per eos transirent: Hinc urinæ excretæ variatio; quandoque enim limpida, quandoque crassa apparet. Si verò particula *acris* eò usque premeretur, donec Canalis latus perforaret, tunc Canali infligeretur vulnus particulam *acrem* magnitudine æquans; quod quidem per contractionem Fibrarum adeò patulum fieri posset, ut Fluidum in Canali contentum per hocce vulnus exiturum esset: Hinc etiam stillicidia, salivationes, aliæque quàm plurimæ evacuationes non naturales, in Corpore nostro contingunt, nimirùm, ubi vulnus Vasis sat magnis infligitur. Si verò foramen in Vasis aliquibus valdè minutis (qualia sunt in Pulmone quædam) fuerit, ex tali vulnere Liquidum solummodò tenuissimum effluet, quod colore rubro minimè donabitur; quoniam ruptura sive apertura rarò fit adeò ampla, ut transmittere possit globulos rubros sanguineos appellentes; & supponimus ejusmodi esse *Acria*, quæ nequaquàm globulos istos dissolvere valeant.

COROLL. X. Hinc Tumor & Inflammatio oriri poſſunt in loco & partibus vicinis; Liquidum enim à Corde preſſum, & in latera Vaſis impactum, omnes particulas ſuas, quæ aperturæ reſpondent, per eandem urgebit, hæque partes, vicinas prementes, Tumorem ſimul & Inflammationem in iiſdem excitabunt. Sic in Morbis plurimis obſervamus primò *dolorem* à punctura particularum *acrium* oriri. *Dolor* enim nil aliud eſt, quàm *ſeparatio partium fibrillæ nervoſæ, vi acris particulæ perpetrata*; hancque ſeparationem ſtatim ſequitur Tumor, quô exortô, ſive, quod idem eſt, effluxô liquidô, ceſſat dolor; ut in Podagra, Odontalgia, &c. obſervare licet.

COROLL. XI. Liquida quæ ibi hærent & ſtagnant, ſuam ſequuntur naturam, h. e., inter ſtagnandum putreſcunt, *acria* fiunt, & alcalinum volatile præbent: iſtaque *acrimonia* Liquidorum apta reddit illa ut Vaſa noſtra diſſolvant. Hæc verò lex in Urina, Sanguine, Sero Sanguinis, ſed non in Lympha obtinet; videmus enim Homines hydropicos Ventrem liquidô è Vaſis Lymphaticis exſtillatô repletum habere, abſque ulla tamen *gangræna* in contentis Abdominalibus orta.


COROLL. XII. Denique patet ex dictis, Medicamenta *Acria* effectus suos in Corporibus nostris producere, partim vi propriæ *acris* substantiæ & figuræ, partimque vi motûs Fluidorum arietantium in illud *Acre*: quippe quiescente Liquido, nullus sequitur effectus, utcumque aptum sit Medicamentum ad effectus producendos; ita enim scalpellum digito applicatum, licèt satis aptum sit ad secandum, nihil tamen agit, nisi impellatur, vel ad agendum excitetur: atque sic *Acre* à tremulo Liquidorum motu in actum deducitur. Hinc ergo Medicamenta agunt, & efficaciâ suæ substantiæ, & Liquidi vitalis effectu; qui verò effectus à quibusdam Medicamentis priùs pendet.

CAPUT VII.

De Viscidis.

1. *Viscidum* est quod Vasis lateribus *tenaciter* adhærescit, ita tamen ut, propter latam suam superficiem, penetrare nequeat; si enim esset superficie adeò parvâ, ut Vasis latera perforare posset, inter *Acria* esset numerandum.

2. Lateribus Vaſorum dupliciter adhærere poteſt *Viſcidum*; 1°. vel latera tangit non niſi ex una parte, ut ad *A*; 2°. vel latera utrobique pertingit, ut particula H. *Viſcidi* hujus effectus, in utroque caſu, in FIGURA appoſita demonſtratur. (1) Sit A D particula quæ-




dam *Viſcida* lateri Vaſis adeò tenaciter adhærens ad A, ut à Liquido ponè urgente, & ſecundùm lineas E I, & G F incurrente, inde moveri nequeat; hæc particula ſuſtinebit omnem influentis Liquidi vim, quæ ſuſtinenda erat à parte lateris inter A H comprehenſa; adeòque pars lateris, cui particula inſidet, recedet versùs exteriora, utpote magis preſſa quàm reliquæ partes ejuſdem lateris, & quò plus recedet, eò majori vi ſe reſtituet; unde tolletur harmonia ſive æquilibrium motûs oſcillatorii in illo Vaſe: Hinc oritur dolor obtuſus, qui in omnibus ferè Morbis à *viſcido* oriundis ſentitur, ſcilicet à preſſione ortum ducens. Supponamus jam (2), *viſcidam* particulam H ita adhærere, ut latera Va-

ſis utrobique pertingat ; ejus effectus conſiderari poſſunt, vel reſpectu ipſius Vaſis cui inhæret , vel reſpectu Vaſorum lateralium. Reſpectu prioris, ejus effectus erit obſtructio integra iſtius Vaſculi, ſimul & laterum diſtenſio ; particula quippe à Fluido retrò urgente eò uſque propelletur , donec fiat æquilibrium inter vim Liquidi & vim reſiſtentiæ quam habent Vaſculi latera ; quô ſemel effectô particula manebit immota Vaſculi cavitatem penitùs obthurans, ſimul & illius latera diſtendens : quòd autem æquilibrium tandem aliquando futurum ſit inter vim Fluidi & reſiſtentiam laterum, inde patet, quia vis Fluidi continuò minuitur, hæc verò reſiſtentia creſcit ; & Fluidi vim minui ex eo conſtat, quòd, quò longiùs à Corde recedit, eò tardiùs moveatur ; laterum autem reſiſtentiam augeri manifeſtum facit cavitas Vaſculi in progreſſu ſuo magis magiſque ſemper diminuta, ſive diſtantia laterum ſemper minor facta: Vaſculi enim *conici* portio anguſtior non poteſt ad eandem amplitudinem extendi , ac major portio , niſi vis major adhibeatur.

3. Hactenùs de effectu quem habet particula *viſcida* in ipſum Vas cui impacta eſt ; videamus jam quid factura ſit reſpe-

ctu Vaſculorum *lateralium*. Particula *viſcida* A B, Vaſculo impacta, idemque obthurans, impedit quominùs Fluidum per illud tranſeat; quapropter Fluidum vergit versùs Canalem lateralem C D; in hunc autem nequaquàm ingredi poteſt quin ſimul dilatet; ex illius



verò dilatatione augetur vis laterum contractilis, & conſequenter motus oſcillatorius vehementior evadit, indeque Fluidi curſus velocior fit: & hinc eſt quòd, in Febribus, calor ſtatim poſt frigus advenit.

4. Ex dictis patet, maximas mutationes in Corpore oriri à Fluidis, quatenùs in Solida impingunt, eaque deſtruunt; non autem à Solidis tanquàm primâ causâ Fluida afficiente.



CAPUT VIII.

De indole nostrorum Humorum; & speciatim Sanguinis.

1. OMnes qui sunt in Corpore nostro Humores, originem ducunt à Sanguine; antequàm itaque illorum naturam intelligamus, Sanguinis indoles priùs est investiganda.

2. Omnia Liquida quæ fluunt in Corpore nostro, hâc lege incurrunt, ut à partibus in partes mota tandem ad Cor redeant. Liquidum autem illud quod per momentum in Corde hæret, vocatur *Sanguis*, qui distribuitur inde ad omnes Corporis partes, quæ hunc accipiunt pro diversis secretionibus peragendis; constat enim Sanguis partibus heterogeneis, ut adipe, bile, aquâ, &c., quæ solummodò secernuntur, & immutantur: Sic igitur quicquid in Vasis Corporis separandum est, illud ex Sanguine separari debet. Porrò variis modis materies Sanguinis investigari potest; verùm quoniam simplicia faciliùs intelliguntur, ab iis incipiendum erit.

3. Sensu percipimus, Sanguinem in omnibus Animalibus, Hominibus, Qua-

drupedibus, Piscibus, Volatilibus, Reptilibus, eundem esse, & ex tribus hisce constare partibus; scilicet, (1) Ex *aqua* ferè insipida, & aliquantulùm odora, quæ igni exposita in vapores abit, fœtidum spirans, colorans, solvens omnia Salia composita, & simplicia, ut & muriatica acida: unde sequitur eam non esse spirituoso-salinam, ut nonnulli volunt Chemici; spiritus enim olea tantùm, non sales dissolvunt; prætereà spiritus omnes producuntur vel fermentatione, ut inflammabiles, vel putrefactione, ut macri sive salini; deinde *aqua* hæc *sanguinea*, utì & omnis communis, vi frigoris in glaciem concrescit, & calore admoto in aquam purissimam iterùm resolvitur; spiritus verò vim frigoris maximè intensam illudunt, sicut videmus in liquoribus valdè spirituosis.

(2) Ex ea parte quæ *Serum* Sanguinis appellatur: hæc verò pars est liquor qui in naturali suo statu non rubet, sed pellucet, turbatus autem flavescit, & qui vi frigoris non facilè congelatur, at calori expositus, Ovi albuminis instar, indurescit, parte aquosiore avolatâ.

(3) Ex ea parte quæ toti *rubedinem* conciliat, & quæ, vi caloris non minùs

quàm frigoris, in massam rubram, firmam, tenacem, *insulam* dictam, reducitur. Si autem Sanguis è Corpore extractus, in vase quolibet per aliquod temporis spatium quiescere permittatur, avolat primò pars aquosa, tanquam subtilissima, deinde separatur Serum; & quò copiosiùs hoc fit, eò minor evadit *insula*, & quidem post 3 vel 4 dies pars rubicunda penitùs evanescit, in Serum scilicet conversa: hoc verò Serum, si Sanguis ex Corporibus morbosis depromptus fuerit, quandoque nigro, flavo, alio-ve colore non naturali donatur. Hæc nudo oculo observantur: microscopiorum autem ope ulteriùs detectum est, * Sanguinem constare particulis *sphæricis* Fluido limpido innatantibus, quæ in Vasis majoribus figuram suam sphæricam retinent, & rubræ apparent, sed versùs angustias Vasorum ovales fiunt, atque à rubedine ad flavescentiam vergunt: prætereà compertum est, unamquamque *sphærulam* constare ex aliis 6 minoribus, & harum quamlibet ex aliis 6, & sic deinceps; quibus ab invicem separatis, statim evanescit color earum

* Confer Leeuwenhoekii experimenta de Sanguine, in suis *Epistolis ad Societ. Reg. Britannic.*

ruber. Ista separatio fit in *minimis* solummodò Vasis, & in hunc finem institui videtur, scilicet ut Succus Nervosus & Lympha subtilissima exinde fiant: hæc verò sphærularum separatio, quam rubedinis evanescentia sequitur, per medicamenta vehementia procurari potest.

4. Ex dictis sequitur, Calorem non esse causam conservantem æquabilem fluorem Sanguinis: Calor quippe Sanguinem extravasatum inspissat; prætereà manet fluidus in Piscibus, quorum corpora sunt frigida; si verò iste sit extravasatus, grumescit, æquè ac humanus. Hinc causa fluorem Sanguinis conservans non est aliquid Sanguini proprium; si enim ex natura Sanguinis oriretur, ejus fluiditas tùm maxima esset, ubi maxima reperitur Sanguinis copia, scilicet in Vasis majoribus: in his autem minor est fluiditas atque motus; nam in his maximæ coagulationes fieri solent, ut liquet in cadaverum Venis. Caloris siquidem absentiâ, concrescunt Liquida in nobis; hic verò Caloris defectus accidit ob deficientem simul Fluidorum motum. Igitur actio Solidorum, per quæ fluit Sanguis, est causa fluoris ejusdem; cessante etenim Solidorum actione, cessat quoque Sanguinis motus: &

hoc ſequenti experimento confirmatur. Si tempore brumali Ranæ torpidæ aut Veſpertilionis arteriolæ, adhibitô microſcopiô, conſpiciantur, Sanguis in iiſdem in grumos planè concretus apparebit; licèt verò animal igni admoveatur, ut calefiat, attamen Sanguis ille grumeſcens minimè reſolvetur, nec priùs movebitur, quàm Cor ſe contrahere inceperit; eô autem motô, movebitur etiam Sanguis, & tandem, poſt varios Cordis ictus, fluiditatem priſtinam recuperabit: Hoc eſt experimentum LEEUWENHOEKII. Inde concludendum eſt, calorem eſſe concurrentem cauſam motûs Sanguinis, non verò primariam; quia Solidorum actione ceſſante, ceſſant etiam & motus & calor. Examinatis hiſce, ordo requirit ut Sanguinis proprietates ſeu dotes inveſtigemus.

5. Sanguinis proprietates ſunt vel *generales*, quæ ſcilicet aliis Liquidis competunt; vel *ſpeciales*, quæ congruunt tantùm quibuſdam, & ideò petendæ ſunt ex natura ſpecialis uniuſcujuſque Liquidi. Omnes dotes quæ competunt generali Liquido, obtinent etiam in ſpeciali: hæ duæ autem pendent à regulis mathematicis. Dotes *generales* ſunt, 1°. Quòd Sanguis (ut omne aliud Liquidum) po-

tiùs patiatur quaſdam partes à ſe avelli, quàm integram molem ſimul moveri. 2°. Quòd conditiones illæ adſint, quæ ad *fluorem* neceſſariæ ſunt; ſcilicet, (α) Tenuitas maxima partium relativè ad noſtros ſenſus, h. e., quòd partes maximè *exiles* ſint, adeò ut earum una ſeorſim tactum noſtrum viſumque fugiat. (β) Cohæſio inter partes tam *levis*, ut facillimè ſeparari poſſint. (γ) Omnium partium *æqualis* gravitas. Ex illa verò gravitate ſingularum partium, reſultat totiûs communis materiæ gravitas: Hinc quia omnes particulæ ſunt graves, æqualiter ſe ſuſtinent; nam preſſio & gravitas totiùs materiæ oritur tam ex conamine ad deſcenſum, quàm ab æquabili particularum gravitate. (δ) Motus *projectilis*, quo Fluidum à latere premente Vaſorum versùs aliquod punctum defertur. Hæ ſunt autem generales Liquidorum proprietates.

6. Liquida omnia in Corpore noſtro circulantia è Corde proveniunt; in quo autem multò magis ſpirituoſa & aquoſa ſunt, quàm in reliquis Vaſis: ex Sanguinis enim è Corde immediatè deprompti unciis decem, plus quàm ℥ v. aquæ ſimplicis ſeparari poſſunt; unde conſtat Sanguinem, maxima ex parte,

ex aqua componi. Hæc pars aquoſa mutationem patitur à tribus cauſis profluentem; ſcilicet, à Salibus duplicibus, Animalium nempe Vegetabiliumque; à parte ſeroſa & ſpirituoſa; à parte rubicunda ad calorem creſcente. Aquæ particularum ultimarum & minimarum moles determinari nequit; ſunt enim æquè pellucidæ ac Aër, ideòque viſum noſtrum, vel optimis microſcopiis adjutum, effugiunt; atque ita ſunt exiles, ut per meatus plantarum nullo modo viſibiles tranſeant; imò Antlia Pneumatica docet, eas tranſire poſſe per poros ipſi Aëri impervios: unde inferimus, maximam Sanguinis partem, ob fluiditatem & exilitatem, ad motum aptiſſimam eſſe. Gravitas Aquæ reſpectu Aëris, eſt ut 1000 circiter ad 1: ſed priuſquam ejus proprias facultates explicemus, exponendæ ſunt proprietates Liquidis noſtris *peculiares*; hæ verò ſequentibus quatuor lemmatibus comprehenduntur, vel potiùs ex iiſdem pendent & inferuntur. (1) Cuilibet particulæ Fluidi noſtri ſua *propria* & *determinata* eſt moles, figura, & ſoliditas. (2) Cuilibet particulæ ſua eſt vis *determinata*, ſive *momentum*, quô ſui ipſius, ab aliis particulis quibus adhæret, ſeparationi renititur, & in concre-

tionem tendit. (3) Cuilibet particulæ sua est *specifica* gravitas. (4) In Liquidis nostris varii sunt gradus *motûs projectilis*, quo fluere urgentur per rectam lineam. Porrò quoad proprietates Aquæ, notandum est Sales volatiles Animalium aquæ innatantes, ipsâ leviores esse; his enim eductis, Aqua ponderosior evadit respectu suæ molis: Jam verò è contrà ab aliis Salibus immixtis, hæc ponderosior fit; & quò plus Salium horum admiscetur, eò fluiditas ejus magis imminuitur, & tandem cum his concrescit. Inde patet igitur, Aquam, quæ quidem est proxima pars Sanguinis nostri, mutari, quoad suam gravitatem, maximè salinis partibus innatantibus; etenim quò istæ partes rigidiores, ac solidiores sunt, eò gravior redditur Aqua, & ad motum aptior: hinc etiam à salibus Aquæ nostri Sanguinis immixtis, variæ fiunt ibi mutationes.

7. Respectu quatuor lemmatum de quibus modò actum est, Fluidi nostri partes variè peccare possunt. Nempe, (quoad 1. lemma) 1°. respectu *molis*, idque *dupliciter*; possunt enim vel nimis *crassæ*, vel nimis *tenues* esse: proinde Medicamenta quæ in utroque hoc Sanguinis statu conveniunt, sunt Resolventia,

& Coagulantia. Si corpus aliquod sanum, evadat morbosum ex eo quòd Sanguinis particulæ nimis *crassæ* sunt, tum causa morbum producens necessariò erit interna, non verò externa; quicquid enim Cor ingreditur, ex Venis in illud deponitur; quod egreditur, exit per Arterias; quicquid autem Venas intrat, vel ex Vasis Lacteis, vel ex Vasis Lymphaticis, vel ex Vasis Absorbentibus in eas influit: sed oscula Vasorum istorum minùs patula sunt, quàm confinia Arteriæ & Venæ, sive plexus reticularis per quem Sanguis transit ex Arteriis in Venas, ut docet microscopium; ideòque particulæ per Vasorum Lacteorum & Absorbentium oscula in Venas, & inde in Cor delatæ, adeò exiles sunt, ut mole suâ Sanguinis fluiditatem impedire nequeant: quippe observavit LEEUWENHOEK, Chyli particulas, ut & Lymphæ, multò minores esse partibus rubicundis Sanguinis. Hoc itaque respectu, nullus ferè cibus Corpori sano noxius esse potest [ex sua mole]; cùm particulæ nimis crassæ Vasa Lactea, & Absorbentia nequaquàm ingredi possint: ideòque vitium si adsit, ex causa fit merè interna. Porrò quum nimis est aucta moles particularum, vitio existente

existente in Corpore nostro, tunc illæ ad ultima Vasa devenientes transire non possunt; hoc autem continuò accideret, nisi Pulmones, pressione suâ per Aërem factâ, particulas istas adhærentes minuerent, donec Vasa ipsorum tenuissima pertransiverint. Jam verò duo sunt particularum nimis *auctarum* effectus; scilicet, (1) Circulatio Liquidorum impedita; (2) Humorum, qui secerni debuêre, Secretio destructa: omnis ergo medela molis *auctæ* respicit Secretionem & Circulationem ipsam. Ideò, quum Vasa ex Arteriis oriantur dupliciter, nimirùm, vel ortu directo, ut Venæ, vel obliquo seu laterali, ut Glandulæ, sive Vasa Secretoria quæ Arteriis & Venis sunt minora, hinc si particulæ Sanguinis solitô fiant crassiores, illæ quæ secerni debent, Glandularum orificia nequaquam tunc ingredi possunt, sed per rectum tramitem in Venas transeunt; sicque perit Secretio, Vasaque Secretoria, ob defectum Liquidi distendentis, collabuntur: si verò tanta sit particularum crassities, ut etiam Venas intrare nequeant, impeditur Circulatio; unde varii oriuntur morbi, tandemque mors ipsa. Medicamentum igitur omne, quod ad molem particularum *auctam* sanandam adhibetur, tale esse debet, ut

Sanguinis moleculas in Arteriolis juxta Vasa Secretoria dividere possit: quapropter efficacissima sunt Mercurialia, & Salia globulos Sanguinis minuentia. Morbi, qui ex hoc vitio oriuntur, præcipui sunt Hydrops omnesque Morbi inflammatorii.

Particulæ Sanguinis nimis *imminui* dicuntur, quum ad tantam exiguitatem rediguntur, ut Vitæ ac Sanitati tuendis prorsùs impares sint. Hujus vitii causæ sunt duæ; una nempe externa; altera verò interna, quæ potest esse Liquidum quoddam nimis dissolvens. Ejus effectus sunt duo; scilicet, acceleratio Circulationis, & Vasorum Secretoriorum arescentia. Nam 1°. Sanguis nimiùm, quoad particularum suarum molem, *imminutus*, faciliùs multò ex Arteriolis in Venas, quàm in Vasa lateralia transire potest; ac proinde uberiori copiâ jam semet in easdem confert: exinde verò magis dilatantur Venæ; & quò magis dilatantur, eò vehementiùs se contrahunt; unde sequuntur Circulationis acceleratio, major partium attritus & calor, Sanguinisque subtilisatio, & è Vasis suis eruptio. 2°. Quum in hoc Sanguinis statu nullæ, aut saltem paucissimæ, particulæ Vasa lateralia ingrediantur, hæc non ampliùs

extenduntur, sed exsiccantur, coalescunt, tandemque stamina fibrosa fiunt; unde sequuntur Phthisis, Marasmus, & varii Morbi Chronici: itaque Remedia ad hoc vitium Sanguinis corrigendum aptissima sunt Coagulantia, qualia sunt terrestria, absorbentia, &c.

8. Vitium esse potest 2°. in Humoribus nostris respectu *figuræ*; & hâc ratione dupliciter peccare dicuntur Sanguinis particulæ: vel enim nimis acres sunt, vel nimis viscidæ & obtusæ; licèt reverâ figura earum obtusa nullos malos producat effectus, ac proinde pro vitio non habenda sit. Figura quidem sola determinat corpus; & hoc moveri dicitur magis magisque, prout in unico puncto suos effectus præstare potest. Figura porrò respectu soliditatis considerari debet; itaque, quoad figuram, corpus agit solummodò in Solida; figura autem *obtusa* incidit in hæc quemadmodùm jam demonstravimus; unde superiùs expositi oriuntur effectus. Jam verò figuræ *obtusæ* sunt 1°. assumpta corpora; 2°. in nobis ita reddita, sicut cera oblonga, si digitis comprimatur, rotunda fit: hæc autem *obtusa* corpora non sunt in nobis valdè rigida, sed potiùs lenia. *Acres* in nostro Sanguine particulæ, duobus ex fontibus

proveniunt; vel enim in Sanguinem extrinſecùs derivantur; vel in ipſo generantur. Quæ extrinſecùs adveniunt, vel per Pulmones introeunt, vel per Oeſophagum, vel per Cutim externam ſive per Vaſa Abſorbentia, intromittuntur, ut Cantharides, Mercurialia, &c. Quæ per Pulmones ingrediuntur, admodùm malæ ſunt, utpotè ſubtiliſſimæ, ſolidiſſimæ, & ferè immutabiles, ob ſtructuram Pulmonum: Quæ per Oeſophagum intrant, hæ vel in cibis continentur, vel ſunt minerales venenoſæ aſſumptæ, quæ ſemper eò pejores extant, quò duriores; tunc enim in Corpore mutari nequeunt: Jam verò partes omnes quæ per Cutim tranſeunt, valdè nocivæ ſunt, quin & ſubtilitate magnâ donantur, ut docent Cantharides & Mercurius. Particulæ *acres* quæ in ipſo Sanguine generantur, ſunt illæ quæ, propter *attritum* nimis vehementem, ex *obtuſis* & viſcidis evadunt *acres*: iſte verò *attritus* contingit ex duplici cauſa; ſcilicet, 1°. à Liquidis ſtagnantibus, indeque putredinem contrahentibus; 2°. à Liquidis nimis vehementer circumactis, abſque aliùs cujuſlibet Liquidi blandioris admixtione. Prior cauſa variis experimentis patet. Si enim Hominis ſani Sanguis per aliquot dies,

sit per quinque, in vase detineatur, fœtidus, acerrimus, & urinosus planè evadet; unde liquet Sanguinem eodem modo ac Aquam stagnando putrescere. Promovetur quoque hæc putredo per calorem aut teporem adhibitum: hâc enim ratione particulæ in motu constituuntur; unde fit ut, in se invicem agendo, *acres* evadant: si verò motus nimis violentus sit, tum, particulis aquosioribus exhalatis, illæ quæ remanebunt coalescent, tanquàm frigore condensatæ. Hinc ex nimio calore, æquè ac frigore, oriuntur Skirrhi; ex motu verò nimis vehemente, oriuntur Putrefactiones in nostro Corpore. Quòd verò Sanguinis particulæ *acredinem* ex Circulatione nimis violenta contrahant, hoc vel inde patet, quòd si Homo sanus, & cibis blandis tantùm utens, cujus excreta & retenta nil acredinis habeant, sed admodùm insulsa sint, febre ardenti corripiatur; Sanguis illius, ex accelerato Cordis motu, & transitu per minima Vasa impedito, valdè pressus ac attritus, magis magisque *acer* evadet, præsertim si non adhibeantur Diluentia; donec ac istum tandem *acredinis* gradum pervenerit, ut Vasa rodat, Aphthasque, & inflammationes internas, non nisi magnâ Diluentium copiâ curandas, produ-

cat. Hinc ex Circulatione nimis accelerata eadem mala profluunt, quæ ex venenis acribus ingestis oriri solent. Veteres autem Circulationis inscii, ideòque non valentes explicare causam hanc Morborum, vocârunt istud τὸ Θεῖον, h. e., aliquid *Divinum*.

9. Vitium oriri potest 3o. in Liquidis nostris respectu *soliditatis*; & hoc respectu dupliciter quòque peccant Sanguinis particulæ, scilicet, vel *excessu*, vel *defectu*. Priusquàm verò de his agamus, nonnulla de Soliditate in genere sunt dicenda. Per *Soliditatem* intelligimus eam corporis proprietatem, quæ *Vacuïtati* propriè opponitur; & unumquodque corpus eò *solidius* esse censetur, quò minores & pauciores poros inter particulas suas interceptos habet. Experientiâ compertum est, corporum *gravitatem* eorumdem *soliditati* semper proportionalem esse; adeò ut, si duo sint corpora magnitudine æqualia, pondere verò diversa, necesse sit ut plures sint vacui meatus in uno, quàm in altero. Portò notandum est, nullum dari corpus mathematicè solidum. Corpora *solidiora* motum suum diutiùs servant, quàm illa quæ sunt minùs solida; hac nempe de causa, quòd vis eorumdem motui resistens, quæ à fluido oritur

ambiente, cæteris paribus, eorumdem superficiebus semper respondeat. Quapropter, quum in corpore magis solido plures sint materiæ particulæ, sub eadem superficie, quàm in corpore minùs solido, hinc omninò sequitur, corpora magis solida difficiliùs sisti, quàm ea quæ sunt minùs. Hæc verò de Soliditate in genere nunc sufficiant; verùm hac de re plura vide superiùs in CAP. I.

Effectus autem particularum nimis *solidarum* in Sanguine duo sunt, scilicet, nimia Sanguinis *subtilisatio*, & Motûs Oscillatorii *perturbatio*. Quippe (1) particulæ nimis *solidæ* è Corde expulsæ majorem cæteris motum concipiunt, (quantitas enim motûs cujuslibet corporis, oritur ex velocitate data moli); quapropter particulas illas, quibuscum erant simul expulsæ, deserentes, in alias impingunt, atque hocce impetu easdem dissolvunt, & nimis subtiles reddunt. (2) Liquidum nostrum è Corde expulsum, per lineas impingit, angulis acutissimis, in latera Vasorum: quod si æqualiter ubique fiat, æqualiter distenduntur Vasa; si verò una linea impingat vi majori, quàm altera, motus oscillatorius perturbatur: (Vide CAP. V. THEOREMATA ultima.) Hoc autem necessariò eveniet, si in aliqua li-

nea particulæ contineantur nimis *ſolidæ*; hinc enim Vaſa extendentur & ampliabuntur, ac Liquidi curſus perturbabitur: unde polypi ſæpe, aliæque obſtructiones facilè accidere ſolent. Harum verò particularum nimis ſolidarum origo externa eſt. Remedia autem quæ iſtis particulis adhibenda ſunt, conſtare debent moleculis æquè gravibus, ac ſunt Fluidi noſtri moleculæ. Quoniam autem Animalium & Vegetabilium particulæ ultimò reſolutæ, ejuſdem ferè ſunt gravitatis cum Fluido noſtro, ſive ut 5 ad 6, ideò earum uſu Corpus in ſtatu ſano permanebit, idemque ſtatus, ſi amiſſus fuerit, recuperabitur. Quæ verò particulæ *graviores* ſunt, ut Phoſphorus, Oleaque craſſa ex Animalibus deprompta, Sales fixi ex Vegetabilibus extracti, Acida metallica, nec non Sulphurea quæque graviora, ſuprà dictos *Soliditatis* producunt effectus, ſcilicet, roſionem, & extravaſationem; unde Morbi oriuntur inflammatorii: ideòque in ſtatu iſto morboſo vitanda ſunt. Alterum particularum Sanguinearum vitium, reſpectu *Soliditatis*, eſt quòd non adeò ſint *ſolidæ*, ac eſſe debent: Hoc verò pendet à minutione, quæ eſt augmentum ſuperficiei, & minimarum particularum aggregatum,

tum, quô puncta contactuum multiplicantur. Hujus vitii effectus est *inertia*, i. e., ineptitudo ad motum, seu impotentia istis particulis movendi alias solidiores: unde sequuntur lentores & cohæsiones. Corpora siquidem inertia motum minorem, & majorem resistentiam habent, & ideò imparia sunt movendis aliis corporibus solidioribus. Effectus autem *inertiæ* in nostro corpore, est minor actio Fluidi in Solidum, & Solidi in Fluidum. Liquida verò in nobis duplici ratione fluorem suum servant; 1°. propter corpus aliquod liquidum diluens; 2°. ob externam causam partes dividentem. Causæ porrò *inertiam* hanc, seu impotentiam & ad motum ineptitudinem, producentes (unde lentores & cohæsiones) non tam multiplices sunt, ac vulgò creditur; Corpus enim nostrum ita est constitutum, & ejus Vasa tam exilia, ut non nisi minutissimas moleculas intromittant: atqui minutissima corpora sunt semper solidissima, nec ulteriùs dividi queunt, nisi summo adhibito labore; hinc molem acceptam diù retinent, & ob angustiam suæ superficiei non facilè coalescunt.

CAPUT IX.

De Vitiis in tota Humorum mole ſimul ſpectata hærentibus.

1. ABſolutâ jam particularum Fluidi noſtri hiſtoriâ, ad totam molem conſiderandam noſmet accingamus. Ut corpus aliquod nomen Fluidi mereatur, requiritur, 1°. ut ſit in particulas admodùm minutas diviſum; 2°. ut illæ particulæ facillimè ab invicem ſeparari poſſint, nullaque ſit cohæſio ſuperſtes. Porrò Fluidum noſtrum dupliciter peccare poteſt; nempe, 1°. nimiâ particularum ſuarum cohæſione; 2°. earumdem diſſolutione nimiâ. *Cohæſio* nimia, quæ aliter *Lentor* dicitur, oriri poteſt vel à nimia particularum ſingularum magnitudine, vel à nimio earumdem ad cohærendum conamine. Hic *Lentor*, ſi contingat in Vaſis majoribus, Cordis Auriculis, aut Cerebri Ventriculis, brevì oritur *polypus*; qui eſt maſſa ſolida, corium porcinum repræſentans, & eò ſolidior, quò diutiùs duravit: ſæpè invenitur polyposa ſubſtantia in capitibus eorum qui laqueô interierunt: in eis enim Sanguis, refluxu ſuo per Venas Jugulares impe-

dito, in ramos laterales regurgitat: hi verò nimis angusti sunt ad totam molem transmittendam; unde fit, ut pars solummodò tenuior transeat, repulsâ crassiore, quæ, ex novi Sanguinis adventu, tandem canales istos obstruit. Si *Lentor* in Vasis minoribus Arteriosis contingat, oritur *inflammatio*, quam comitantur pulsatio & dolor: pulsatio autem inde fit, quòd Sanguis lentescens, qui in Arteriolis hæret, à Sanguine ponè urgente protrudatur: dolor verò nascitur ex eo quòd Vasculorum latera plurimùm distendantur; unde doloris sensus excitatur: hoc in casu Sanguinis in Arteriolis hærentis pars tenuior quandoque per Vasa lateralia minima exhalat, nimirùm si non sint obstructa; aliter enim hæcce liquidior Sanguinis portio putrescit, unde *pustulæ*, *gangrenæ*, &c. Si autem in Lymphaticorum orificio primo seu lato *Lentor* sit, colligitur ibi materia quædam gypsea sive dura, ob rationem modò dictam, scilicet, quia per laterales ramos, hîc loci copiosos, defluit pars liquidior; ideòque *polypus* hîc fit albus: si verò ad Lymphaticorum extremitatem protrudatur, oritur *hydrops* simul & *œdema*; Vasis utpotè Liquido suo pellucido distentis, quæ si rumpantur, tunc illicò nascitur leucophlegmatia

ſeu anaſarca: Humoribus quòque non rarò, ob ſitum & ſtagnationem, acredinem contrahentibus, *apoſtemata* & *gangrænæ* fiunt: ſi verò Lentor ille in extremitatibus Vaſorum iſtorum hæreat, maſſa ſecernitur limoſa & turbida, putrefactione Vaſa diſſolvens, *tabemque*, nec non ejus effectus producens. Si in Vaſis Nervoſis fiat Lentor, oriuntur Morbi Nervis *proprii*, forſan *apoplexia* quòque, ſive ſenſuum abolitio: iſtud verò rarò accidit, quia Nervorum Liquidum, ſeu Spiritus Animalis, nunquam poteſt, vel caloris vel frigoris vi, concreſcere, ob ſoliditatem ferè immutabilem: Nervi verò externi afficiuntur, compreſſi ſcilicet à Vaſis Arterioſis nimiùm diſtentis; unde *inſenſibilitas* & *immobilitas* non rarò oriuntur.

2. Cauſæ *Lentoris* in Liquido noſtro ſunt variæ. Prima quidem eſt *exhalatio* partis *fluidioris*; hinc in Venis Sanguis tamdiu manet fluidus, quamdiu in illas ſeſe exonerant Vaſa Lymphatica. Remedium autem eſt reſtitutio Liquidi avolati. Secunda cauſa eſt quilibet *caloris* gradus naturalem Corporis noſtri calorem excedens; & qui, quantus ſit, Thermometri ope cognoſci poteſt. Calor hic, partes tenuiores & ſpirituoſas

in vapores difflando, Sanguinem inſpiſſat; & reverâ talis *Lentor*, remanente calore, nullo artificio tolli poteſt, nec ſpiritu ſalis, nec oleoſis, ſimilibuſ-ve; ejuſmodi enim *calor* partes tenuiores evehit, etiam vaſe manente clauſo, ut patet in Sanguinis digeſtione: inde videmus omnes cauſas nimis *calidas* in Sanguine, intra Corpus, pro effectu ſuo habere *inſpiſſationem*. Hinc in omnibus Morbis inflammatoriis, nimius calor maximè cavendus eſt, ut in Variolis, &c., metu ſcilicet inſpiſſationis. Idem caloris effectus, nempe *inſpiſſatio*, locum habet in omnibus noſtris Liquidis, exceptis *excretis*, ut Urinâ, Sudore, & quibuſdam *ſecretis*, ut Succo Pancreatico, Bile, Salivâ, Muco; quæ quidem aliquô modô coaleſcunt, ſed iterùm facilè diſſolvuntur. Tertia cauſa eſt *frigus* immenſum, quo congelari poteſt Aqua, ita & Liquidum noſtrum. Si enim Hominis ſani Sanguis Aëri frigidiſſimo exponatur, ſeparabitur pars craſſa in *inſulam*, & aquea ſive ſeroſa congelaſcet, ut patet in hominibus frigore extinctis: Attamen omnes Sanguinis Humores *ſecreti* non facilè congelantur, ut Aqueus Humor Oculorum, qui nunquam, Bilis & Serum, quæ difficulter,

verùm Saliva facilè congelari poteſt; Urina autem partem ſuam ſpirituoſo-ſalinam in medio fluidam conſervat, dum pars aquoſa congelatur. Morbi ab hoc *frigore* mirifici pendent: Sic obſervamus, carnes congelatas, ſuccedente calore, putredinem contrahere; hinc enim naturalis nexus reſolvitur, atque Liquidum alcalinum volatile evadit hâc obſtructione; imò ſunt aliquando in Norvegia ita frigore correpti homines, ut naſum ſibi avellant emungendo: Morbus autem ille frigore inductus, vocatur imprimis *Scorbutus*. Quarta cauſa eſt *quies* Humoribus ſuperinducta, quæ in iiſdem ferè omnibus, præſertim arterioſis, *coagulum* producit: ſi enim homo ſaniſſimus ſubito metu corripiatur, orientur ſtatim in ipſo pallor & frigus, atque, ſi paſſio vehemens ſit, diuque perſeveret, ſtupor, Liquidi defectus in Cerebro, nec non motûs privatio; hinc obſtructiones, ſive coagulationes Humorum, in Viſceribus quibuſdam contingunt, quæ, ſi in Corde fiant, *palpitationem* producunt; idque uſu venire ſolet hominibus animi deliquia ſæpe paſſis: hi enim, poſtquàm per aliquod temporis ſpatium, forſan horæ quadrantem, ſenſu motuque privati jacuerint, inter refocil-

landum, incredibiles plerùmque anxietates circa Cordis regionem, & ut plurimùm ad Arteriam Pulmonalem, percipiunt: Cor quippe tunc temporis, motu accelerato & quasi reduplicato, magnam Sanguinis copiam in Ventriculis suis Vasisque superincumbentibus stagnantem, inde pellere conatur; & hinc fit illius *palpitatio*, propter Sanguinis copiam advenientem, & exactam expressionem negatam: si verò moles Sanguinis inde removeri nequeat, oritur polypus, tandemque mors ipsa. Quinta causa est corporum plurimorum Sanguinem *coagulantium* admissio: Sic Acida omnia igne violento ex Mineralibus destillata, Sanguinem subitò *coagulant*; lentiùs Spiritus Salis, omnium citissimè & validissimè Spiritus Vitrioli, Nitri, & Aluminis, qui, si in Venas injiciantur, Sanguinem illicò *coagulant*; isque, propter laxitatem & amplitudinem Venarum, in Cor usque & Pulmonalem Arteriam devolutus, brevî Animal suffocat (*a*). Jam verò observandum est, quòd omnia Acida Sanguinem non inspissent; Nitrum enim & Sal Marinus illum diluunt, ut

(*a*) De hac re conferri merentur Experimenta clariss. FRIEND, in ejus *Emmenologia* Cap. 14.

& Acetum (*a*), aliique Spiritus acidi Vegetabilium; ſed Salia alcalina quandoque eumdem inſpiſſant, & aliquando diluunt: ex his verò Spiritibus quidam eum coagulant, ut Spiritus Vini, *Aqua vitæ* vulgò dictus, qui, licèt à nonnullis pro tenuiſſimo diluente habeatur, in Venas tamen injectus omne Liquidum vitale coagulat. Sexta & ultima cauſa eſt *motus* nimius, itemque in minimis Vaſis *obſtructio*: In omni quippe obſtructione Arteriæ, diſtenditur Vas, tandemque obſtructione perſeverante rumpitur; unde ſequitur liquidioris Sanguinis partis extravaſatio. Hæc aptitudo ſive proclivitas ad *coagulum* ſuſcipiendum, non eſt quid morboſum, ſed proprietas Sanguini in ſtatu ſano hærens: Docet enim experientia, quòd quò magis ſanus eſt aliquis, eò citiùs & faciliùs Sanguis ejus extravaſatus *lentorem* inducat; quum è contrà ægri quàm plu-

(*a*) Iſtud quidem de modica doſi, Ore aſſumptâ, atque de hujuſmodi Spiritibus non concentratis, ſed dilutis ac ſimplicibus, tantùm intelligas; aliter enim Sanguinem *inſpiſſant*, imò & *coagulant*; ut probant Experimenta ejuſdem Friend, de *Aceto* in Venam Canis Jugularem injecto, &c. Vide *Emmenelog.* Cap. 14. ſub finem.

rimi Sanguinem ſluidiſſimum habeant, præſertim leucophlegmatici : imò hominum nonnullorum in mortis agone verſantium Sanguis nequaquàm *coaleſcit.* Omnis cauſa illam *concretionem* promovet, quæ vehementiſſimè agit in Sanguinem : homines enim qui exercitiis violentis dediti, muſculos ſuos plurimùm movent, Sanguine craſſo donantur. Excretiones porrò & evacuationes nimiæ Sanguinem *inſpiſſant* in majoribus Vaſis, unde ſubſidentia contingit in minoribus, & hinc atrophia naſcitur ; quoniam in Lymphatica lateralia non ingreditur Liquidum : quum igitur tale quid accidat in omnibus evacuationibus immodicis, non mirum eſt hæc mala ſubſequi.

3. Hactenùs de nimia Sanguinis *tenacitate* ; proximô jam locô ejus nimia *fluiditas* conſideranda eſt : Quum verò hæc pendeat à nimia partium Sanguinis tenuitate, de qua anteà dictum fuit, neceſſe nón eſt ut in ea explicanda tempus teramus : Sufficiat obſervare, *fluiditatem* Sanguini noſtro, ſi modò opus ſit, conciliari poſſe vi Salium volatilium, ex unguibus, cornubus, medulla, aliiſque Animalium partibus extractorum ; Aqua etiam, largâ ſatis copiâ aſ-

ſumpta, optimè reſolvit, attenuat, diluitque; ut & acria Ligna Guajaci, Saſſafras, &c., itemque Salia omnia fixa ex Vegetabilibus, & Mineralibus, præſertimque Metallis, quæ, quò graviora, eò meliora: hinc ſi Aurum reddi poſſet fluidum, abſque gravitatis diminutione, vel molis incremento, optimum eſſet *Diſſolvens*; atque illud ita laudatur (a) *Oleum* THEOPHRASTI PARACELSI.

(*a*) Confer JOAN. ERNEST. Tractat. *de Oleis chymicè deſtillatis*, apud HARTMANN. *Prax. Chymiatric.* pag. 528.

CAPUT X.

De Gravitate Sanguinis.

GRavitas corporum nihil aliud eſt, quàm *niſus* eorumdem deſcendendi versùs Terræ centrum; & eſt ſemper proportionalis corporum *Soliditati*. Sanguis dum in Corpore circulatur, calidus eſt & rarefactus; extractus autem è Corpore frigeſcit, & inſpiſſatur: ideòque *gravitatem* illius, reſpectu molis, exactè non poſſumus inveſtigare. Sed in variis regionibus, tàm frigidis, quàm calidis, Sanguis, ſimul ac è Corpore

profluxerat ponderatus, ſeſe habuit ad Aquam ſalſam ut 26 ad 25: Serum autem ſe habet ad eandem Aquam ut 300 ad 253, adeòque Serum gravius eſt Sanguine unâ ſextâ circiter parte; quod quidem videtur experientiæ adverſari, quum Serum *inſulæ* ſupernatet: hoc autem inde procedit, quòd partes *inſulam* componentes, vi frigoris, ſimul & attractionis mutuæ, in maſſam magis ſolidam & compactam coaleſcant; prout hoc inde patet, quòd *inſula* iſta & Serum ſimul ſumpta non occupent tantum ſpatium, quantum occupabant ante ſeparationem ipſorum. Sic igitur levitas in Sanguine, reſpectu Aquæ ſalſæ, hactenùs non eſt comperta; is enim ponderatus ubique Aquam ſalſam pondere excedebat unâ viceſimâ ſextâ parte: ſi verò daretur, oriri poſſet ab aquoſis, oleoſis, ſpirituoſiſque omnibus; hæc enim Aquâ ſalsâ ſunt leviora. Jam verò à particulis vegetabilibus conſolidatis, & mineralibus, Sanguis gravior fit: quod optimè conſpicitur in Scorbuto lento; Sanguis enim in eo caſu compactus & ſalinus plurimùm eſt, Urina verò graviſſima reſpectu ſani hominis: hoc autem oritur ab abundantia Salis muriatici, qui in debita copia optimus eſt, & ad

vitam omninò neceſſarius; ſi verò quantitate excedat, peſſimos producit effectus: ideò corpora quæ Sanguine *graviora* ſunt, ut Sales fixi, integrè per Urinam excernuntur; ita Sal Marinus prodit immutatus in Urina; ejus autem uſus eſt ad Sanguinem diluendum. Porrò *gravia* Medicamenta venenoſa fiunt, quatenùs Vaſa deſtruunt, atque Secretiones nimis augent.

CAPUT XI.

De Motu Projectili.

1. PEr *Motum Projectilem* intelligitur Motus Liquidorum per Vaſa Circulatorius: quumque ab eo morbi plurimi, vita, ſanitas, & ſenectus pendeant, operæ pretium erit videre quid *augeat*, quid-ve *diminuat*, aut *depravet* huncce Motum.

2. Augetur 1°. Motus iſte ab ipſo Corporis motu *adaucto*: Sic enim homine currente, plurimùm creſcit; oriuntur quippe tunc temporis pulſus frequens, ſudor, ſitis, anhelitus, omniaque febris ſymptomata; quæ quidem citò evaneſcunt, homine quieſcente: at ſi in curſu ultra vires perſiſtat, omnia

prædicta vehementiora evadent, ſimul & inflammationis ſpecies totum Corpus occupabit; hujus autem hominis Urina, à Medico conſpecta, ardenter febricitantis eſſe putabitur: Porrò, ſi hoc exercitium diutiùs continuetur, morbus reverâ orietur. Itaque à ſolo Motu Projectili *adaucto*, abſque mutatione ulla Fluidorum interna, morbus accidere poteſt. Sic etiam ex eodem Motu *diminuto* ſæpenumerò naſcuntur morbi; hujus verò *diminutionis* cauſa plerùmque eſt triſtitia: ſic, ex gr., ſi homo ſatis hilaris, inter epulandum, nuntium accipiat magni alicujus infortunii, ſubito perculſus dolore, paviduſque, ſuis humoribus ſtagnationem inducit; unde ſtatim oriturus eſt morbus, niſi magnâ alicujus liquidi diluentis copiâ prohibeatur. Pari ratione plurimorum morborum cauſam eſſe vel *incrementum*, vel *diminutionem* Motûs Projectilis Fluidorum comperiemus.

3. Primaria cauſa hujuſce Motûs Projectilis eſt *Cor*. Si liquida noſtra à Canalibus, per quos fluunt, non ſiſterentur, neque Canalium continuitas interrupta eſſet, tum ſemel mota ſemper moveri pergerent; ſed datur reſiſtentia in Canalibus, iique non ſunt continui; prope

Cor enim liquida Sinum Venoſum & Auriculas ingrediuntur, ubi, per aliquod temporis ſpatiolum, vis & continuatio fluxûs quieſcunt: quum verò corpus nullum ſe movere poſſit ex ſemet ipſo ſolo, neceſſe eſt ut liquida noſtra motum de novo accipiant à cauſa quadam externa, vim ſuam ibi exerente ubi motum amiſerint: cauſa autem iſta eſt Cor, quod Muſculus eſt ſolidiſſimus, figurâ ſuâ repræſentans helicem, cujus ope, (ut docent Mechanici) vis debilis incredibilem reſiſtentiam ſuperare poteſt; itaque Cor eſt ſola & ſufficiens cauſa omnis motûs.

4. Præter hanc cauſam primariam, datur quòque & alia; nempe Vaſorum *elaſticitas*, ſive vis illa, quâ eorumdem latera à Liquido influente diſtenta ſeſe ſtatim reſtituunt, & quidem in priſtinum ſtatum: Fluidum enim à Corde, vi magnâ, in Arterias adactum, eaſdem ſtatim diſtendit; hæque, quum elaſticæ ſint, vi Cordis ceſſante, ſeſe ſtatim reſtituunt, & quidem eò majore niſu, quò magis diſtentæ fuerunt.

5. Sanguinis è Corde exitus, ſive Motus ejus Projectilis, ipſius Cordis *actioni*, non verò motui inteſtino Sanguinis (utì nonnullis viſum eſt) debetur:

quod quidem ita probatur. Liquida, quæ loco angusto contenta & coërcita, inde, vi motûs intestini partium suarum, per foramen apertum prorumpunt, & in Motum Projectilem aguntur, tripliciter suum consequuntur effectum; nempe, (1) si partes in motum satis violentum cieantur vi *caloris*: sed calor sufficiens ad istum motum producendum minimè datur in Corpore nostro; sic èt enim Sanguis è Corpore extractus, promoveatur ad eumdem caloris gradum, quem habere potest dum in Vasis nostris continetur, nihil tamen inde sequetur, præter ipsius putrefactionem: Prætereà Pisces Sanguinem frigidum habent, qui nihilominùs circulatur; & eô calefactô ipsi moriuntur. (2) Liquidum, in circumstantiis suprà dictis positum, in Motum Projectilem agi potest *vi* partium suarum *elasticâ*; nimirùm, si Liquidum aliquod elasticum in vase undique clauso condensaretur, aperto foramine statim pars quædam ejus prodiret: id autem minimè locum habet in Sanguine; quoniam elasticitas ab Atmosphæræ Corpus ambientis pondere compensatur, adeò ut sese nequaquàm expandere possit ad Motum Projectilem producendum: Porrò Sanguis in nostris Vasis contentus, ea-

dem vi ſuæ elaſticitatis expandere nequit, ob incumbentis Aëris externi preſſionem; ergo, quum ſit elaſticus, ſecundùm corporum elaſticorum indolem, vim ſuam exercet ubi minor eſt reſiſtentia, h. e., versùs Cor premit: in hoc autem continetur ejuſdem Fluidi portio, quæ agit æquali vi; ac proin nullus inde ſequi poteſt effectus. (3) Vi *fermentationis* produci poteſt liquidi Motus Projectilis: Jam verò ebullitio Sanguinis, quæ *fermentatio* dicitur, nunquam obſervatur in Corde.

6. Circulatio autem in genere Sanguinis tripliciter *acceleratur*; 1°. à Cordis ictuum frequentia; 2°. ab aucto Cordis robore; 3°. ab aucta mole ſanguinea, manentibus iiſdem Cordis ictibus; quia tunc tota maſſa eodem temporis ſpatio eumdem circuitum perficit, quem abſolvere debet minor copia: velocitas enim pendet à preſſione uniùs particulæ in aliam.

7. Hæc verò Circulatio *retardatur*, 1°. ab imminuta vi Cordis; 2°. à Vaſis laxioribus & minùs elaſticis; 3°. ab ineptitudine ipſorum Liquidorùm ad motum.

8. Sanguinis itaque *velocitatem* augent, (1) omnia quæ *vim* Cordis adaugent;

augent ; quod quidem fit, 1°. robur ipsi conciliando, 2°. simul reddendo Liquida ad motum idonea. Porrò nulla causa Sanguinis *velocitatem* auget, nisi Cordis contractionem augeat : excitant autem & augent eam quæcumque *genus nervosum* validiùs afficiunt ; qualia sunt olea aromatica, item corpora metallica, alcalina caustica, salina, nec non crystalli, &c. quæ Circulationem promovent, non quia fermentationem Sanguini inducunt, sed quia Vasa Nervosque stimulant, motusque oscillatorios adaugent. (2) Animi *affectus* violenti & calefacientes, ut ira, furor, &c. (3) Musculorum exercitatio *diuturna* ; nam ex frequenti musculorum actione, motus Sanguinis in Vasis inter musculos valdè promovetur. (4) Respiratio *aucta*, quæ, si sæpiùs iteratur, maximè facit ad accelerandum motum Sanguinis. Causæ verò Circulationem *retardantes* sunt modò traditis contrariæ.



CAPUT XII.

De Medicamentis.

1. QUum, pro variarum partium natura & Morbis, varia requirantur Medicamenta, ideò examinanda sunt horum *nomina*, *classes*, *natura*, *vires*, & *actiones*; in quibus agendis ordo duplex observari potest: nempe, vel (1) enumerando ordine alphabetico singula quæque Simplicia, unà cum eorum viribus, usu, &c.; hæc verò methodus, tanquàm minùs utilis, rejicienda est: (2) simul enumerando omnia illa Medicamenta, quibus eadem attributa, eosdemque effectus convenire ex Historia Naturali constat. Hac autem methodo GALENUS primus usus est, (& post hunc alii plurimi, ut ORIBASIUS, ÆGINETA, ac deinde omnes Botanici) reducens Medicamenta omnia ad certas Classes; atque sic Vires Medicamentorum omnium quadruplices esse statuit; nimirùm, (1) Vires medicas *elementarias*, (2) *materiales*, (3) *singulares* sive *speciales*, (4) *substantiales incognitas*, experientiâ verò solâ cognoscendas.

Quid autem 1°. per Vires *elementarias* voluerit, ſtatim apparebit, ejus mente cognitâ: Dicit enim, illud quod in rerum Natura corpus unum ab alio diſtinguit, vocari *Qualitatem*; ergo tot eſſent *Qualitates*, quot diverſa corpora: Hæ porrò ſunt quatuor, juxta GALENUM; ſcilicet, Humidum, Siccum, Calidum, & Frigidum; quapropter corpora omnia ad quatuor Claſſes reduxit. Quum verò iſtæ *Qualitates* rarò ſeorſim & ſingulatim inveniantur, ideò quatuor illarum combinationes, *Temperamenta* dictas, addidit; nempe, Calidum & Humidum, Calidum & Siccum, Frigidum & Humidum, Frigidum & Siccum. Corpora quæ unam ex quatuor ſimplicibus poſſidebant, *Elementa* vocavit; quæ porrò exinde quatuor ei videbantur, ſcilicet, Aër, quia ſiccus; Aqua, quia humida; Ignis, quia calidus; Terra, quia frigida. Ex hiſce ſuprà dictis videbantur ipſi omnia corpora componi, & pro ratione illarum *Qualitatum* agere: Idem affirmabat de Medicamentis; hinc illorum Vires in quatuor Claſſes diſtributæ fuerunt. Ex his quatuor, pari quantitate commixtis, conflata, *Elementaria* vocavit, ut & Corpus noſtrum *elementatum*; & à prædominio cujuſlibet ex Ele-

mentis Morbos oriri asseruit. *Gradus* quòque quatuor esse voluit, secundùm quos hoc, illud-ve Elementum prædominaretur: Medicamenta quæ Corpori sano applicata, nullam mutationem in eodem producebant, *primi* gradûs esse dixit; ex. gr., Violæ & Rosæ frigidæ & humidæ in *primo* gradu dictæ sunt: hæ tamen in frigido morbo nocere queunt. *Secundus* gradus est, quando Medicamenta Corpus sanum aliquô modô afficere vel mutare, non autem lædere, possunt. *Tertius* gradus est, si vis eò accedat, ut sanum Corpus non destruat, sed ipsi noceat, idque morbosum reddat: & hæc Medicamenta adhibenda censuit, quando Morbus in eodem gradu ægrum occupat. *Quartus* gradus est deleterius; v. gr., in Euphorbio, Venenisque cæteris, quæ, si applicentur Corpori, illud ita afficiunt ut mors inde sequatur.

Vires *materiales* vocavit 2°. GALENUS eas, quæ pendent à proportione quadam inter ipsas & Materiam existente: hinc, etiam distinguebat Vires *materiales* ab *elementariis*, tanquàm Corpori proprias; illasque *manifestas* appellavit, quia compositæ sunt, & composita magis conspicua sunt quàm simplicia: Materia enim componitur ex duobus *Elementis*, ad mi-

nimum; ideòque conspicua magis est, quàm ipsa *Elementa*. Secundùm hanc expositionem, Herba emolliens dicitur *laxare & emollire* simul, Viribus *materialibus*; *calefacere* verò, vi *elementari*, sive calore.

Vim *specificam* 3°. pendere voluit ex his duabus præcedentibus, variis modis inter se combinatis; eaque Medicamenta hac vi prædita esse voluit, quæ peculiari alicui parti propria sunt, aut peculiari alicui operationi destinantur; talia sunt Purgantia quæ *specificum* liquorem, ut Serum, Bilem, Menses, &c. evacuant; tum quæ cicatrisant, quæ carnem generant, &c. Hæc omnia agere dixit propter vires *specificas*.

4°. Per Vires *substantiales incognitas*, intellexit eas, quæ nullâ aliâ ratione investigari possunt, præterquàm experientiâ; talis est vis Opii *soporifera*, quæ neque ex ejus humiditate, neque calore, neque siccitate, nec frigore, sed *experientiâ* tantùm probatur.

Itaque patet ex dictis, errasse GALENUM in eo, quòd per illas *Qualitates* solas conatus sit omnium Medicamentorum effectus explicare; quod quum non potuerit in Antidotis, Alexipharmacis, Topicis, &c. hæc *divina* & *incognita* vo-

cavit: Præterea deceptus est in eo, quòd tantùm quatuor *Qualitates* admiserit; aliæ plurimæ licèt enumerari possint.

2. *Medicamentum est corpus, quod Corpori nostro viventi applicatum, statum ejus morbosum tollit.* Jam verò Medicamentum omne considerari potest, vel (1) quatenùs in *Solida* agit; vel (2) quatenùs in *Liquida* sola operatur; vel (3) quatenùs in *utraque* simul vim suam exerit: Proinde ad has tres Classes generales omnia reduci possunt.

Porrò quæ agunt in Solida, hæc operantur, vel 1°. resolvendo & destruendo eorum texturam & cohæsionem, vel 2°. Canales obstruendo, dilatandoque, & eorum laterum figuram mutando.

Quæ autem agunt in *Fluida* sola, hæc agunt, vel 1°. proprietates eorum alterando; vel 2°. eadem è Corpore educendo. At verò cuncta ferè Medicamenta tàm in *Solida*, quàm in *Fluida* vires suas exerunt; vix enim alterari possunt Fluida, quin simul aliquâ ratione afficiantur Solida, & vice versâ: attamen actiones Medicamentorum, quatenùs ad Fluida spectant, considerari possunt non consideratis iisdem quatenùs Solida afficiunt, ac etiam vice versâ; pari omninò ratione, quâ Mathematici corporis longitu-

dinem considerant solam, nullâ ratione habitâ vel superficiei, vel soliditatis; licèt seorsim non existant. Ut autem sequentia clariùs intelligantur, præmittenda sunt *THEOREMATA* quædam.

THEOR. I. Levissimus solus *motus externus*, & purè *mechanicus*, potest omne mutationum genus in Corpore nostro producere, quod adhuc Medicamentum ullum produxit. Supponamus enim hominem quemdam perfectè sanum esse, plumamque in ejus Naribus leniter agitari; non poterit ille uno momento se continere absque motu Corporis convulsivo, ut flexurâ, sternutatione, &c. Si autem consideremus, quantô musculorum numerô, vi, & nisu fiat *sternutatio*, admirabimur causæ levitatem; hæc enim actio peragitur motu violento musculorum scapulæ, abdominis, diaphragmatis, thoracis, pulmonum, &c. prætereà, si actio perseveret, orietur liquidorum expulsio universalis; nempe, expressio lacrymarum, muci, salivæ oris, palati, & asperæ arteriæ; item excretio urinæ, sudoris, &c. Hinc igitur, absque ullo Humido, Sicco, Calido, Frigido, Sulphureo, Salinis, & similibus, potest, applicatione solâ *plumæ* ad interna Narium, induci omnium Soli-

dorum & Fluidorum motus in Corpore nostro: Jam verò si sternutatio talis diu perstet, ut solet ab assumptione $\frac{1}{100}$ partis grani Euphorbii intra nares, oriuntur graves convulsiones diuque durantes, ut & cephalalgiæ, urinæ ac alvi excretiones involuntariæ, vomitus, æstus febriles, aliaque dira phænomena, tandemque mors ipsa.

THEOR. II. Si jam tanta mutatio in Corpore nostro fiat à *levi* & *externo motu*, quid non accidere potest, si Nervi interiùs afficiantur? Hinc igitur patet, levissima corpora summoperè Corpus nostrum *mutare* posse. Licèt verò nullum corpus agere queat in Solida, quin Fluida simul afficiat, & vice versâ, distingui tamen possunt Medicamenta, in ea quæ *immediatè* sive *primariò* Solida, Fluida verò *mediatè* & *secundariò* afficiunt, ac vice versâ.

THEOR. III. Ex hoc *mechanico motu* omnia nostra Liquida, quamvis nìhil iis internè accidat, *mutari* posse patet; prout ex casu modò memorato constat.

THEOR. IV. A solo *motu* Spirituum Animalium *mutato* (absque ulla impressione à corpore vel externo vel interno, contactûs ope, communicata) oriri queunt omnes effectus, quos in re medica

dica quilibet Medicamento adſcribere poteſt. Supponamus enim hominem, cæteròquin ſanum, irritationi *generis nervoſi*, ſive affectui hypochondriaco, obnoxium; huic, in optima ſanitate, ſi detur occaſio iræ, metûs, triſtitiæ, ſumma ſtatim orietur *mutatio* in ejus ſtatu: nam quod anetà per poros Cutis ad pondus circiter quinque librarum, horarum 24 ſpatio, perſpirare ſolebat, jam, mutato curſu, per Renes viam ſibi quærit; quin etiam inde turbantur Vaſa trajectoria, ſecretoria, & excretoria. Quis autem novit aliquod Diureticum quod tantis polleat viribus? Prætereà liquor iſte per hanc viam excretus, non eſt Urina, ſed mera Lympha, ſale, ſpiritu, odore, & colore Urinæ in Corpore penè relictis. Pari ratione homines interdum in *diarrhœam* ex metu conjiciuntur. Ex ira etiam magna copia *Bilis* quandoque rejicitur. *Sudores* quòque ex metu ſæpiùs oriuntur. *Vomitus* in quibuſdam excitatur ab objecti nauſeabundi aſpectu, vel fabulæ nauſeabundæ narratione; his enim primò oritur ructus, deinde nauſea, expreſſio ſalivæ, convulſio ventriculi, vomitus, & nonnunquam alvi ſudoriſque excretio. Omne quòque evacuationum genus ſolo Cor-

poris *motu insueto* solet excitari: sic primâ vice navigantes, sive jejuni, sive cibis referti sint, pallidi primò fiunt & anxii, paulò pòst nutant, vertigine corripiuntur, tandemque vomunt. Inde patet, Machinam nostram ita comparatam esse, ut licèt illi nihil à quovis corpore contingat, tamen ex motu mechanico Spirituum perverso, iis omnibus effectibus affici possit, qui à Medicamentis produci solent.

THEOR. V. Motus ille tam mirificus excitari potest in nobis à *particulis* corporum *insensibilibus*, Machinæ nostræ applicatis: ita nonulli homines, simul ac ingrediuntur cubiculum in quo felis, mus, caseus-ve fuerit, licèt non in conspectu, tamen in sudores conjiciuntur, & quandoque lipothymiam patiuntur, quidam verò concidunt; & hystericæ mulieres ex odore moschi statim malè se habent.

THEOR. VI. Medicamenta dividi possunt in partes adeò *minutas*, ut imaginationis vim penè eludant, quæ tamen singulæ retinebunt vires quæ quidem erant anteà propriæ toti moli: hujus rei tria dabimus exempla, ex tripliciRegno, nempe, Minerali, Animali, & Vegetabili desumpta.

(1) Conſtat experimentis à Metallorum exploratoribus ſæpiùs factis, quòd ſi granum unum *Auri*, per fuſionem, exactè admiſceatur cum Argenti librâ, ſingula grana Argenti participabunt aliquid Auri; idemque etiam eveniet, ſi milleſima pars grani Auri cum dicto Argenti pondere commiſceatur: attamen Aurum, in tantas minutias redactum, vires & proprietates Auro particulares retinet; & iſtud exinde patet, quòd iſtæ minutiæ in unum iterùm corpus verè *aureum* colligi poſſint: Hoc etiam aliô modô probatur. Si enim *Auri* gran. 1. in Aquæ Regalis unciis x ſolvatur, nulla erit liquoris gutta, quæ non habeat in ſe particulam Auri, ut ex ſapore conſtabit: ideòque, cùm nulla ſit, in eo caſu, proportio inter liquidum & metallum, neceſſe eſt, ut metallum in tenuiſſimas partes dividatur; ſed interim manet immutatum, ut ex ejus præcipitatione, & in Auri formam reductione patet. Si verò, locô Auri, ſumatur *Cuprum*, res adhuc fiet clarior; Cuprum enim totum menſtruum imbuet viridi colore. Ex dictis ergo patet, quare corpora *metallica* diſſoluta & in liquidorum formam redacta, tam pertinaces producant effectus; nimirùm, quia ſingulæ particulæ figuram

ſuam ſervant, rigidæ & immutabiles permanentes, quod quidem in Vegetabilibus locum non habet.

(2) Ut verò ſciamus in quàm *minutas* partes dividi poſſint ea quæ ex Regno Animali deſumuntur, experimentum à BOYLEO in hunc finem inſtitutum exhibebimus. Ille *ſericeum* involucrum *Bombycis* evolvebat, idque 300 ulnas longum comperuit eſſe; idem verò ex duplici filo conſtare detexit LEEUWENHOEKIUS: erat igitur 600 ulnas longum, & duo tantùm grana pendebat; atque ita validum erat, ut duo grana ſuſpenſa ſuſtineret. Ex his autem ac ſimilibus exemplis facillimè colligi poteſt magna partium Animalium diviſibilitas. Hanc etiam demonſtrant Odorifera omnia, præſertim *Caſtoreum*; id enim bilanci impoſitum, per quatuor dierum ſpatium, nihil ponderis amiſit; interim tamen in ſphæram trium circiter pedum exhalationes continuas & odorem inſignem ſpargebat, novoque aëri expoſitum, eumdem, intra duo minuta, ſuo inficiebat odore, ſine ſenſibili ponderis jactura.

(3) Ex Vegetabilibus, ſi ſumatur *Extracti Croci* gran. 1. & in Spiritûs Vini uncias x injiciatur, totum Spiritum

tinget, & guttula quælibet odorem & ſaporem *croceum* præ ſe feret. Ex dictis igitur patet, partes Medicamentorum eò uſque *comminui* poſſe, ut captum noſtrum ſuperent; & quidem, licèt hæ partes ſint diaphanæ, ſenſuſque fugiant, nihilominùs effectus notabiles in Corpore noſtro producere valent: Quippe pro exemplo poteſt eſſe *Vitrum Antimonii*, cujus ſi ſcrup. j. Vini libr. viij. infundatur, & digerantur ſimul, Vinum adeò vehementer *emeticum* evadit, ut ejus unciæ iv epotæ Ventriculum in motus ita convulſivos adigant, ut penè invertatur; cùm tamen de Antimonii Vitro, quod in fundo vaſis manet indiſſolutum, nihil omninò deceſſiſſe deprehendatur: Idem etiam obtinet in *Croco Antimonii*, &c. (*a*)

(*a*) In unoquoque igitur Medicamento quemdam conſtat ineſſe *Spiritum*, qui ab Alchemiſtis *Filius Solis*, *Proles Ignis*, *Ignis internus rerum* vocatus eſt, nunc autem *Spiritus Rector* vulgò dicitur; ex quo quidem *ſolo* dependet *tota* Medicamenti *vis* & *ἐνέργεια*. Hic verò Spiritus (cujus ſedes *oleum* rei) quantitate adeſt tam exiguâ, ratione totius molis, ut fidem omnem ſuperet. Confer omninò, de hoc Spiritu, AUCTORIS noſtri *Elementa Chemiæ*, *Tom. I. pag.* 41. 42. 43. 174. 258. & *Tom II. pag.* 10 11. *edit.*

THEOR. VII. Medicamentorum particulæ prout *variis* applicantur Nervis, *varios* effectus habent. Pro exemplo sit *Turbith Minerale*, quod ex Oleo Vitrioli & Mercurio conficitur; si enim hujus semi-granum naribus indatur, omnes Secretiones violentas reddit; si detur internè, languorem & angorem excitabit; si verò majori quantitate, ut ad 8 gran. adhibeatur, secessum, vomitum, & sudorem movebit, nervosumque genus admodùm irritabit: De qua re BOYLEUS narrat, Tribunum Militum quemdam ca-

Parisin. & alibi passim. Quin etiam notatu dignum hìc loci videtur, clarissimum AUCTOREM, in suis Prælectionibus Academicis *de Medicamentorum Viribus*, quum de *spiritu rectore* dissereret, dixisse, (licèt istud omissum fuerit in prima hujusce Tractatûs editione) jam quidem SENDIVOGIUM, quem vulgò COSMOPOLITAM vocitant, veritatem hanc annotasse; nempe dum asseruit, quòd „in unoquoque Corpore centrum sit certusque locus, in quo *sperma* hæret, & „ubi est semper tanquam *punctum*, i. e., „quasi circiter octies millesima & ducentesima pars corporis, quantulumcunque hoc „sit, imò & in uno grano Frumenti; & „istud aliter esse nequit, &c." Vide COSMOPOLITÆ *Novum Lumen Chymicum*, Tract. III. *De vera & prima materie Metallorum*, editionis gallicæ, *pag.* 15.

taractâ laborasse, hujusque Turbith ope, ad gran. 1. formâ sternutatorii exhibiti, curatum esse, excitatis primùm tumore Capitis, Alvi dejectione, Sudore, &c. Vide Tractatum BOYLEI *de Utilitate Philosophiæ.*

THEOR. VIII. Pro *varia* igitur applicatione Medicamenti, *varii* sequuntur effectus, quos novimus solùm à posteriori: Si autem conjecturis locus sit dandus, forsitan hæ considerationes non erunt spernendæ. (1) Major, minor-ve alicujus Nervi nuditas facit ad majores, minores-ve, ac etiam diversos, effectus adeò violentos producendos: quippe tunica quæ Nares investit, nervosa est expansio, nullisque ferè involucris tegitur; & omnis Nervus quando sensilis evasurus est, abit in substantiam mollem & mucosam; quod quidem hoc in loco maximè fit. (2) Quò Nervi sunt origini suæ propiores, eò magis sensibiles extant, & hinc faciliùs à remotioribus irritantur: Sic, ex gr., Nervi Olfactorii à *turbith*, in modum sternutatorii exhibito, valdè irritantur; quum idem alibi Nervis applicatum, vix quandoque sentiatur. (3) Communicatio uniùs Nervi cum aliis potest effectus Medicamenti *variare*: nonnulli enim Nervi, diversâ origine


orti, sæpè concurrunt & communi nodulo colligantur; sed quum omnibus iidem non sint concursus, hinc idem Medicamentum in *variis* Hominibus *diverso* modo agit. (4) Prout Nervus, cui Medicamentum aliquod applicatur, tendit ad Glandulas, Emissaria, Emunctoria, Medicamenti effectus *variantur*.

CAPUT XIII.

Classes Medicamentorum.

SEcundùm ea quæ paulò antè dicta sunt, omnia Medicamenta, ex ipsorum prima divisione, in *tres* Classes distribuuntur.

I. Classis est eorum quæ in *Solida* operantur: (intelligimus autem per *Solida*, partes illas nostras *ultimas*, CAP. IV. explicatas.) Medicamenta porrò in hæc agunt, ea valdè movendo, non destructâ tamen eorum cohæsione. Ex. gr., sint A B duæ partes *ultimæ*, cohærentes ad C D; hæ moveri possunt absque separatione, vel solutione.



Medicamenta hujus Classis sunt, 1°. *Sti-*

mulantia. 2°. *Contrahentia*, i. e., quæ faciunt ut Solida minorem habeant longitudinem, crassitiem verò majorem; ita tamen ut eorum cohæsio non destruatur: adeòque Medicamenta Contrahentia partes incrassant, easque magis firmiter connexas reddunt. 3°. *Laxantia*, quæ partes laxè cohærentes reddunt, ita ut mobiles, flexiles, dilatabiles, & tenuiores fiant. 4°. *Constipantia*, quæ capacitatem Canalium minuunt. Ad hæc autem referenda sunt, (α) *Emplastica*, sive omnia quæ glutinis instar Canalibus adhærent; (β) *Illinentia*, quæ Emplasticis magis fluida sunt; (γ) *Obstruentia*, quæ non tantùm angustiores reddunt Canales, sed etiam implent. 5°. *Chirurgica specifica*, ut *Sarcotica* sive Carnem generantia, *Cicatrisantia*, & similia. 6°. *Solventia*, quæ dividi possunt in sex Classes; nempe, (α) *Rubefacientia*, quæ levem inflammationem producunt; (β) *Vesicatoria*, quæ Vasa Lymphatica suâ actione destruunt; (γ) *Escharotica*, quæ non tantùm Vasa minima, sed & Cutim ipsam consumunt; (δ) *Corrodentia*, quæ omnia, quibus applicantur, absumunt; (ε) *Caustica*, quæ partes adurendo destruunt; (ζ) *Pu-*

trefacientia, quæ partes noſtras in putridum liquamen convertunt.

II. Claſſis complectitur Medicamenta quæ in *Fluida* agunt; nempe, vel totam Fluidi maſſam afficiendo, vel particularum quarumdam Fluidi molem aut figuram mutando. Talia ſunt, 1°. *Attenuantia*, quæ particularum molem minuunt. 2°. *Condenſantia*, ſive *Incraſſantia*, quæ molem particularum augent. Hæc tamen quoad modum operandi diſtingui poſſunt: *Condenſatio* enim fit à corpore comprimente partes anteà liberas, quæ verò inde coaleſcunt, & in majores moleculas abeunt; iſtud autem oritur à cauſa externa condenſante & comprimente, ut ab externa preſſione Aëris frigidi; atque ſic hyeme Aqua congelatur: *Incraſſatio* verò fit, quum hæc partium combinatio contingit propter privationem partis liquidioris à calore diſſipatæ. 3°. *Acrimoniam inducentia*, ſcilicet, ex mutata molecularum figura. Cæterùm *acria* ſunt, quæ motum ſuum per pauca puncta communicant; adeòque *acerrima*, quæ per unum tantùm: horum autem natura ſuperiùs conſiderata fuit; quin & obſervatum eſt, omnes particulas Fluidorum noſtro-

rum obtusâ figurâ præditas esse. Huc pertinent *Putrefacientia* nostra Liquida. Jam verò *putrefactio* Liquidorum accidit, quum eadem, à partium attritu mutuo, acria redduntur, nimisque velocia, & ex dulcibus fœtida; qui fœtor plerùmque ab Oleo volatili, per Salem acri reddito, procedit: hunc in modum quilibet fumus cum sale ascendens, Nares ingrato odore ferit. 4°. *Demulcentia*, quæ antecedentibus contraria sunt, eaque temperant, obtundendo scilicet eorum spicula. 5°. *Immutantia*, quæ quidem ita Liquida mutant, ut tamen mutationis modum nesciamus: hoc dubium genus est, ad quod referenda sunt omnia quorum operandi modus nos latet. 6°. *Diluentia*: hæc verò *totam* Liquidi massam spectant, quum antecedentia in ejus particulas *speciatim* agant; & sunt illa, quæ Fluidis nostris commissa, partes eorum cohærentes à contactu dimovent, aliasque particulas cohæsionem impedientes interponunt. 7°. *Coagulantia*, quæ partes fluidas coalescere faciunt, scilicet, vel diffiando diluens, vel addendo glutinans, vel partes inter se compingendo. 8°. *Moventia*, quæ particulis motum imprimunt. 9°. *Sistentia*, quæ earumdem motum

minuunt, & toti massæ quietem inducunt.

III. Classis est eorum quæ in *Solida* & *Fluida* simul operantur. Hæc autem in 5. Classes dividuntur; in quibus verò continentur omnia Medicamenta, de quibus Veteres, à posteriori ratiocinantes, mentionem fecerunt.

1. Classis complectitur antecedentes Classes, quatenùs sub iis contenta Medicamenta actionibus combinatis agunt, [atque Circulationem Sanguinis, nec non Secretiones in genere, vel promovent, vel debilitant ac retardant. Huic etiam Classi annumeramus ea quæ Secretiones Peculiares cient; qualia sunt *Galactophora*, & *Spermatopœa*.]

2. Classis includit omnia quæ promovent Excretiones è quibuscumque Corporis nostri partibus. Quoniam autem varii Liquores, diversis in locis, excernuntur, variæ sunt etiam Classes eorum quæ cient Excretiones; nempe, (1) *Lacrymas moventia*. (2) *Apophlegmatizantia*, quæ Narium Mucum educunt: Huc etiam referuntur *Sternutatoria*, quæ propriè Serum è Naribus eliciunt. (3) *Sialogoga*, quæ Salivam educunt: talia verò sunt vel *externa*, ut Masticatoria, vel *interna*, ut Mercurialia, & Vomito-

ria. (4) *Expectorantia*, quæ Phlegmatis è Pulmone excretionem promovent. [(5) *Purgantia per Alvum:* quæ verò ſub ſe continent 1°. *Eccoprotica*, quæ, motum Inteſtinorum leviter adaugendo, Alvi Fæces eliminant, & vix quicquam aliud, aut ſaltem valdè parum; hæc autem in 3 claſſes dividuntur, ſcil. (α) *Lubricantia*, quæ parietes Inteſtinorum lubricant; (β) *Diluentia*, quæ Fæces diluendo movent; (γ) *Laxantia*, ſeu *Lenitiva*, quæ, leviter Inteſtina ſtimulando, Fæces inde expellunt, abſque tamen reliqui Corporis turbatione:] 2°. *Phlegmagoga*, [quæ Lympham pituitoſam educunt:] 3°. *Cholagoga*, quæ Bilem ejiciunt: [4° *Hydragoga*, quæ Sanguinem in Serum diſſolvunt, ſolutum velociùs movent, ut majori copiâ ad Inteſtinales Glandulas applicetur, tumque foràs amandant.] 5°. *Melanagoga*, quæ Atram Bilem expellunt. [Hæc verò ſunt 5 Genera *Purgantium per Alvum.* Porrò ad iſtam ſecundam Claſſem pertinent adhuc (6) *Vomitoria*, quorum vi ea quæ continentur in Ventriculo ſursùm per Gulam & Os ejiciuntur.] (7) *Diuretica*, quæ Urinam movent. [(8) *Sudorifera*, quæ Liquida per Tubulos Cutis ſenſibiliter expellunt.] (9) *Diaphoretica*, quæ Perſpiratio-

nem promovent. [(10) *Uterina*, sive Medicamenta Utero dicata: hæc autem in 3 Genera dividuntur, scil.] 1°. *Emmenagoga*, quæ Menstrua pellunt; 2°. *Aristolochica*, quæ Lochia eliminant; 3°. *Ecbolica*, quæ Abortum procurant, Partumque facilem reddunt.

3. Classis continet plurima quæ à Veteribus confusè tradita erant; ut (1) *Aperientia*, quæ Meatus obstructos aperiunt. (2) *Resolventia*, & *Discutientia*, quæ Humorem, vel in Vasis, vel extravasatum, stagnantem, aut coagulatum, resolvunt & ad fluxum disponunt, Solidaque stimulant ad Humoris propulsionem. (3) *Emollientia*, quæ rigidas partes magis flexiles reddunt, i. e. Solida laxant. (4) *Adstringentia*, seu *Styptica*, & *Indurantia*, quæ Vasorum latera magis ad se invicem accedere faciunt, Vasorum aperturas claudunt, robur ac rigiditatem Fibrarum augent & laxas partes firmiores reddunt. (5) *Detergentia*, quæ induratas sordes liquant, & expellunt, nec non fibras mortuas auferunt absque dolore. (6) *Catharteria*, seu *Emundantia* [vel *Mundificativa*,] quæ majori vi detergunt, ad interiora magis penetrant, Carnem sanam etiam extergentia. (7) *Erodentia*, quæ sunt quòque Detersiva & Mundificativa, sed po-

tentiſſima ; nam vivas & ſanas partes tantùm non auferunt. (8) *Calefacientia*, quæ Corporis Calorem augent. (9) *Refrigerantia*, quæ Calorem præternaturalem tollunt. (10) *Attrahentia*, quæ Humores ex loco in locum derivant. (11) *Repercutientia*, quæ Liquidum in parte aliqua externa hærens intùs propellunt. (12) *Expurgantia*, quæ in Vaſis concreta reſolvunt, & expellunt. (13) *Suppurantia*, quæ concretum Humorem diſſolvunt, & ad exitum diſponunt. (14) *Maturantia*, quæ reſolutum Liquidum æquale & homogeneum reddunt, ita ut faciliùs educi poſſit.

4. Claſſis varia ſimiliter complectitur; nempe, *Topica*, quæ vires ſuas exerunt quatenùs loco Corporis particulari applicantur, eidemque ſpecificè conducunt. Hæc verò, pro diverſis Corporis partibus, in Genera ſequentia diſtribuuntur. (1) *Cephalica*, quæ dicata ſunt Morbis Capitis. Hujus verò Morbi omnes doloroſi pendent ab imminente ruptura, propter Membranarum Cerebri tenſionem; quæ & ipſa, vel à diſtentione, ex nimia Sanguinis aut alîus humoris copia orta, vel ab obſtructione pendet: adeòque tunc Laxantia, Temperantia, Refrigerantia, & Minuentia conducunt; quippe quæ *Cephalica* fiant. (2) *Ophthalmica*, quæ

Oculorum Affectibus medentur; taliaque sunt vel calida, vel frigida. (3) *Odontalgica*, quæ Dentibus dolentibus succurrunt; qualia sunt Caustica, Erodentia, &c. ipsi Nervo applicata. (4) *Otalgica*, quæ Dolores Aurium sedant, & fibras valdè tensas laxant; etenim nullæ membranæ plùs tendi solent, quàm Tympanum & illa quæ Meatum Auditorium investit: Hîc autem adhiberi debent Calida, ut Aqua aut Lac tepescens, & quandoque etiam frigida, quæ vitiis à Cerumine Aurium ortis medentur. (5) *Stomatica*, quæ spectant ad inflammationes Oris, Gingivarum, Palati, Faucium Hæ verò inflammationes eodem modo curantur ac aliæ: porrò si gangræna adsit, sanatur Oleo Tartari; alioquin alcalina non prosunt, quippe quæ Dentes corrodant. (6) *Arteriaca*, quæ Fistulæ Pulmonali exasperatæ statim medentur, illam nempe emolliendo ac leniendo: istud autem obtinetur Oleo Amygdalarum, nec non Eclegmatibus sive Linctibus; hæc tamen non semper prosunt, quoniam dicta *asperitas* sæpe ab obstructione Glandularum internarum oritur; quo in casu magis conferunt cùm Vapor Aquæ calidæ Ore receptus, tùm varia Decocta emollientia, ex Hordeo, Glycyrrhiza,


Glycyrrhizâ, Malvâ, & ſimilibus parata. (7) *Thoracica* ſeu *Pulmonica*, quæ acrem materiam Pulmonibus impactam obtundunt, viaſque laxant: & reverâ hæc in Humorum tenuitate juvant; at nocent in Peripneumonia pituitoſa quæ neque Sulphuri, neque illius Balſamo cedit, Spiritûs verò Sulphuris per campanam viribus aliquatenùs deprimitur. (8) *Cardiaca*, quæ vel frigida ſunt, vel calida: nam in nimio fervore & æſtu, ad refocillandum, adhibentur frigida Acida, ex Citri ſucco, Vino Rhenano, &c.; ſed in frigido ſtatu Aromatica conducunt, quæ, ſubitò replentia, locum partium avolatarum ſupplent, ac Solida quòque ſtimulant. (9) *Stomachica*, quæ etiam vel frigida ſunt, vel calida: nam in Ventriculi calidis Affectibus, Poma Citria, Succus Limonum, Acetum, & ſimilia proſunt; in frigidis autem calida. (10) *Splanchnica*, quæ Viſcerum obſtructiones reſerant: inter quæ locum primum obtinent Aquæ Minerales Chalybeatæ, ut & omnia quæ ex Marte & Mercurio componuntur, nec non Diſſolventia, & Aromatica. (11) *Inteſtinalia.* Hæc verò duplicia ſunt; nempe, 1°. *Carminativa*, quæ Flatus diſcutiunt. Flatus autem ſunt partes aëris elaſticæ, in-

terceptæ inter duas extremitates ſpaſmo contractas & occluſas; ibi quippe rareſcit ac ſe expandit aër, & à diſtenſione oritur dolor; ad quem tollendum primariò requiritur, ut aër è ſuo carcere liberetur, ne à nimia partium diſtenſione oriantur Inflammationes, Sphaceli, Gangrænæ, Herniæ, &c. Ideò *Carminativum* omne agit, extremitates illas tantummodò reſerando: licèt Veteres putaverint *Carminantia*, ex ſe, Flatus diſcutere; quum reverâ tollant ſolummodò actionem ſpaſmodicam: adeòque truculenta hæc Symptomata non venenoſæ acrimoniæ, ſed ſoli diſtenſioni & ſpaſmo tribuenda ſunt; unde nullum feliciùs datur *Carminans*, quàm Opium ipſum, & Medicamenta quæ ſpaſmorum cauſas deſtruunt, Spiritus Animales compeſcendo, vel acidum involvendo: nam ſi ſupponamus, hominem Arſenicum ſumpſiſſe, tumebit ejus abdomen ad crepaturam uſque; hic verò tumor ab aſſumpto quodam Oleo, quod acidum, huncce ſpaſmum creans, involvere poteſt, ut Oleo Tartari per deliquium multâ Aquâ diluto, ſtatim tollitur: atque ſic quando Colicæ ſpaſmodicæ invadunt fœminas hyſtericas, (quibus admodùm ſunt familiares; & quidem haud rarò anus ip-

ſis ita clauditur, ut fiſtula clyſteris immitti nequeat; interdum etiam Ventriculi orificium obſeratur,) tunc, inquam, optimum remedium eſt Opium, Caſtoreum, vel Galbanum in Aqua calida ſumptum. *Inteſtinalium* Claſſis continet 2°. *Anthelminthica*, quæ Vermes in Ventriculo & Inteſtinis latentes necant: talia ſunt Emetica, & Purgantia fortiora; dein aſpera corpora, ut ſunt Capita ſpinoſa Anguillarum, cum butyro juncta, & jejunô Sthomacô deglutita; inſuper Conchylia groſſô modô contuſa, aut Oſtreorum Conchæ, quæ Vermes iſtos vellicant, necant, aut fugant. (12) *Hepatica*, quæ nihil aliud ſunt, quàm Aperientia: talia verò ſunt omnia Salina non acria, ſed attenuantia; v. gr., Sal Tartari, Sal Polychreſtus, &c. (13) *Cyſtica*, quæ Veſicam Felleam depurgant: qualia ſunt Cathartica, & Emetica. (14) *Splenica*, quæ Lieni ſunt dicata: hæc autem ſunt Aperientia. (15) *Meſenterica*, quæ Meſenterio dicantur; ſuntque vel ſalina, vel ſaponacea, vel aromatica, vel ſtimulantia. (16) *Nephritica*, quæ vel Calculum frangunt, *Lithontriptica* dicta, vel eum expellunt: an verò dentur quæ prius iſtud agant, meritò dubitatur. (17) *Hyſterica*, quæ

Utero conducunt; suntque vel stimulantia, vel topica, vel antispasmodica. (18) *Arthritica* sive *Neurotica*, quæ *specificè* in Nervos, & in Ossium membranas, Articulorumque ligamenta agere dicuntur. (19) *Anodyna*, quæ Dolorem tollunt; hæc sub se complectuntur *Paregorica*, *Hypnotica*, & *Narcotica*: De quibus autem vide suô locô.

5. Classis continet *Antidota*, sive *Alexipharmaca*, quæ Venenis *specificè* resistere dicuntur. Porrò, cùm *Venena* tripliciter agant; nempe, 1°. quatenùs Solidis spasmum inducunt; 2°. quatenùs Liquida nimis attenuant, vel coagulant; 3°. quatenùs Vasa disrumpunt, & Liquida stagnare faciunt; hinc & *Antidota* sunt triplicia, nempe, quæ vel in Solida, vel in Fluida, vel in utraque simul operantur. Jam verò plurima Venena vi acrimoniæ suæ agunt: si enim Cani unciæ duæ Vitrioli dentur, statim in ejus Ventriculo calor intensus, erosio, spasmus excitabuntur, & hæc symptomata tollentur ab Antidotis acrimoniam destruentibus; qualia sunt Aqua, Oleum, vel corpus aliquod gelatinosum, &c. Nulla quippe dantur Antidota quæ Venena *specificè* destruant, aut agant aliâ ratione, quàm mechanicâ.



PARS PRIMA.

DE MEDICAMENTIS IN SOLIDA OPERANTIBUS.

CAPUT PRIMUM.

De Stimulantibus.

1. HActenùs de variis Medicamentorum Classibus actum est. Jam igitur accedamus ad historiam magis peculiarem cujuslibet tituli: ac 1°. quidem differendum est de iis, quæ in *Solida* operantur; inter quæ primum locum *Stimulantia* tenent. *Stimulans* autem est illud, *quod Fibræ Motricis oscillatorios motus auget*. Porrò ut augeatur oscillatio Fibræ, requiritur ut augmentum motûs concilietur isti Fibræ ad punctum unde oscillationis augmentum incipit: Jam verò augmenti motûs causa potest esse duplex; nempe, 1°. Particula libera Vasi non annexa, impetu proprio ruens in illud punctum: hæc enim idem

extra ſuum naturalem ſitum pellet; particulæ verò impulſu ceſſante, Fibra ſtatim ſe contrahet, ut punctum è loco pulſum iterùm reſtituatur; & quidem eò magis ſe contrahet, quò dictum punctum longiùs è ſitu ſuo remotum fuerit: cauſæ autem hujuſmodi effectûs non diu durant, ſed citò evaneſcunt. 2°. Cauſa altera, & cujus effectus magis durabiles ſunt, eſſe poteſt particula lateribus Vaſis infixa, vel internè à prælabente Fluido, vel externè à cauſis externis. Quando autem de *Acribus* egimus, modum explicavimus quo particulæ Fibris infixæ eas ſtimulant.

2. Conditiones in omnibus *Stimulantibus* ſunt, (1) Ut tam tenue ſit Stimulans, ut intra Canales minimos ire, eorumque poris minimis ſemet infigere queat. (2) Ut tantâ *acrimoniâ* ſit præditum, ut ſibi in Canalium lateribus aperturam facere poſſit, intra quam ſemet inſinuare valeat. (3) Ut hoc Acre nec non Tenue tam *longum* ſit, ut jam infixum eminere queat extra ſuperficiem; aliter enim fit particula nutritiva. Hinc ergo colligitur, omne *Stimulans* eſſe *Acre*; ſed tamen non ſequitur, quaſlibet particulas & *minutas* & *acres* pro *Stimulantibus* eſſe habendas;

quia possunt esse adeò parvæ, ut earum nulla *planum*, cui infixa est, superemineat. (4) Ut *Stimulans* sit adeò *tenax*, ut loco, cui infixum est, diu inhæreat.

3. Causæ *Stimulationem* efficientes sunt, (1) Omnes causæ vulnerantes: *vulnerare* enim est, *facere solutionem continui per rem duram & acutam*, i. e., quæ momentum sui motûs paucis applicat punctis. Hinc (2) Urticæ, aliæque Herbæ *urentes* dictæ, Stimulationem pariunt. (3) Omnia Salium genera. (4) Olea omnia; quæ quidem duplici modo *stimulare* possunt: 1°. Quatenùs se infigunt osculis meatuum, eaque obstruunt; unde impetus Liquidorum in extrema puncta Vasculorum exercetur; sic Oleum Olivarum Corpori inunctum, illud tumescere & rubescere facit; imò & febrim aliquando creat, ob Perspirationem impeditam: 2°. Quatenùs acria sunt, vel naturâ; vel arte. (5) *Stimulationem* excitant Sapones, sive artificiales, sive nativi; quales sunt omnes Succi Vegetabilium, quatenùs oleum & salem simul mixta continent. (6) Spiritus omnes. (7) Terræ omnes, quæ duræ sunt & acutæ. (8) Calor quicumque frequenter applicatus: huc verò referuntur Sulphurea, atque Sales Metallici: siquidem

omne Metallum, etsi per se satis blandum sit ac mite, (ut apparet ex Auro & Argento indissolutis, quæ nullo modo nocent sumpta) si solvatur in Salibus, aut Aquis fortibus, fit *causticum*, maximèque *stimulans*. (9) Omnes motus externi. (10) Frigus vehemens, quod quidem agit, primò momentò, sensum frigoris inducendo; sed paulò post summum calorem excitat: Istud autem præcipuè videmus in Febribus; quæ cum frigore, horrore, tremore, &c. invadere solent; his enim symptomatibus magna incalescentia statim succedit.




CAPUT II.

CAPUT II.

De Contrahentibus.

1. CONTRAHENTIA ſunt, *quæ duo puncta diſtantia Fibræ Motricis, in propiorem contactum & in magis firmam cohæſionem adigunt.* Hoc autem ut meliùs intelligatur, ſupponamus A B (in FIG. 1.)



eſſe *Solidum minimum* ſive *ultimum*, & ad C D adhærere E F, quod eſt etiam *Solidum* ejuſdem naturæ; ita ut hæc duo *Solida* ſint in directum oppoſita: His poſitis, dico illa *contrahi* non poſſe; nam particula A E ſolida & compacta non poteſt intrare particulam E F ſolidam quòque & compactam, cui connectitur; ac proinde linea A E magis curta reddi nequit, i. e., hæc duo Solida *contrahi* non poſſunt. Si verò (in FIG. 2.) ſuppona-

mus, particulam A B adhærere alteri C D, per puncta inter E F comprehensa, hôc positô, facilè concipere possumus, particulam situm suum mutare posse, ita ut ex A B fiat E H; unde accidit, ut particulæ C D, per puncta inter E G comprehensa, jam adhæreat; sicque longitudo, quam habebant istæ binæ particulæ, minor evadit, h. e., fit *Contractio* particularum. Unde sequitur, minima nostra Solida non posse per se sive singulatim *contrahi*; ideòque *Contractionem* solummodo fieri respectu duorum plurium-ve Solidorum ejusmodi juxta se invicem positorum.

2. Jam verò causæ *Contractionem* promoventes ad hæc *IV. THEOREMATA* reduci possunt.

THEOR. I. Quicquid solvit Fibræ alicujus continuitatem, id naturalem illius *Contractionem* promovet; ut superiùs demonstratum est. Sic igitur Arteriæ, Venæ, Fibræque nostræ vulneratæ & scissæ sese *contrahunt*; hinc etiam Ignis, Corrosiva, & Vulnerantia sunt causæ *Contractionis*.

COROLL. Ergo Medicamenta plurima *Contrahentia* operantur vulnerando, & lædendo. Porrò *lædere* vocamus hîc loci, minima Vascula vi quâdam discin-

dere. Corpus enim noſtrum ex infinitis Vaſculis minimis conſtat; & hæc Vaſcula non ſecundùm longitudinem majorum Vaſculorum excurrunt, ſed inter ſe componuntur, & funium inſtar intorquentur; (de qua re vide plura ſuperiùs in CAP. V.) adeò ut magnum Vas vix lædi poſſit, quin aliquot ex minimis planè diſtringantur: Quum igitur Arteriæ & Venæ diſſectæ ſe *contrahant*, ſic & illa Vaſa minima. Itaque læſio cauſa eſt *contractionis* Vaſorum; & Medicamenta quæ lædunt hæc Vaſcula, *contractionem* producunt: talia verò ſunt omnia Acrium genera. *Contractionis* autem Vaſorum, hoc modo procuratæ, effectus eſt Liquidorum extravaſatio.

THEOR. II. Contractionem promovent omnia illa, quæ valido ſuo *niſu* Canales ita dilatant, ut diameter longitudinalis minor, latitudinaliſque major fiat: hæc verò duplicia ſunt, nempe Replentia, & Stimulantia; (iſta porrò de fibris excavatis intelligenda ſunt) hinc etiam in vulneribus labia fiunt retorrida.

THEOR. III. Contractionem promovet quicquid cauſas Vaſa diſtendentes tollit; & hoc fit *depletionibus* quibuſcumque. Iſtud autem clarè videmus in Medicamentis quæ in *genus nervoſum* agunt;

hæc enim ſalivationem, aliaſque evacuationes, & inde (ſi excretiones iſtæ nimiæ ac diuturniores fuerint) maraſmum inducunt; nam Vaſa nimis depleta ſe contrahunt, unde Corpus gracileſcit: hoc etiam faciunt Calida omnia, quæ liquidiſſima nimis diſſipare ſolent.

THEOR. IV. Contractionem efficit inſinuatio exiguarum particularum inter ſuperficies *minimorum* Staminum: ſic enim ſi inter duas Fibrillas contiguas liquidum aliquod ſe inſinuet, tum contrahentur hæ Fibrillæ, pro ratione quantitatis liquidi inſerti; nam liquidum hoc inſertum haſce Fibrillas à ſe dimovens, ac proinde ex rectis lineis in curvas mutans, totam Fibræ longitudinem accurtet neceſſe eſt. Hinc adeò mirabiles oriuntur effectus: Funes enim exſiccati aquæ immiſſi contrahuntur & rigeſcunt, ut chordæ muſicæ; ita quòque Nervi noſtri, & Cor ipſum, quod in ſpiritu vini maximè contrahitur, & ſolideſcit. Jam verò contractionem hujuſmodi creant Spiritus Vini & Oleum Terebinthinæ, quæ, cùm ſe in aliquam partem inſinuaverint, ibi hærent & ſolideſcunt; unde fit, ut tam diverſa ex illorum abuſu ſequantur ſymptomata: quin & inde liquet, quàm periculoſa ſint omnia *Con-*

trahentia in minimis Vaſis, quia cum ipſis concreſcunt.

Coroll. I. Hinc augeri poteſt Fibræ cujuſdam *ſoliditas*; quippe particula ſe inſinuans applicat ſe lateribus, ibique concreſcens, majorem ſoliditatem Fibræ conciliat.

Coroll. II. Ergo, cæteris paribus, *contractio* Fibrarum vim earum auget in Liquida intra Canales contenta.

Coroll. III. Igitur, à *contractione* Fibrarum, Corporis *robur* augetur; hinc etiam omnes homines quorum Fibræ ut par eſt contractæ ſunt, majori robore donantur, quàm alii quorum Fibræ idonea contractione carent.

CAPUT III.

De Laxantibus.

1. L*Axatio* dicitur, *ejuſmodi mutatio in Solidis, per quam elongari magis poſſunt, abſque ruptura, quàm anteà.* Hinc patet, Flexibilitatem & Dilatationem hâc definitione comprehendi; nulla quippe fit flexura, nulla dilatatio, niſi corpus quodammodò elongetur.

2. Hæc autem elongatio conſiderari poteſt, vel reſpectu Fibrillarum om-

nium minimarum, vel reſpectu Vaſculorum ex Fibrillis illis conſtantium. Porrò hæc elongatio in Fibrillis minimis concipi non poteſt: ut enim Fibrillæ minimæ longiùs à ſe invicem removeri queant, omnino requiritur ut particulæ nonnullæ lubricantes ſeſe inter partes iſtas inſinuent; hoc autem in minimis illis Fibrillis fieri nequit, abſque continui ſolutione.

3. Medica igitur & propria *Laxatio* ſolummodò obtinet in *ultimis* noſtris Canalibus, qui ex iſtis Fibrillis componuntur: hi verò ſi rigidi fiant, & liquidis ſuis priventur, ita ut ipſorum latera cohæreant, tunc perit eorum *laxitas*, quam arte nullâ reſtituere poſſumus, niſi liquida amiſſa ſuppeditando, unde lubricantur, & ad motus flexionis apti redduntur.

4. Quapropter *Laxantia* ſunt ea, quæ Canales ingrediendo eorum parietes ab invicem removent, eoſque lubricando molles reddunt: talia ſunt, (1) Aqua tepida, vel internè ſumpta, vel externè applicata, ut balneis, fomentationibus, &c. (2) Olea omnia vegetabilia ex maturis Seminibus mitibus, non verò acribus, expreſſa; ut Oleum Amygdalarum dulcium, Olivarum, Lini, &c. (3) Me-

dulla Ossium, quæ, cùm per meatus valdè exiguos in Ossium cavitates derivetur, subtilissima est; item Adeps & Pinguedo, præsertim Omenti. (4) Emulsiones, atque Decocta farinacea glutinosa; qualia fieri solent ex Hordeo, Lini Semine, aliisque Seminibus oleum inter premendum exhibentibus; & ex Herbis oleosis, lactescentibus, non acribus; item ex Herbis *emollientibus* dictis. (5) Saponacea omnia, præsertim Animalium Bilis, quæ maximè emollit.

COROLL. Hinc solvitur Problema, cur Aqua priùs laxet, deinde rigidum faciat? ut videre est in Corio, quod in aqua maceratum, valdè molle & flexile fit; arefactum verò, durius magisque inflexibile quàm anteà redditur. Hoc enim inde fit, quòd Aqua, quando primùm penetrat, Fluidi rationem habeat; ideòque, partes madefaciendo, reddit eas molles; ejusdem verò particulis subtilissimis, vi caloris, expulsis, id quod remanet, ad naturam Solidi accedit, cum Fibris concrescit, earumque firmitatem auget. Porrò *Laxantium* effectus duo sunt; scilicet, 1°. Canalium minimorum dilatatio; 2°. hinc libera magis Humorum circulatio.

CAPUT IV.

De Constipantibus.

1. CONstipantia sunt illa, *quæ Vasorum Emissaria ita obstruunt, ut fluxus vitalis intercipiatur*; ideòque omne *Constipans* agit, vel quatenùs Canali *externè* adhæret, eumque comprimit; vel quatenùs *internè* Canalium lateribus inhæret, eosque infarcit: an verò sensu posteriori *Constipantia* dentur, est cur dubitemus; idque propter hasce rationes. 1°. Quia Vasa Lactea adeò minuta sunt, ut per ea nihil ingredi posse videatur, quod in aliis Vasis *obstructionem* modò dictam creare queat. 2°. Si tale *Obstruens* Lactea intraret, Pulmones primùm impeteret, ejusque effectus ibi sentiretur; quoniam, ab ipsius ingressu in Vasa Lactea, usque ad introitum in Pulmones, continuò movetur ex angustiori in latiorem Canalem (ut ex anatomicis constat); quàm primùm autem in Arteriam Pulmonalem defertur, ex latiori in angustius spatium moveri incipit; tandemque in Vascula Pulmonum arctissima fertur, quæ, cùm totius Corporis minima sint, vel in iisdem *obstru-*

ctionem pariet, vel nullibi. 3°. Sanguis in Pulmonibus, Aëris externi comprimentis vi, plurimùm atteritur & comminuitur; ac proinde ſuprà dictæ *obſtructioni* producendæ minùs aptus redditur. Porrò notandum eſt, ex natura noſtri Sanguinis eſſe, ut concreſcat ſimul ac quieſcit; non verò quieſcit, niſi motus Cordis & Arteriarum minuatur: adeòque *interna Obſtruentia* dici poſſunt, quæ vires Cordis & Arteriarum debilitant; quod quidem plerùmque fit æquabiliter per totum Corpus, in Pulmonibus verò primùm ſentitur. Sic igitur in parte ſingulari *obſtructio* fit, quum, aliquâ de causâ, Liquidum in ea parte quieſcit; adeòque talia *Obſtruentia* tantùm agunt, Humores noſtros coagulando.

2. *Conſtipantia* ſunt duplicia; ſcilicet, *Illinentia*, & *Emplaſtica*. Jam verò *Illinentia* ſunt, (1) Olea expreſſa quæcumque, ſive extrinſecùs, ſive intrinſecùs applicata; quippe cum aqua non permiſcentur, hinc ejus fluxum per Canales impediunt, ut apparet in charta *oleo* illita. (2) Semina farinacea mucilaginoſa, ut Papaveris, Lactucæ, &c. cum aqua ad gelatinam cocta; item quatuor Semina frigida. (3) Olea com-

posita ex Vegetabilibus & Oleo simul coctis. (4) Olea stillatitia ex Vegetabilibus. (5) Balsama nativa liquida quæcumque.

Emplastica dicuntur, quæ externè meatus, glutinis instar, compingunt: horum autem duo sunt effectus; 1°. enim plurima Vasa simul obstipant & illinunt; 2°. Liquidum ibidem stagnare & putrescere faciunt. Emplasticorum autem genera 5 sunt, (1) Farinæ omnes oleô & terrâ constantes, cum aquæ pauxillo in pastam redactæ. (2) Liquor omnis è Vegetabilibus defluens, qui tenax est atque conglutinans. Plantæ verò triplex Liquidum ejusmodi effundunt; primum quidem quod in spiritu vini solo solvi potest, & *Oleum* dicitur; secundum quod spissius est, & solvitur in aqua, vocaturque *Balsamum*, constans ex oleo & mucilagine; quibus autem duobus si accedat terra, tunc tertium fit corpus *Gummi* dictum; hoc verò si solidius evadat, ex avolatione scilicet partis tenuioris, *Resina* nuncupatur. (3) Resinosa quælibet. (4) Omnes Gelatinæ, sive Decocta diuturnâ decoctione inspissata, ex partibus solidis Animalium; ut ex Piscibus fit *ichthyocolla*, quæ gluten est optimum: quippe Naturæ Author,

ne Piſces continuò malè afficerentur ab aqua ſalſa ipſos circumambiente, in eorum Cute poſuit innumeras Glandulas, quæ oleum ſecernunt; unde Piſcium Cutis eſt valdè balſamica, & ex illa cocta gluten, *ichthyocolla* dictum, conficitur. (5) Compoſita ex his quatuor ſuprà dictis; ut Cataplaſmata, &c.

3. Effectus autem omnium *Illinentium*, *Obſtruentium*, & *Conſtipantium* ſunt, 1°. Impedire trajectum Liquidorum, adeò ut in Vaſis ſtagnent; ſic enim Cadavera conſervare ſolemus, eadem illinendo aliquâ re unctuosâ, quæ Fluidorum ingreſſum impediat: 2°. Producere omnia illa, quæ produci ſolent vi vitæ in Vas quodlibet obſtructum. Etenim ſtagnantia Liquida, vi vitæ, à tergo urgentur, alterantur, & copiâ augentur: unde Tumores, qui, ſi circum Vaſa Arterioſa ſint, fiunt Inflammationes: ſi circa Vaſa Lymphatica oriantur, fit Tumor albus veſicularis, ſive Oedema: ſi circa Vaſa omnium minima, naſcitur Tumor flatulentus; ut fieri ſolet in Podagra, ex applicatione emplaſtri; ab hoc enim transfluxus humoris impeditur, ideòque pars illa tanquam flatibus diſtenta apparet. Porrò ſi maneant obſtructio & inflammatio, atque vis vitæ adſit, orietur Apoſtema: ſi

vis vitæ ingens, & obstructio magna, fiet Gangræna: si omne liquidum exprimatur, & crassa materies coëat, proveniet Skirrhus: si illa materia moveatur, evadet Cancer: si magna copia Vasorum vi vitali & obstructione pertinaci destruantur, fiet Sphacelus sive mors partis. Si verò hæc *Illinentia* & *Obstruentia* applicentur Cadaveri, in quo nulla vis vitæ, nihil producent, præter conservationem à corruptione.

CAPUT V.

De Chirurgicis Specificis.

1. CHirurgica *Specifica* distinguuntur in *Sarcotica* sive *Carnem generantia*, *Epulotica* seu *Cicatrisantia*, & *Porotica* sive *Callum producentia*. Hæc autem omnia non agunt in Cadaver, sed vitalem Liquidi fluxum supponunt. [*Sarcotica* sunt Remedia, Naturam, in *carnis* ulceratarum aut vulneratarum partium deficientis generatione, juvantia. *Epulotica* sunt Medicamenta, quæ Vulneribus vel Ulceribus *cicatricem*, sive ultimam consolidationem, inducunt.] *Porotica* aut *Callum generantia* sunt, quæ impedimenta nutritionis sive ac-

cretionis in minimis Vaſis oſſeis ſeu cartilagineis auferunt, [ac proinde quæ duras Oſſium partes, per fracturam ſeparatas & disjunctas, *callosâ* quâdam concreſcentiâ interveniente, ſibi invicem iterùm connaſci ac uniri faciunt.]

2. Jam verò, ut hæc Medicamenta cum effectu operentur, quædam conditiones requiruntur in Fluidis noſtris, & nonnullæ in Solidis. In Fluidis requiritur, 1°. ut ſint mitia ſive blanda; 2°. ut ſint mobilia per minima Vaſa; 3°. ut ſint aliquantulùm glutinoſa: horum quippe Medicamentorum actiones fiunt in Vaſis minimis & tenerrimis, & vix à Fluido differentibus; adeòque Liquida, quæ per hæc tranſeunt, omni acrimoniâ deſtituta eſſe debent, ne iſta Vaſa deſtruant; requiritur etiam ut talia ſint, ut per eadem facilè fluant, non tamen adeò tenuia ut defluant, ſed talis conſiſtentiæ, ut Vaſis adhæreant. In Solidis autem ſeu Vaſis requiritur, 1°. ut ſint apta ad Fluidum recipiendum; 2°. ut ſint flexibilia & dilatabilia, ac proinde aliquando facilè diſtendi queant.

3. Hiſce poſitis, oriuntur iſtorum Medicamentorum effectus ſubſequentes; nempe, 1°. Canales ſejuncti uniuntur per modum anaſtomoſeos. 2°. Cana-

lium fines, per impetum Liquidi, vel eò usque tantum distenduntur, ut Transpirationi Insensibili solummodò patescant, vel eò usque, ut etiam Sudorem emittant: hæc autem posterior methodus curandi absque cicatrice, est optima; at rarò fit, quia citiùs & faciliùs vulgari modô consolidatur vulnus; sed tum pars illa Perspirationi non ampliùs apta est. 3°. Vasorum fit accretio & arescentia, quando scilicet hæc ita resistunt, ut Liquida intrare nequeant; unde cicatrix, stagnatio succi nutritii in Vasis ultimis, ibique ejusdem concretio & agglutinatio: siquidem omne Liquidum in Vase suo stagnans, cum ipso concrescit; unde cicatrice pars obducitur, aliasque partes soliditate, duritie, insensibilitate, candore, ac etiam difficiliore & parciore *perspirabilitate* superat. Hinc, ob pressionem Atmosphæræ, dolores in illis partibus quæ vulneratæ fuerunt, aliquando sentiuntur: ad quod evitandum, in vulnerum curatione Vasa tam mollia servari debent, ut distendi possint; sed plerùmque Chirurgi, ad sanationem citiùs expediendam, Vasorum vires ita augent, ut plùs resistant, quàm Liquida urgeant, quæ proinde intrare nequeunt; adeòque ista Vasa complanantur, & fit callus.

4. Ex dictis ergo patet, Medicamenta de quibus nunc agitur, tàm in Fluida quàm in Solida vires ſuas exercere debere; ideòque ſunt, vel externa, vel interna. Porrò *interna* ſunt, quæ Chylum blandum, nullis ſalibus, nullo oleo acri ſive aromatico, aut terreſtribus acribus ſcatentem, præbent; tum quæ dant Chylum tenuem, ſed aliquantulùm lenteſcentem; non enim ita tenuis eſſe debet, ut fluorem vulneri conciliet: talia ſunt, 1°. Decocta Carnium, & Juſcula. 2°. Decocta Farinarum blandarum, ut Hordei, Avenæ, Tritici, Oryzæ. 3°. Omnes Emulſiones ex ſimilibus paratæ. 4°. Illa quæ Acre prædominans tollunt. Jam verò *Acria* ſunt vel *alcalina*, vel *acida*, vel *oleoſa*, vel *terreſtria*, vel tandem ex his quatuor combinata. Adversùs autem ſingula *Acida*, ſingula quòque habemus Temperantia: ſiquidem *Acidum* omne domari poteſt, dum vel oleô obvolvitur, vel aquâ diluitur, vel mucilaginoſis obtunditur, aut per ſales oppoſitos, ſcilicet alcalinos, deſtruitur. *Alcalina* porrò aquâ, oleô, mucilagine, & acidis domantur. *Oleoſa acria* fiunt vel ex Aromaticis, vel ex Alliatis, vel ex Oleis expreſſis factis rancidis; & non adeò fa-


cilè tolluntur, quoniam Olea pertinaciùs adhærent; nec ita facilè aquæ diluenti auſcultant, niſi aquæ iſti ſal acidus, & parum mucilaginis addatur. *Acria terreſtria* ſunt corpora dura & ſcindentia; ut Vitrum comminutum, Cryſtalli, Metalla, Semi-metalla, cunctaque ſolida corpora ita comminuta, ut Canales ſubire, eorumque latera penetrare queant: hæc autem vix ſuperari poſſunt, vel, ſi Canalium lateribus altiùs impacta ſint, avelli; & quidem ad ea removenda nihil aliud agendum tunc ſupereſt, quàm ut Vaſa oleo multo & aquâ laxentur. 5°. Quæ craſſa attenuant; etenim ſi pus nimis craſſum ſit, vulnus conſolidari nequit: horum verò Medicamentorum optimum eſt Aqua pura calida, cui addi poſſunt Sales alcalini fixi; quippe volatiles nimis citò avolant, atque, ſi magnâ copiâ ſumantur, nimiùm ſtimulant. 6°. Quæ motum æquabilem Liquidis conciliant: talia ſunt quæ Liquida æquabiliter laxa tenent; ut Aqua moderatè calida. Hæc ſunt autem *interna* Medicamenta, quæ ad Vulnerum curationem requiruntur.

Externa ſunt, quorum ope ſervatur æquilibrium inter Vaſorum reſiſtentiam & vim Liquidorum influentium; ita ut

Vaſa

Vasa nec minùs nec plùs resistant quàm debent: si verò Vasa ita disposita sint, ut in æquilibrio cum suis Liquidis maneant, tum curabitur Vulnus absque ulla cicatrice. Huc autem conferunt, 1°. Quæ Vasa laxant; & inter hæc optima est Aqua tepida. 2°. Quæ putredinem coërcent; ut sunt Spirituosa omnia, quæ mundificare dicuntur, & putredini alcalinæ resistere; tum Salina quæcumque, exceptis alcalinis; Olea omnia, ut & Balsama, v. gr. Terebinthina, Balsamum de Copaiva, Peruvianum, &c. dein omnes Tincturæ cum Spiritu Vini & Balsamis factæ, ut cum Absinthio, Scordio, & aliis resinosis oleosisque; tum Balsama naturalia, Unguentum ex Aromatibus paratum, & ex iisdem Balsamum; siquidem Aromata omnia continent Balsamum, quod ab oleo ipsorum provenit, & spiritu vini extrahi potest: tandem omnia Cerata, Unguenta oleosa, sed lenia, & Emplastra; quorum unicum sufficere posset, nempe ex Cera, Terebinthina, & Oleo confectum. 3°. Quæ nimis humida Vasa exsiccant: si enim Caro sit luxurians, vel excrescens atque fungosa, tunc temporis planè indicat Vasa nimiùm distendi & dilatari, ob Liquidum copiosè nimis influens,

ideòque exſiccatio requiritur; & hoc Chirurgi vocant *exedere*. Porrò *Exſiccantia* ſunt, Oſſa Piſcium leni igne calcinata, & pulveriſata; ut ſunt Mandibulæ Lucii piſcis, quæ acre acidum abſorbent; ſi verò nimis diù applicentur, exſiccant & cicatricem inducunt: tum omnes Lapides Piſcium & Cancrorum, Margaritæ, &c. plurimùm etiam valet Colophonia contuſa, quæ componitur ex Terebinthina in aqua cocta, & exſiccata donec contundi poſſit, & ultimum eſt remedium in fiſtulis exſiccandis: omnes quoque Terræ, ut Cretæ, Boli, Rubrica, Oſteocolla: dein Terræ Metallorum, ut Calx Vitrioli probè edulcorati, Lapis Hæmatites, Crocus Martis, tam aperiens quàm aſtringens, Ceruſſa, Minium, Calx Stanni, &c. quæ abſorbent omnia liquida. 4°. Quæ contrahendo Vaſa, ſoliditatem & robur iis addunt: talia ſunt Alcohol Vini, Oleum Terebinthinæ ferè fervens, &c.



CAPUT VI.


De Solventibus, sive Dolorem cientibus.

1. D*Olor* eſt *perceptio ingrata, quæ Fibræ Nerveæ diſtenſionem comitatur* : nulla quippe fit tenſio in parte nervoſa, alicubi in Corpore noſtro, quin oriatur *dolor*, licèt nihil acris, nihil corroſivi acceſſerit; ut patet in Carnificum torturis. Jam verò, ſi pars quædam ſtrictè ligetur, nimis comprimatur, contundatur, corrodatur, vel diſſecetur, aut igne deſtruatur, tum perit in ea parte ſenſus & dolor : ſi enim in Cane nervum ad crus pertingentem diſſecueris, licèt omni modô membrum illud malè tractes, dolorem tamen non ſentiet Canis. Nullus igitur in nobis excitari poteſt *dolor* corporeus, niſi à læſo Nervo, qui cùm variis modis lædi poſſit, hinc pro variis iſtius læſionis gradibus, diverſi quoque in nobis excitantur *dolores*.

2. Cæterùm diſtractionis *nervoſæ* partis, ſimul & ſenſationis *doloris* inde orti, tres ſunt gradus. Primus gradus eſt omnium leviſſimus; ſcilicet, quando Nervus, ita tenditur, ut Mens percipiat, vim Fibrarum adhuc ſuperare vim illatam ; un-

de oritur *pruritus* ſive *titillatio* , i. e. ; medium quid inter *voluptatem* & *dolorem*. Quicquid ergo facit, ut pars per levem tenſionem irritata maneat in eodem ſtatu, *lætitiam* excitabit : Mens enim tunc advertit, vim Fibrarum adhuc ſuperare vim quæ Nervo eſt illata. [Gradus ſecundus eſt, quum Fibræ Nervoſæ ita diſtrahuntur, ut jam perceptio *doloris* (major minor-ve, pro gradu ſcilicet diſtractionis) inde fiat.] Tertius denique gradus eſt, quando ſolvitur continuum ; tunc verò *titillatio*, non ſecùs ac *dolor* in partibus diſſolutis ceſſant.

3. Tenſio autem ſive diſtractio nimia duas ob cauſas *dolorem* inducit : nempe, 1°. Propter ea quæ ſolutionem aliquot Fibrillarum Nervearum antecedebant ; qualia ſunt, inflammatio, eroſio, &c. unde fit diſtractio : 2°. Propter ea quæ diſſolutionem hanc ſequuntur, ſcilicet, ob Fibrarum tenorem deſtructum ; ita ut quod anteà quinque Fibris, v. gr., ſuſtinebatur, poſt ſolutionem ab una tantùm ſit ſuſtinendum. Ex gr. ſit A B C D (in Figura appoſita) Nervus ex aliquot Fibris conſtans ;



ſi jam cauſa quædam Fibras inter C D contentas, quæ omnes ſimul impetum

five vim punctorum A B ſuſtinere debent, ſolverit, ita ut una maneat illæſa, hæc jam totam vim punctorum illorum ſuſtinebit; indeque orietur dolor: ſi verò iſta quoque rumpatur, tunc peribit ſenſus & dolor in illa parte.

4. *Dolorem* creare poſſunt, (1) Omnia quæ internè Vaſa diſtendunt; quatenùs nimirùm ex ea diſtenſione tenerrimorum Vaſculorum ruptura quandoque ſequitur. (2) Eadem de cauſa, quicquid externè Vaſa premit, *dolorem* excitare poteſt. (3) Quicquid aliqua ratione Fibras nimiùm tendit; ut diſtorſio ſeu luxatio. (4) Quicquid Fibras quaſdam, reliquis intactis, diſſolvit: jam verò Fibrarum continuum ſolvitur, vel inſtrumento mechanico, ut gladio; vel Medicamentis acribus; vel ignis actione.

5. *Pruritum* autem ſive *titillationem* excitant, 1°. Medicamenta *Rubefacientia*, ita dicta quoniam obſervatum eſt, à titillatione colorem rubrum in Corpore oriri. 2°. Quicquid inflammationem leviſſimam creat, idem quoque titillationem producit, i. e., primum gradum *doloris* excitat: ſic omnis rubra puſtula prurit, nimis verò tractata dolet; ita quòque omnibus Animalibus œſtro venereo percitis Genitalia rubent; & Pe-

nis, ob ſolam Mentis cogitationem, quâ nervuli ejuſdem irritantur, rubeſcit, & extenditur: adeòque omnis *pruritus* eſt inflammationis ſpecies. Inflammatio autem oritur ab impedito transfluxu Sanguinis ex ultimis Arteriis in primas Venas; unde in illis pars craſſior ſiſtitur, dum tenuior per lateralia Vaſa fluit: ſicque naſcitur rubedo.

Cauſæ *rubedinem* inducentes ſunt, (1) Omnes Frictiones, i. e., compreſſiones & remiſſiones reciprocæ, ita ut Canales nunc claudantur, nunc diſtendantur; & ab hac reciprocatione oritur grata perceptio. (2) Omnes Fotus, ſive applicationes emollientium & lavantium tepidæ, vel internè, vel externè: quippe Fotus calore ſuo preſſionem Aëris minuit, humiditate verò ſuâ Vaſa laxat; ideòque Sanguis eadem copioſè ingreditur: & hinc oritur rubedo. (3) Omnia Emplaſtra denſa, & ſimul non acria, ſed tenacia & glutinoſa: hæc enim, poros obſtruendo, Perſpirationem impediunt; & inde humores accumulantur. (4) Cataplaſmata ſimilia, i. e., corpora aquâ ſubacta, & ad Pultis tenacitatem cocta, adeòque mediæ rationis inter Emplaſtra & aquam; hinc agunt ratione aquæ, ut Fotus; tenacitatis autem

ratione, ut Emplaſtra. (5) Omnes Suctiones, ſive à Sanguiſugis, ſive à Cucurbitulis, ſeu à quacumque alia cauſa provenientes; Aëris enim preſſionem auferentes, Sanguinem in partes, ubi fiunt, adducunt. (6) Calor quilibet noſtri Corporis calorem ſuperans; hic enim motum Fluidorum adauget. (7) Omnia Acria Stimulantia, quæ, per Fibras externarum partium, i. e. Epidermidis, penetrantia, & in meatus proximè ſubjacentes ſe inſinuantia, lateribus Vaſculorum ſeſe infigunt; atque motu vitali Liquidorum pulſa, ita in Vaſcula agunt, ut eadem inde in primo diſtributionis gradu conſtituantur.

Talia ſunt, 1°. Plantæ omnes *aromaticæ*, in quibus ſal & oleum prædominantur: ut ruta, ſinapi, naſturtium aquaticum, & hortenſe, cochlearia, raphanus, urticæ, &c. quæ omnes analyſi chemicâ examinatæ, multùm olei tenuis & ſalis continere reperiuntur; præctereà urticæ, microſcopiô examinatæ, jacula bifida exhibent, quæ Corpori noſtro immiſſa, motus tremulos & inflammationem excitant: unde ſi applicentur membris paralyticis, languidis, & ſopitis, valdè proſunt. 2°. Ex Animalibus etiam talia dantur: etenim Formi-

cæ, quæ multùm ſalis & olei præbent, eumdem in noſtro Corpore ſortiuntur effectum; ſic etiam Carnes & Pelles putreſcentes præbent ſal alcalinum volatile, quod vellicando levem inflammationem producit; Columbæ quòque recenter trucidatæ, & Corpori applicatæ calidæ, tum ibi ad putredinem uſque relictæ, inflammationem levem ſive pruritum excitant. 3°. Omnia naturalia, in quibus eſt Sal Alcalinus qualiſcumque, ſive fixus, ſive volatilis, ſive muriaticus; item omnia Acida non nimis acria; cuncta quòque ſive Oleoſa, ſive Salina, vel fermentatione, vel diſtillatione, vel etiam expreſſione parata, modò non ſint nimiùm acria. Hæc autem inflammatio, ſive pruritus, ſive primus *doloris* gradus, duos habet effectus; nempe, 1°. Solidorum attritum, 2°. majoris copiæ Liquidi derivationem in Vaſa Lateralia & Secretoria.

6. Secundum *doloris* gradum excitant *Epiſpaſtica* quælibet, i. e., Medicamenta quæ derivant Liquidum in partem cui applicantur, tantâ vi, ut Vaſa tenerrima rumpantur; liquor autem hinc effuſus ab Epidermide illæsâ, in veſiculas elevatâ, retinetur: adeòque Medicamenta *Epiſpaſtica* debent conſtare ex partibus

bus acribus & tenuibus, quæ, per Epidermidem illæſam tranſeuntes, ſeſe infigant lateribus Vaſculorum ſudori, materiæ perſpirabili, & lymphæ dicatorum, eaque rumpant; Epidermidem verò non deſtruant; quoniam hæc pauca tantùm [ſi fórſan ulla] habet Vaſa; & ideò vis vitæ in eadem admodùm debilis eſt.

Medicamenta dictum effectum producentia ſunt, (1) Omnes Phœnigmi, ſive Medicamenta Rubefacientia diu applicata; ſic enim ſemen ſinapi applicatum, primò ruborem inducit; ſi verò per duas horas remanet, veſicam excitat. (2) Quæcunque ſale acri volatili & oleo penetranti gaudent: ut ranunculus, radices thapſiæ, raphani ruſticani, flammulæ Jovis, cyclaminis; nec non cepæ, allia, ſucci ex euphorbio, tithymalo, ſtramonio, & ſimiles ſucci acres purgantes; item lixivia ſaponacea diu applicata, fermenta acria, fimus columbarum, præſertim earum quæ fabis plurimùm veſcuntur; hinc enim fimus columbinus plùs ſalis acris obtinet: dein cantharides, ut & venena nonnulla; puncturæ apum, veſparum, &c. (3) Ignis, qui, cùm lentus eſt, rubefacit ſolummodò, verùm auctus veſicam ex-

citat; idque vel mortuis ipsis, quoniam seipsum movere valet; cùm alia Vesicantia in hac occasione sint inertia, & ab altera causa in actionem deducantur. (4) Omnia Salia alcalina, tàm volatilia, quàm fixá; quælibet Olea acria aromatica; tum Urina putrefacta, Caro putrida, &c. Hæc ergo adhibenda sunt, ubi major motus requiritur, ad obstructiones Vasorum solvendas, & infarcta per stimulationem expellenda.

COROLL. I. Hæc omnia Medicamenta, *Igne* excepto, vices gerunt *instrumentalis* causæ.

COROLL. II. Hæc verò non agunt, nisi in *Solidas* partes.

7. Tertium *doloris* gradum excitant *Escharotica*. Apud Veteres *Eschara* vocabatur *focus Deorum*, & hinc deducta est ad significandam Crustam vi *foci* factam. Hæc autem à *Vesicatoriis* gradu tantùm differunt, quatenùs scilicet Epidermidem lacerant, & Carnem corrodunt. Hujus verò generis sunt, 1°. *Escharotica* propriè dicta, quæ Vascula destruunt ita ut Liquida effundantur: horum autem parte tenuissimâ avolatâ, fit inspissatio, dein exsiccatio, quam sequitur crustá, quæ verò liquoris, è ruptis Vasis erum-

pentis, evaporationem impedit; unde liquor ſtagnando acer evadit, & corrodendo ulteriùs penetrat, deſtruitque omnia, non ſecùs ac ſi ignis eſſet. 2°. Omnia corpora vegetabilia, animalia, & foſſilia, quibus ea ineſt *vis*, ut Vaſcula deſtruere, Liquida expellere, atque, tenuiſſimam humoris partem inſpiſſando, cruſtam ſuperinducere poſſint: hôc modô agunt vitriolum, arſenicum, aqua fortis, lapis infernalis, & ſimilia. Huc autem retulerunt Veteres ſequentia. (α) *Cauſtica*, quorum primarium eſt ignis; unde quidem ea quæ ignis inſtar agunt, *Cauſtica* vocantur: talia ſunt, (1) Spiritus acidi foſſiles ex Salibus, v. gr., ex ſale marino, nitro, vitriolo, ac etiam ſulphure, vi ignis vehementiſſimi, diſtillati. (2) Metalla, iſtis ſpiritibus acidis ſalinis ſoluta, & in cryſtallos redacta; ut Solis & Lunæ cryſtalli; item Mercurialia. (3) Semi-metalla in iiſdem ſpiritibus ſoluta; ut cobaltum, antimonium, &c. (4) Spiritus Animalium alcalini, qui ex omnibus Animalium partibus, exceptis Chylo & Lacte, educi ſolent: etenim, in diſtillatione, poſt aquam ſeu phlegma, quod primum exit, aſcendit ſal volatile, deinde liquidum fœtens, quod Spiritus eſt, quodque,

Corpori applicatum, præsentaneum est *causticum*. (5) Spiritus acidi simili modô ex Vegetabilibus parati. (6) Succi Vegetabilium acerrimorum, ut ranunculi, euphorbii, laureolæ, &c. Huc etiam relata fuêre (β) *Septica*, quæ talem mutationem carni in Corpore vivo inducunt, qualis in Cadavere, aëri humido & calido exposito, contingere solet, i. e., putrefactionem. Humores quippe Cadaveris, vi caloris agitati, moventur, iisque, per liquidum fibras emolliens, via ad evaporationem aperitur; quapropter partes balsamicæ aquosæ Humorum, ut subtiles, statim avolant; quibus remotis, sal volatile fœtidissimum & acerrimum erumpit; unde fit, ut Solida & Liquida quæ remanent, in unam massam dissolutam & putridam abeant, h. e., putrescat Cadaver. Similem verò putrefactionem producit Arsenicum, assatis Cepis humiditatem conservantibus immixtum; ut & Mercurius Sublimatus Corrosivus, farinaceis humidis & Cataplasmatibus admixtus.

COROLL. I. Medicamenta quæcunque *Dolorem excitantia*, à primo gradu titillationis, usque ad summum destructionis, gradu solo differunt; quatenùs

ſcilicet quædam magis, alia minùs violenter operantur.


COROLL. II. Medicamenta hæc etiam *propriâ* vi nunquam agunt, excepto Igne; ſi enim Cuti ſiccæ applicentur, ibique immota maneant, nihil agunt; ſed ſi Liquidis commiſceantur, nimirùm in Corpore quod in continuo motu exiſtit, effectus vehementes producunt: ſic Oleum Vitrioli fortiſſimum congelatum, parti ſiccæ admotum, nihil efficit; contrà verò, ſi Liquidis vivi Corporis admixtum fuerit.

COROLL. III. Calor omnium horum Medicamentorum eſt cauſa excitans & ſtimulans, quatenùs *velocitatem* eorum motûs auget; quippe Septica ſi calidè applicentur, majori cum effectu ſolent operari. Erunt ergo hæc Medicamenta, pro diverſis gradibus caloris, vel Stimulantia, vel Attenuantia, vel Putrefacientia.

COROLL. IV. Cauſæ demùm hæc Medicamenta in actionem completam excitantes, ſunt *calor* & *humiditas* ſimul; non enim ſatis eſt, ut in humido ſolvantur, niſi accedat calor, pro ſtimulo; unde in Corpore noſtro optimè agunt, propter ejus calorem & humiditatem.

Hæc verò de Medicamentis in *Solida*

operantibus dicta sufficiant; nunc autem ad ea quæ in *Fluida* agunt transgrediamur.



PARS SECUNDA.

De Medicamentis in Fluida agentibus.

DIximus jam anteà, Fluidum nostrum considerari posse, vel respectu particularum suarum *ultimarum Solidarum* seorsim sumptarum, vel quatenùs est *massa* quædam ex particulis istis conflata. *Priori* sensu consideratum mutationes quatuor subire potest; (1) quælibet particula potest augeri, vel minui in sola mole sua; (2) potest hanc vel illam figuram accipere; (3) solidior vel minùs solida reddi potest; (4) nec non etiam hoc vel illo modo moveri. *Posteriori* verò sensu sumptum, potest vel velociori motu projectili, vel tardiori, ferri.

CAPUT PRIMUM.

De Attenuantibus, ſive Reſolventibus.

1. A*Ttenuantia* ſunt illa, *quæ vim habent ſingulas Liquidi moleculas in minutiores reducendi*; eadem verò dicuntur *Reſolventia*, quatenùs Liquidorum moleculas præternaturaliter coaleſcentes *reſolvendo*, in naturalem reducunt ſtatum: utraque igitur dividendo ſemper agunt.

2. Diviſio autem dupliciter tantùm fieri poteſt; nempe, 1°. quando corpus dividens ſeſe in dividendi poros inſinuat, ejuſque partes ab invicem ſecernit; 2°. externo attritu diverſorum corporum. Prius non fit niſi à Fluidis, aut ab iis quæ Fluidorum indolem habent; poſterius verò locum habet in omnibus iis, quæ motum in Liquidis noſtris excitare poſſunt.

3. Porrò notandum eſt, Medicamentorum *vires* non ſolâ Ratione, ſed & Experientiâ teſte determinandas eſſe, ne in errores incidamus, ut ſolent illi qui ex fluiditate Spiritûs Vini colligunt, eum attenuatrice vi præditum eſſe; cùm ta-

men Sanguinem citò coagulet, ut experientia nos docet. Hâc positâ cautelâ, *Attenuantia* sunt igitur omnia illa naturalia, quæ particularum *nisum* ad cohærendum tollunt.

4. Iste verò *nisus* à duplici causa oriri potest; nempe, 1°. à Vi particularum Attractrice, quæ singulis Materiæ particulis inesse videtur, sed tamen adhuc satis cognita & explicata non est; 2°. à causa externè premente: sic duo Specula optimè polita, sibi mutuò imposita, ita vehementer ab aëre premente versùs invicem urgentur, ut non nisi vi satis magnâ disjungi queant. Hîc autem loci considerabimus particularum in se invicem *nisum*, tanquam à causa posteriori solummodò profluentem; ideòque particularum ab invicem secessus, qui vocatur *attenuatio*, tantummodò fit ponderis prementis ablatione: in Corpore verò nostro pondus illud nihil aliud est, quàm Liquidi multi in aliquo loco angusto congestio, unde partes in se urgentur.

5. Optima igitur in hoc casu *Attenuantia* sunt hæc, (1) *Evacuationes*; ut sunt depletio Vasorum Sanguiferorum, Salivatio, Diuresis, Alvi Dejectio, &c. demptâ enim Liquidorum parte, relictæ in Corpore parti major conceditur

libertas ſeſe movendi , quin & cæteris *Attenuantibus* aditus paratur. Notandum eſt verò,quòd licèt Vaſorum Sanguiferorum debita depletio ad Sanguinis *attenuationem* conferat , nimia tamen eandem impediat ; quoniam in hoc caſu Vaſa ſeſe contrahere nequeunt eò uſque , ut Sanguinem contentum propellant ; unde fit ut Sanguis ſtagnet & coaguletur. (2) Omnia *Diluentia*, quæ , particularum interpoſitione , corpora à ſe invicem disjungunt : talia verò ſunt , 1°. Aqua , quæ omnium optimè diluit ; 2°. Sales omnes alcalini-volatiles mites ; ut Sales volatiles cornu cervi , ſanguinis , urinæ , & ſimiles ex Animalium partibus parati. 3°.Sales alcalini-fixi omnes Plantarum incineratarum , non tamem admodùm acres , ne rodant. 4°. Sales omnes volatiles ammoniaci , qui conſtant ex ſale volatili & acido unitis ; ita tamen ut alcalinum , non acidum , prædominetur , aliter enim coagularent. 5°. Sales omnes volatiles oleoſi acres , ex ſale volatili & oleo combinati. 6°. Sales quilibet foſſiles ; ut ſal marinus , nitrum , borax : non verò metallici ; hi ſiquidem incraſſant , quia conſtant ex terra in acidis ſoluta. 7°. Cuncti Sapones artificiales , qui , nullis exceptis , ſemper reſolvunt ,

& attenuant ; ut & Sapones naturales Plantarum, i. e., ſucci earum aromatici. 8°. Extracta ex his facta. 9°. Vina tandem omnia , modò acidum in iis non prædominetur. (3) Omnia quæ , per *attritum* , partes Liquidorum comminuunt : & hoc dupliciter poteſt fieri ; nempe , 1°. ab aucto inteſtino Fluidorum motu , 2°. ab aucta Solidorum vi.

6. Jam verò *motus inteſtinus* Fluidorum quatuor modis augetur. (1) A *calore*: ſed reverâ parum admodùm hic efficit ; quia nativus noſter calor non eſt cauſa , ſed effectus attritûs fluentis Liquidi : calor autem artificialis, ſi magnus ſit, exſiccat ; ſi parvus , effectu caret : & quidem humidum caleſcens hîc loci ſolummodò utile poterit eſſe ; ut fotus, balnea,&c. in quorum tamen uſu ſæpè contingit ut,licèt bene temperata ſint , ratione ſtatûs ægri , coagulent , non attenuent. (2) Ab *efferveſcentia :* talis autem , prout à Chemicis definitur , nempe , quòd ſit pugna Salium oppoſitorum inter ſe , cum magno calore & motu , in nobis fieri nequit ; utì nec illa quæ fit inter Spiritus acidos & Olea , ut inter Spiritum Vini & Spiritum Nitri ; nec ea quæ fit inter Terreſtria & Acida. (3) A *fermentatione :* verùm neque hæc in nobis fieri poteſt ; de-

ſunt enim requiſita ad fermentationem; unde nec ejus effectus, nempe ſpirituum ardentium productio, in noſtris Liquidis unquam deprehenditur. (4) A *putredine :* ſed cùm hæc non niſi in Liquidis corruptis, aut ſaltem jamjam corrumpendis, obtineat, ſi foret in Corpore noſtro, brevî deſtrueremur. Atque ſic omnes hæ quatuor cauſæ, exceptô *humidô calente*, in Corporibus noſtris ad *attenuationem* Liquidorum nihil conferunt.

7. Solidorum *vis* duplici modô augetur in nobis; nimirùm, 1°. per ea quæ, vi externâ, magnas oſcillationes excitant; 2°. per Simulantia interna: ad illud verò pertinent Frictiones, quæ, comprimendo & laxando alternatim Vaſorum ſuperficies, motum & attritum augent.

COROLL. I. Igitur patet ex dictis, actionem *Attenuantium* & *Reſolventium* non tam facilè concipi & determinari poſſe, ac nonnulli ſibi fingunt: etenim ſæpenumerò miramur, quare levis inflammatio non niſi difficulter diſſipetur, ut & cur Sanguis à contuſione effuſus & coagulatus diu hæreat; cùm tamen hujus ratio ſit, quòd Medicamenta agere debeant in iſtam potiùs partem affectam, quàm in totum Corpus. At verò

undenam determinationem in istam partem accipere possunt ? Supponamus enim, quòd aliquis, ad attenuandum Sanguinem in quadam Corporis parte concretum, assumpserit sex grana cujuslibet salis volatilis ; hæc quantitas miscebitur cum tota Sanguinis massa, quæ, ad minimum, est 30 librarum, quantilla pars igitur, Circulationis lege, ad partem affectam perveniet !

COROLL. II. Ergo Medici prudentis est, præcavere potiùs ne Sanguis in coagulum abeat, quàm eundem jam coagulatum *resolvere* conari.

CAPUT II.

De Incrassantibus, seu Condensantibus.

1. INcrassans, sive *Condensans*, est illud, *quod Liquidorum particulas tenuiores expellens, crassiores arctiùs inter se compingit*. Experimentis in Anglia factis constat, quòd corpora, præter partes suas solidas, multos habeant meatus, qui physicè pro vacuis haberi possunt, quique corpori ingredienti non resistunt. *Incrassans* igitur agit minuendo istos meatus ; hoc verò fit compressione partium

Solidarum, ita ut propiùs ad se invicem accedant: hoc autem fieri nequit, quin simul particulæ liquidiores & tenuiores exprimantur.

2. *Incrassantia* porrò sunt, (1) *Calor* omnis satis vehemens, vel à foco, vel à sole, vel à frictione ortus: hujus autem effectus est, movere Liquida, ac proin augere attritum ad Vasa; unde sequitur expulsio liquidissimorum, relictis crassioribus & minùs mobilibus, quæ verò tunc *coëunt:* adeòque nullum Liquidum est in Corpore nostro, quod ad ignem non inspissetur. Calor igitur Liquida *incrassat*: si verò eadem aliquando dissolvit, id efficit in Solida agendo, eaque stimulando; Fluida autem immediatè per se nunquam attenuat: immò stimulatione finitâ, tandem fit inspissatio. (2) *Motus* omnis *muscularis* nimis vehemens; is enim Perspirationem Sanctorianam primùm auget, deinde sub specie Sudoris expellit Lympham; & quod exprimi non potest, inspissatur: idem verò *motus* aliquando attenuat, modò non sit nimis violentus; quod quidem efficit, quatenùs vim Solidorum contractilem adauget, eorumque actionem in Fluida promovet: verùm si *motus* iste *muscularis* nimiùm exerceatur, tunc,

HIPPOCRATE monente, Sanguis quasi *assatur*, oriturque Causus, nisi aquæ potu præcaveatur. (3) Sanguinis *motus circulatorius* nimis vehemens; hic enim particularum applicationes ad Vasorum superficiem auget: nam ut est velocitas Fluidi ad velocitatem, ita applicatio dicta ad applicationem; ideòque si duplo velocior sit Motus Projectilis, cæteris paribus, duplo major erit etiam derivatio versùs lateralia Vasa; quæ, cùm rectis minora sint, liquidissima sola, eaque satis largâ copiâ, admittent: unde particulæ, quæ rectè feruntur, inspissabuntur & quasi solidæ fient à vi vitali ponè urgente. Porrò motus hic interdum etiam attenuat, sed non nisi interim multùm bibatur, ut amissum restituatur liquidum. (4) *Motus* omnis *excretorius* nimis auctus; quia scilicet liquidissima nimiùm extra Corpus derivantur, ut fit in nimiis Sudoribus, Purgationibus, Diabete, &c. (5) Quælibet causa *externè* Vasa comprimens: hæc enim liquidissima expellit; prout apparet in iis qui fodinas, ubi pressio aëris magna est, ingrediuntur: hi quippe primò quidem frigent, quia transfluxus per extrema minima Vasa aliquantulùm impeditur; paulò pòst verò sudant, non à loci calore,

ut docet Thermometrum , ſed quia vis Cordis manet , dum interim Vaſorum capacitas imminuitur: quapropter eadem Liquidi copia per Canales jam anguſtatos tranſmittitur ; unde major fit motus, & attritus , & conſequenter ſudor excitatur. (6) Medimentorum omne genus, quod poteſt præcedentia vel excitare , vel augere: talia ſunt omnia Stimulantia, Sudorifera , Emetica , &c. quorum abuſus Liquida inſpiſſat. Hinc in morbis ab Humorum *craſſitie* pendentibus , infelix ſequitur effectus , ſi Sudorifera adhibeantur , cùm è contrario Diluentia tunc indicentur.

COROLL. I. Omnia Remedia quæ Sanguinem ad debitum gradum *inſpiſſant*, Corpus noſtrum corroborant, & ad longævitatem diſponunt. Etenim ſi debita Sanguinis *craſſities* abſit , Liquida nimis uberi copiâ in Vaſa lateralia derivantur , & à Corpore ſecedunt : unde perit robur; quod quidem conſiſtit in magnitudine Venarum & Arteriarum , & debitâ Sanguinis per has fluentis *craſſitie* & firmitate; quemadmodùm in Sanguine ruſticorum , venæ-ſectione educto , clarè patet.

COROLL. II. Ubi Sanguis nimiùm *tenuis* eſt , valido Muſculorum motu de-

nuò compingi & *incrassari* poteſt; ut in Phthiſis obſervari licet.

CAPUT III.

De Acrimoniam inducentibus.

1. PEr *Acrimoniam* intelligimus eam corporis figuram, cujus ope *vim* ſuam mechanicam ſecundùm exiguam ſuperficiem alteri corpori applicare poteſt. Jam verò *acria* corpora queunt eſſe quàm plurima ratione figuræ; poſſunt enim eſſe vel conica, vel pyramydalia, &c. ita gladius, culter, planum inclinatum, cuneus, &c. *acria* corpora ſunt. Vis autem ſive potiùs Momentum illorum, ſicut & omnium corporum, dupliciter conſiderari poteſt; nempe, vel abſolutè, vel ſpecificè: porrò Momentum *abſolutum* dicitur illud, quod habetur ex Velocitate corporis in ejuſdem Pondus ducta; *ſpecificum* verò deſumitur ex Reſiſtentia ad Momentum abſolutum conſiderata. Ex. gr., ſi duo ſint corpora, quorum alterum habeat unum Ponderis gradum, & unum Velocitatis; alterum verò duos Ponderis gradus, & totidem Velocitatis; tunc Momentum abſolutum

absolutum primi erit ad Momentum absolutum secundi, ut Velocitas primi in suum Pondus ducta ad Velocitatem secundi in suum Pondus ductam, i. e., ut 1 ad 4. Si jam supponamus, hæc corpora in alia Resistentia eâ lege impingi, ut Resistentia quam secundum invenit, sit quadruplo major eâ quam invenit primum; eorum Momenta specifica erunt æqualia: si verò Resistentia secundi majori adhuc ratione superet eam primi; tunc Momentum specificum primi, Momentum specificum secundi excedet. Hinc etiam quò minor est superficies resistens, in quam *acris* aliqua particula impingit, & quò plùs Ponderis & Velocitatis habet hæc particula, eò major erit illius effectus.

2. Porrò corpus omne blandum potest *acre* fieri, & vice versâ: in nobis autem *Acria* possunt esse duplicia; nempe, vel *innata*, vel extrinsecùs *illata*. Corpora verò quæ blanda sunt, *Acria* evadunt dupliciter; 1°. scilicet, mutando figuram; 2°. remotis involucris, quibus *Acria* erant involuta: verùm in statu sano nulla ferè in nobis sunt *Acria*; nam siquæ sint, statim extra Corpus eliminantur, ut Bilis & Urina. Ergo *Acria innata*, hisce duobus exceptis, nulla

dantur : quippe pars aquoſa, quæ maximam Liquidorum partem in nobis conſtituit, nunquam fit *acris*; ut patet in diſtillatione Sanguinis. Partes terreſtres in nobis ferè nunquam mutantur in *acres*, ſaltem nondùm experimentis hoc fieri conſtat; interdum autem, ex gr., in Calculo, particulæ dantur *acres*; hæ verò ſunt particulæ ſalinæ cum terreſtribus commixtæ: adeòque in aliis partibus quærenda ſunt *Acria*. Oleum noſtrum eſt materia blandiſſima, vulneribus enim inſtillatum lenit: idem verò facilè mutatur in acre; nam ſiquis multùm Olei ſumpſerit, brevî ructus nidoroſos emittet, & mutabitur hoc Oleum in ſubſtantiam acerrimam, oſſa vel ipſa adurentem & exulcerantem. Sales etiam *acerrimi* fiunt, ſi nimio motu & calore atterantur; atque triplici de cauſa *acres* evadunt. 1°. Omne quod Sanguinis velocitatem & conſequenter attritum auget, maximè in nobis Sales *acres* producit. 2°. Quicquid attenuat Liquida, Sales plerùmque *acres* efficit; nam inde multiplicantur anguli, à quibus *acredo* pendet. 3°. Omnis modus reſolutionis idem facit; partes enim quæ concreverant, reſolutæ & à globoſo contextu liberatæ, *acres* evadunt. Quin etiam *Acre*

nascitur in nobis ex putrefactione, quæ stagnationem sequitur; per calorem enim & motum vicinorum Vasorum fit attritus in humore stagnante, & figurarum mutatio inde oritur.

3, *Acre* verò in nobis fit triplex, 1°. *Acre Acidum* : hoc autem producitur à stagnatione Ciborum ex Vegetabilibus, qui, si diù maneant in Ventriculo, acerrimi fiunt, nisi simul aliquid ex Animalibus commixtum fuerit; Lac verò, quamvis humor sit animalis, non excipiendum est; nam & illud in Ventriculo *acescit* sæpissimè. 2°. *Acre Oleosum* : omnia quippe Corporis nostri Liquida, si modò exponantur alicui calori, qui Corporis nostri calori sit æqualis, dissolvuntur, & ingentem fœtorem concipiunt, i. e. putrescunt; quæ putrefactio à Sale volatili & Oleo procedit; nam si distillaveris inde Salem & Oleum, illud quod remanet insipidum & inodorum erit : si autem Oleum à Sale liberatur, non ampliùs fœtet; unde patet, Oleum suam putrescentiam à Sale habere, qui porrò dissolvi debet ut fœtorem excitet. 3°. *Acre Alcalinum.*

4. Cæterùm *Acria* quæ Corpori nostro extrinsecùs inferuntur, diversa sunt; scilicet, (1) *Fossilia* & *Mineralia*, quæ

viribus integris Corpus ingrediuntur; & non facilè mutantur; ut Sal Gemmæ, Borax, Sal Ammoniacus, Vitriolum, Nitrum; ſimul & omnia Salia Metallica. Huc pertinent quòque *Terreſtria*, ut Alumen; nec non *Olea* falsò ſit dicta, ut Oleum Petræ. (2) *Acria Acida*, quæ vel volatilia ſunt, vel naturalia; ut omnes Succi Fructuum horæorum, ſcilicet, Ceraſorum, Pomorum, &c. vel arte facta, nempe, per fermentationem; ſic enim ex Muſto fit Vinum, & ex hoc Acetum; quæ quidem *Acria* leviſſima ſunt: fixa verò ſunt ponderoſiora, & hinc acriora; quippe Acidum quò ponderoſius eſt, eò eſt acidius, ut patet ex Aceto & Oleo Vitrioli; illius enim pondus ad hujus eſt ut 1 ad 3: fixa autem *Acida* ſunt omnes Sales foſſiles in liquamen converſi, ut Oleum Vitrioli, &c. (3) *Acria Alcalia*, quæ vel volatilia, vel fixa ſunt; hæc verò terram habent adjunctam, à qua liberata fiunt volatilia; hinc etiam fixa acriora ſunt, quoniam ponderoſiora. (4) *Acria Oleoſa*; & hæc vel expreſſa, vel diſtillata ſunt: priora ex ſe ſemper ſunt blanda, tempore autem *acria* evadunt: poſteriora verò omnia ferè ſunt *acria*; quæ, ſi in nobis non digerantur, nec viribus vitæ ſuperentur,

acerrima fiunt, ita ut inſtar ignis adurant: hæc porrò ſimul acria & tenacia ſunt. Huc pertinent *Spirituoſa*; qualia ſunt omnes Spiritus fermentati, qui acerrimi ſunt, ut patet ex Spiritu Vini. (5) *Sales* ex Vegetabilibus; qui ſunt vel eſſentiales, ut Mel, Manna, Saccharum; vel artificiales, nempe, qui ex Succis Plantarum maturarum ſucculentarum expreſſis & calore inſpiſſatis, frigoris vi coguntur in Cryſtallos in aqua ſolubiles; hi autem omnes inertiores extant: vel ſunt fermentatione producti; ut Tartarus, qui poſt depurationem Vini lateribus cadorum adhæret. (6) *Acria Aromatica* omnia, quæ oleo & ſale acri conjunctis abundant: hæc enim ſunt calida, odora, & ſaporis acris; ut Piper, Zingiber, Cepa, Allium, Cinnamomum, Caſſia Lignea, Caryophylli, Nux Moſchata & Macis, Cardamomum, Galanga; nec non Aromata noſtra quæ in Europa naſcuntur. Siquidem hæc omnia ſtimulando agunt; ſi verò nimiâ copiâ ſumantur, Ventriculum & reliqua Viſcera adurunt. (7) Omnia *Dolorem excitantia*: de quibus autem conferatur CAP. *De Solventibus.*

CAPUT IV.

De Demulcentibus.

1. D*Emulcentia* ſunt illa, *quæ Humorum noſtrorum morboſorum particulas acres obtundunt*; quod quidem faciunt, non figuras earum mutando, ſed tantùm involvendo, & quaſi in capſula includendo: atque hoc ſenſu vagina continens cultros, acus, alia-ve acria inſtrumenta, dici poteſt acredinem illorum *demulcere*.

2. Jam verò *Demulcentia* duplicia ſunt; nimirùm, vel generalia, quæ omnia Acrium genera, qualiſcunque ſint naturæ, indiſcriminatim & æqualiter involvunt; vel ſpecifica, quæ certam ſolummodò Acrium ſpeciem obtundunt.

Claſſes autem *Demulcentium* generalium ſunt ſequentes.

(1) Omnia *Oleoſa*, his 4 capitibus contenta; nempe, 1°. *Olea* ex Seminibus farinaceis maturis *recenter expreſſa*; ut ex Amygdalis, Avellanis, Seminibus 4 Frigidis majoribus, & minoribus, Papavere, &c. 2°. *Infuſa* quælibet *aquoſa* ex Seminibus farinoſis in tenacem mucilaginem redactis; ut ex Semine Hype-

rici, Liliorum alborum, Solani, Violarum, Trifolii odorati, Verbaſci, Cydoniorum, &c. 3°. *Oleum Stillatitium* unicum non acre, ſcilicet, Oleum Ceræ. 4°. Animalium *Olea nativa*; ut Butyrum recens, Cremor Lactis, Pinguedines ſecretæ & collectæ, præſertimque Animalium Medulla; item Pinguedines circa Oſſa, ac imprimis circa Meſenterium & Renes collectæ; nec non Gallinarum, Anſerum, Anatum, &c. Pinguedo. Hæc autem *Demulcentia* uſum optimum habent, ubi ſignum multæ acredinis adeſt; immò Venena acerrima hiſce enervari poſſunt: internè quoque ſumuntur, multùmque proſunt, quando Sanguis plurimis particulis acribus ſcatet; ſic, in Scorbuto peſſimo, ſi æger, licèt languidiſſimus, aſſumat jejunò ſtomachô, repetitis vicibus, Cremorem Lactis, Butyrum recens, &, quæ omnium optima eſt, Medullam Animalium, egregiè curabitur; ita & illis quibus Oſſa adeò ſunt arida, ut non ſine ſtrepitu moveri poſſint, aſſumpta Medulla plurimùm confert; quin etiam in Arthritide vaga, ſive Rheumatiſmo, nihil magis juvat quàm Oleum Lini, ad ℥ jj ſumptum, quolibet mane.

(2) *Plantæ* omnes *inſipidæ* & *inodoræ*,

maturæ, ex quibus non habetur oleum; ſive formâ Emulſionis, ſive Infuſionis, ſive Decocti, ſive Paſtæ alicujus, aſſumptæ: Illi autem qui Olea cruda primæ Claſſis, numero 1°. contenta, ferre nequeunt, hujuſmodi Plantas aſſumant; in his enim partes oleoſæ aliis involutæ latent. Porrò iſtæ Plantæ operantur partim ratione ſui glutinis, quod acria inveſtit in Corpore noſtro, partimque ratione tecti olei ſui: hæc verò bina faciunt, Decocta Althææ, Borraginis, Malvæ, Graminum omnium, Brancæ urſinæ, Mercurialis, Parietariæ, Violarum, Verbaſci, Liliorum alborum, Cucumerum, Peponum, Melonum, Citrullorum, Lactucæ, Papaveris, Symphyti, Nymphææ; nec non Semina Cydoniorum, Succus Fragorum, &c. Horum enim præparationes omnes ſunt *demulcentes*, & parum refert quales ſint; ita, ſolâ Lactucæ aſſumptione continuatâ, curari poteſt aliquando Phthiſis. Notandum eſt autem, hæc non prodeſſe ubi Acre adeſt lentum & inſpiſſatum; ſed in Acri calido plurimùm juvare: unde Veteres contra Venena præſcripſêre Lactucas, Malvas, Cucumeres, &c.

(3) *Semina* cuncta, ex quibus exprimi poteſt *oleum*, & inde fieri queunt

Pultes,

Pultes, ſeu Emulſiones : ut ſunt Amygdalæ, Piſtaciæ, Hordeum, Avena, Triticum, Secale, Oryza, Milium, Juglandes, Avellanæ, Semina Peponum, Citrullorum, Liliorum, Nymphææ, Lini, &c.

(4) *Gummi viſcoſa* & *inſipida*; imprimiſque Gummi Tragacanthum, ut & Gummi Ceraſorum, Pomorum, Pyrorum; &c. in aquâ ſoluta: Hæc enim optimè operantur, & etiam Mictum cruentum in Variolis placidè curant.

(5) Omnes Animalium ſanorum *partes ſucculentæ* & *concreſcentes* (exceptis Bile & Urinâ); quælibet enim ex his, vel oculo, vel vulneri, abſque doloris ſenſu admoveri poſſunt: omnes itaque *gelatinoſæ* partes quæ ex Animalibus coctis habentur, hîc loci proſunt; ſic Ova, Carnes, & omnia noſtra Solida (demptâ pinguedine) in gelatinam redigi queunt: ſunt autem gelatinæ nihil aliud, quàm ſucci nutritii ex Solidis vi coctionis expreſſi; ut ex Cornu Cervi patet; poſt coctionem enim nihil inde reſtat præter caput mortuum; ita quòque Caro ad conſumptionem humidi cocta, ſi modò diſtilletur, nihil præbet præter oleum empyreumaticum: adeòque gelatinæ & decocta Tendinum, Membra-

narum, Intestinorum, Viscerum, *Demulcentia* sunt: quapropter innumeri morbi ab acredine sola orti, idoneâ diætâ ex hisce jusculis facilè curantur.

Classes porrò *Demulcentium specificorum* sunt subsequentes.

(1) *Absorbentia* omnia, *Terrestria* dicta; quorum nonnulla, licèt, ob figuram, pro lædentibus & vulnerantibus haberi possint, attamen *demulcent*; etenim *acri acido* occurrentia, illud absorbendo enervant: ita Chalybis Limatura, quamvis acria spicula habeat, nihilominùs Oleum Vitrioli enervat. *Acidi* autem *Absorbentia* sunt sequentia: Oculi Cancrorum, Testæ Ovorum calcinatæ, Corallia, omnes Margaritæ, cuncta Ostracodermata, Mater Perlarum, omnia Piscium Ossa, omnes Calces ex Animalium partibus combustis restantes: hæc, inquam, omnia *acidum* absorbent, & ei juncta tertium *dulce* corpus constituunt. Huc etiam pertinent Lapides nonnulli; ut Bezoar, & Lapis Hystricis, *Pedra del Porco* dictus (*a*): Lapides verò, quatenùs

(a) *Lapis* iste defertur ad nos potissimùm ex Malaca, Orientalis Indiæ regione; vocaturque ab Indigenis *Mastica de Soho*; ab Hispanis & Lusitanis, *Pedra de Vassar*, ac *Piedra del Puerco*; & à Mercatoribus, ut pluri-

insipidi, nullam aliam habent vim, quàm demulcendi; sed si adsit sapor,

mùm, *Pedra del Porco*; in Officinis verò *Lapis Porcinus, Lapis Malacensis, Bezoar Hystricum, Lapis Hystricis* nuncupatur: perperàm autem & abusivè à nonnullis *Lapis Hystericus* dicitur; quum hicce posterior planè sit diversus, inveniaturque tantùm in America, scilicet, in *Hispania nova*, nec sit Bezoar uti prior. Porrò *Lapis Porcinus* nascitur in Vesicula Fellea cujusdam Hystricis sive Porci Spinosi, magnitudinis Porcelli octimestris; qui verò reperitur præsertim in Provincia *Caraga*, & in alia, *Pam* dicta, terræ Malacensis. Est autem *Lapis* iste Coagulum Biliosum, rotundum, spongiosum, aliquantulùm compactum; coloris carnei, vel potiùs parenchymati Hepatis haud absimilis; saporis amarissimi; tactui lubricum, saponis instar, occurrens; licèt quasi squamatum, seu potiùs faveolis quibusdam, instar vestigiorum à variolis relictorum, præditum sit: invenitur, ut plurimùm, magnitudine nucis myristicæ, vel juglandis. Hic verò Lapis, vesiculâ quâdam seu tunicâ exteriori, dum primùm ex India adfertur, est obductus; quæ verò nihil aliud est, quàm folium tenuissimum, glutine quodam artificiosissimè adhærens, quod, infusione aut maceratione in aqua calefacta, dissolvitur. Notandum est verò, *Lapidem Porcinum* confundi non debere cum *Pila Hystricis*, quæ in Stomacho, non autem in Vesicula Fellea hujusce Animalis nascitur, ac proinde non est *Bezoar* uti prior, sed *Ægagropilus*. In hunc errorem

tunc aliâ ratione agere queunt : ita Lapsus est, cum multis aliis, SAMUEL DALE (*Pharmacolog.* pag. 407. *edit. Londin. in*-4°) qui, ex hac confusione, falsò concludit, *Pedra del Porco* esse potiùs ægagropilum, quàm bezoar; quum tamen certissimum sit Lapidem hunc genuinum reperiri tantummodò in Vesicula Fellea Hystricum. Est autem iste Lapis valdè rarus, ac tanti pretii habetur, ut in ditiorum solummodò ac Principum manibus sit. Gaudere dicitur virtute egregiâ diaphoreticâ & alexipharmacâ; & Indi eum cæteris Alexipharmacis præferunt. Calidum, uti loquuntur, nativum conservat, Viscera roborat, Humores crudos in toto Corpore consumit, nimiam Pinguedinem cohibet, ab Apoplexia & Epilepsia præservat; materiem Calculi sine dolore dissolvere, & Arthritidem curare perhibetur; Choleram specificè curare dicitur; & in Ictero Calculoso laudatur. Alvum quóque simul movet haud infrequenter iste Lapis, idque cum euphoria: unde commodè tutòque substitui potest diaphoreticè Laxantibus, aut emeticè Diaphoreticis; eòque magis, quòd, ob particulas oleosas, simul blandâ vi anodynâ imprægnatus sit, quâ molestissimas æquè ac periculosissimas Præcordiorum anxietates in Febribus, acutis præcipuè & malignis, si quid aliud, refrænare valet. Forsan gaudet etiam virtute emmenagogâ, ita ut, ob metum abortûs, huncce Lapidem prægnantibus exhibere vereatur FRIDERICUS HOFFMANNUS, in *Clave Pharmaceut. Schroderiana, Lib. V. Class.* 1. §. 34. *pag.* 687. Porrò, quoad *modum*

pis Hystricis, quia naturæ est sapona-

utendi, Lapis hic rarissimè in substantia, ob nimium pretium, sed in infuso tantùm datur; licèt, in pulvere, magnarum quòque virium habeatur in Febribus Malignis propulsandis, si solummodò ad gran. v, vi, vel vii., in aqua quadam alexiteria, ditioribus propinetur. Infusio fit, eum suspendendo in Aquæ, aut Vini, aut Cerevisiæ, &c. unciis duabus, per horæ spatium, vel ampliùs; & sic infusus liquor bibitur, qui, quò amarior, eò etiam potentior erit; in liquore autem suspensus interdum agitandus est iste Lapis: hunc in modum, grani pondere vix imminutus, imbuit & amarore & virtute suâ liquorem, ægro, pro una dosi propinandum: postquàm autem inde extractus est Lapis, quum, saponis madefacti instar, mollis evaserit, in loco sicco poni debet, ut pristinam consistentiam recuperet. Conferantur, de *Lapide Porcino*, Bontius, *De Medicina Indorum*, in *Not. ad* Garc. ab Ort. *cap.* 46; Fragosus, *Medic. Indor. cap.* 10. Tulpius, *Libr. IV. Observ.* 52; ac imprimis Michael Bernardinus Valentinus, in Tractatu *de Polychrestis Exoticis*, ubi in particulari agit de hoc Lapide. Jam verò, quod pertinet ad hujusce Medicamenti vires ita decantatas, quandoquidem saponaceæ naturæ sit, utpotè ex indurata concretaque Bile formatum, hinc optimum sanè censeri debet plurimis in casibus; sed tamen non tanti faciendus videtur iste Lapis, ac vulgò fit apud plerosque, nec fortè multò pluris, quàm alii Lapides in Vesicula Fellea quorumcunque ferè Animalium inventi.

ceæ, ſtimulando agere poteſt; at nihil ſpecifici præ cæteris Stimulantibus habet. *Acidum* etiam abſorbent omnes Terræ nativæ; ut Argillæ, Cretæ quælibet, Bolus Armena, aliæque, &c. item Calces nonnullæ Metallorum; ut & Marcaſſitæ, Chalybs, Plumbum, Stannum, in pulverem redacta. Hæc imprimis opponuntur *acido*; atque his Venena acerrima maximaque *demulceri* poſſunt: ita Mercurius Corroſivus cum Limatura Chalybis multùm contritus, innoxius evadit; quin & Vitriolum quod Chalybe ſaturatum eſt, medicamentum fit innocuum; ſic etiam Lapis Infernalis omni ſuâ vi cauſticâ, per Chalybis Limaturam, vel ſimilem, privari poteſt, immò ſi cum Oculis Cancrorum multùm diuque conteratur.

2. *Acida* omnia, reſpectu Alcalicorum, *Demulcentia* ſunt, licèt per ſe conſiderata ſint acerrima: talia verò ſunt, 1°. Succi recentes Fructuum maturorum & acidorum; ut Ceraſorum, Meſpilorum, Uvarum, Pyrorum, Malorum, Ribeſiorum, Mororum, &c. quæ medicamenta præſtantiſſima extant ad morbos in quibus dominatur *alcali*; ſicut in Peſte, Variolis, Morbillis, Febribus ardentibus, &c. 2°. Serum Lactis ſubacidum, Lac ebu-

tyratum, Lac ipſum aceſcens: hæc enim Alcali, ſive fixum, ſive volatile obtundere valent: ſic TULPIUS obſervavit Diarrhœam peſſimam, ab alcali Bilis prædominanti ortam, uſu ſolo Lactis ebutyrati ſanatam eſſe; ab hujus etiam hauſtu frequenti Febrem tertianam curatam fuiſſe obſervatum eſt. 3°. Omnia Fermentata acida, ex omnibus Fructibus horæis vel ex farinaceis parata, & *acetoſa* dicta; quæ verò potiùs diſſolvunt, quàm coagulant: hinc etiam Vina Moſellana & Rhenana optima ſunt (præſertim additô Spiritûs Salis Ammoniaci pauxillô) in morbis ubi ſitis eſt intenſa & Bilis admodùm vitiata. Huc autem pertinent Acida diſtillata & fermentata, nec non Tartarus crudus, qui eſt Acetum ſiccum. Hujus quòque Claſſis ſunt Pultes per aliquot dies in calore retentæ, indeque aceſcentes. 4°. Omnia Acida ex Foſſilibus ponderoſioribus; hæc enim Alcali plurimùm abſorbent, ſed ante abſorptionem maximè corrodunt; ſuntque vel nativa, ut Petroleum; vel arte facta, nempe diſtillata, ſicut Spiritus Salis marini, Sulphuris, Vitrioli, Nitri; hæc autem Alcali ſaturata corpus blandum conſtituunt, ut liquet ex Tartaro Vitriolato.

(3) *Alcalia* omnia respectu omnium Acidorum. Per *Alcalia* verò triplicia genera Salium vulgò intelliguntur ; nimirùm , 1°. Omnia Salia fixa ex Vegetabilibus crematis extracta ; hæc autem maximè rodentia sunt , sed omnibus Acidis opposita , & post conflictum cum illis blandissimum corpus constituunt. 2°. Salia omnia alcalina volatilia ex Vegetabilibus , post Plantarum putrefactionem , distillatione parata. 3°. Sales volatiles alcalini , ex Animalibus per distillationem educti , & *urinosi* dicti : omnes verò Animalium partes putrefactæ talem exhibent Salem alcalinum fœtidum.

(4) Omnia *Spirituosa ardentia* , respectu Acidorum : ita Spiritus Vini rectificatus , cum acido quodam Spiritu , sicut Nitri , aut Vitrioli , vel Salis , aut cum Aqua Forti , digestus vel distillatus, eorum aciditatem nimiam destruit , eosque dulcificat.

COROLL. Hisce jam consideratis, patet , quænam sint Antidota *mechanicorum Venenorum?* Per hæc autem intelligimus omnia illa , quæ ratione *figuræ* & *motûs* effectus suos producunt ; ut sunt Vitra contusa , Crystalli , Metalla , &c. quorum Antidota ea sunt , quæ Venenis is-

tis involvendis idonea ſe præbent. Alia porrò extant Venena quæ coagulando agunt ; de quibus verò inferiùs erit ſermo.

CAPUT V.

De Immutantibus.

1. IMmutantia ſunt illa, *quorum ope particularum Fluidum componentium figuræ ita mutantur, ut inde magis, minùs-ve, ad pungendum evadant aptæ.* Jam verò multa quidem *Immutantia* cenſentur eſſe, quum pauciſſima ſint: nam reverâ Solidorum *attritus* in Fluida contenta, videtur eſſe ſola atque unica efficiens cauſa immediatæ *mutationis* figuræ in particulis horum Fluidorum; mutationes enim quæ fieri ſolent in Fluidis ab efferveſcentia aut fermentatione, locum non habent in Corpore noſtro, ut anteà demonſtratum eſt.

2. Porrò ab *attritu* ſuprà dicto ſequentes oriuntur effectus; nempe, 1°. Particulæ lentiores, hebetiores, & craſſiores impinguntur cuſpidibus aliarum partium; unde fit, ut rigidiores particulæ flexilioribus involvantur: Hinc patet ratio, cur Sales in nobis ita *mutentur*,

ut poſt horas 24 omnem ſuam acrimoniam deponant. 2°. Partes maximè flexiles omnium etiam maximè *mutantur*: tales enim maximâ donantur ſuperficie, & minimâ ſoliditate; adeòque minimam reſiſtentiam habent. 3°. Particulæ anguloſæ maximè *immutantur*; ſiquidem anguli abraduntur, unde ex anguloſis globoſæ & obtuſæ fiunt.

3. Hic autem *attritus* variatur pro varia celeritate Circulationis Fluidorum in Corpore noſtro: ideòque *immutare* Liquida, eſt *immutare* gradum velocitatis Circulationis. Jam verò quærendum eſt, quinam velocitatis gradus ad hanc illam-ve *mutationem* inferendam ſufficiat. Ad hoc ſolvendum, ſupponamus aliquem varia ſumpſiſſe Ciborum & Potulentorum genera, ut carnes ſalitas, res acidas, &c.; ſi regularis ſit Motus Circulatorius, omnia hæc Ingeſta blanda & innocua reddet; ſi verò Motus ille à qualibet cauſa, ut à febre, augeatur, tunc ex iiſdem Ingeſtis fiet maſſa craſſa, depravata, & ad putredinem vergens.

4. Hinc igitur concludimus, 1°. Motum *lenem* & *æquabilem* omnia *blanda* producere. 2°. Motum minorem *ſolitô* Fluida, præcipuè verò Chylum, in ma-

teriem *acidam* convertere: ſic in Infantibus & Pueris, nec non in Fœminis phlegmaticis, & nimis quieſcentibus, Morbi ſæpiùs oriuntur ab *acido*; ideòque tales juvantur Salibus Volatilibus, nec non Medicamentis Chalybeatis, Abſorbentibus, &c. 3°. A velocitate nimis *aucta* omnes particulas *acrimoniam* acquirere, eamque quam *alcalinam volatilem* appellant.

CAPUT VI.

De Diluentibus.

1. D*Iluentia* ſunt illa, *quæ Fluido permiſta, partes ejus reddunt fluidiores, ita tamen ut eas non immutent.* Fluidum vocatur ea maſſa, cujus minimæ particulæ ſunt ſibi invicem continuæ, ſed tamen facilè ſeparari queunt: (vide PROLEGOM. CAP. I. §. IV.) *fluidius* ergo reddere, eſt facere ut minori vi partes ab invicem ſint ſeparabiles.

2. Iſtud autem dupliciter fieri poteſt; nempe, 1°. Particulas ſingulas in *minutiores* dividendo; qui verò modus non eſt hujus loci. 2°. *Diluendo*, ſive aliud corpus admiſcendo, quod quidem tres ſequentes debet habere conditiones;

ſcilicet, (1) quicquid *diluit*, debet eſſe *fluidum*; (2) debet eſſe *fluidius* humore diluendô ; (3) poſt miſcelam debet *fluorem* ſuum retinere.

3. Corpus hiſce tribus conditionibus præditum, præter Aquam, nullum eſt: Vinum quidem dicitur *diluere*; ſed vis ejus diluens pendet ab aquoſitate ſua vi ſtimulanti conjuncta : Jam verò Olea maſſam potiùs immeabilem reddunt ; Spiritus fermentati plerùmque maſſam coagulant, non autem diluunt ; Sales ſunt ſolidi, adeòque *Diluentium* conditiones non habent, ſed ſtimulando attenuant ; Terra quòque ſolida & iners eſt. Ergo ſi *diluendum* ſit, Aquâ oportet uti.

THEOR. I. Aqua, ſi calore adjuvetur, *diluit* magis ; hinc Aqua calida ad iſtud eſt optima.

THEOR. II. Salinæ particulæ, ſtimulando, actionem Aquæ calidæ multùm promovent ; igitur ſi ſumamus Salem Marinum, Polychreſtum, Ammoniacum, vel Boracem, cum Aqua, tunc optimum *dilutionis* effectum obtinebimus.

THEOR. III. Reſpirationis motus auctus, nec non voluntarius ſumma ſunt ad *diluendum* adminicula : hinc ubi citâ

dilutione opus est, ut in Pleuritide, Peripneumonia, &c. tum ægri quantùm possunt respirent: nam præter effectum proprium moti Pulmonis, scilicet, Humorum attenuationem, insuper eâdem ratione comprimuntur Ventriculus & Intestina; atque sic Aquæ *diluentis* citior inde fit expulsio, & in Vasa Lactea derivatio; hinc etiam Ductus Chyliferus magis per vices premitur, unde Aquæ per eundem fluxus acceleratur. Ita quòque, motu Musculorum voluntario, augetur Liquidorum trajectus: istud autem maximi est usûs in Morbis Chronicis, ubi constat Liquida esse incrassata; quapropter qui talibus Morbis affecti sunt, gradiantur, ambulent, saltent, similesque motus moderatè exerceant, iteratâ interim Aquæ potatione: quippe multò meliùs inde se habebunt; ut exemplô ægrorum qui equitatione, vectione in rheda, & similibus, satis diu & ut par est, utuntur, clarissimè patet.



CAPUT VII.

De Coagulantibus.

1. COagulantia sunt ea, *quæ partes Fluidum constituentes in massam strictam & concrescentem mutant, ita ut multæ particulæ sub una superficie moveantur.* Hoc autem dupliciter fieri potest; scilicet, 1°. Expellendo particulas fluidissimas, quæ cæteris interjacent. 2°. Uniendo partes inter se, nimirùm inter Fluidi partes aliquid interponendo, quod eas inter se nectat, ita ut in majores moles abeant, & ampliùs fluere non possint. Porrò quæ Sanguinem hoc modo *coagulant*, semper perniciosa sunt, & intra Corpus admitti vix queunt, quin statim mortem accersant.

2. Classes Medicamentorum quæ Fluidum nostrum primo modo *coagulant*, duæ sunt; nempe, 1°. *Exprimentia*, sive *Expellentia* propriè dicta; 2°. *Absorbentia*, quæ liquidum intermedium tenuius intra poros suos accipiunt, unde reliquum crassius evadit. Priora nostrorum Humorum copiam minuunt; posteriora verò eam augent: sed hæc non adeò facilè in nobis operantur, ac non-

nulli sibi fingunt; assumpta quippe Vasa Lactea ingredi nequeunt.

3. Prioris autem Classis *Coagulantia* sunt, (1) inter Vegetabilia, 1°. Ea omnia quæ cum *Martis Vitriolo* commista, tincturam *nigram* ac teterrimam producere solent; v. gr., Gallæ, quæ cum nostris Liquidis mistæ, ut & cum Lacte, Ovi albumine, Saliva, eadem *coagulant*; sic etiam Rosarum rubrarum Succus recenter expressus; ut & Succi ferè omnes immaturi; tum Nuces Juglandes, præsertim earum Cortices; nec non Cortex & Flores Granatorum; Succus Acaciæ immaturus, Mespilorum, Omphacii, Ribesiorum, Cotoneorum, & similes Succi plurimi, in ore retenti, salivam *coagulant*: si verò, tales quales sunt, Sanguinem attingant, (nempe, si in Venas injiciantur) ipsum *coagulant*, & *polypos* in Corde & Arteria Pulmonali producunt. Eorumdem verò Succorum nonnulli, si maturi sint, aliquantulùm attenuant. 2°. *Spiritus Acidi fermentati*, præsertim si vires maximè concentratas habeant, i. e., si ad summam aciditatem deducti sint; nam Acida simplicia sive diluta, ut Acetum simplex, non coagulant, sed potiùs diluunt. 3°. *Spiritus* omnes *fermentati ardentes*, ad eam subtilitatem perducti,

ut mereantur nomen *alcohol*, sive ut pulverem pyrium accendere queant: hi verò ex omnibus Vegetabilibus haberi possunt ope fermentationis, primò ad vini, dein ad aceti naturam deducentis; etenim si distillatio fiat antequàm aciditas supervenerit, tum habetur Spiritus inflammabilis, qui ipsam salivam *coagulat*: hinc pessimè agunt Practici commendantes hosce Spiritus in Humorum tenacitate nimia.

(2) *Coagulant*, inter Fossilia, 1°. *Sales Vitriolici*: ut sunt Vitriola Martis, Plumbi, Lunæ, Cupri, Mercurii; item Alumen, & Mercurius Sublimatus corrosivus, si tam parvâ quantitate sumantur, ut solummodò stimulent, non autem dissolvant; ita quòque Lapis Infernalis minori quantitate coagulat, majori autem dissolvit. 2°. *Spiritus* omnes *acidi* è Fossilibus igne violento educti: ut Spiritus Sulphuris; qui verò si aperiat, id agit quatenùs Solida stimulat; sed hîc loci consideratur quatenùs immediatè in Liquida agit, eaque coagulat cum iis immixtus: idem etiam efficit Spiritus Salis Gemmæ, & Marini, nec non Aluminis, Vitrioli, Nitri; simul & Aqua Fortis, sive ex Vitriolo & Nitro tantùm, sive addito hisce duobus Alumine,

Alumine, confecta ſit: inter hæc autem Spiritus Nitri & Aqua Fortis maximè coagulant.

Porrò hæc omnia duplicem in nobis vim exercent; nempe, 1°. In Solida agunt, eaque corroborant, i. e., in contractionem ſtimulant; itaque majori diſtenſioni, & conſequenter Cordis actioni magis reſiſtunt: hinc mutuus eorum motus augetur, ipſorumque actio in Liquida noſtra major evadit; unde Liquidorum attenuatio, fluidiſſimarum partium diſſipatio, & inde tandem *coagulum* oritur. 2°. Liquidis noſtris ſufficienti quantitate permiſta, protinùs ea *coagulant*. Hinc igitur videmus, quomodo idem Medicamentum *Solvens* & *Coagulans* ſimul eſſe poſſit.

4. Ad poſteriorem Claſſem Coagulantium, ſcilicet, *Abſorbentium*; pertinent ſequentia. 1°. *Terræ* omnes, tàm *exuſtæ*, quàm *exuſtionis* immunes, nativæ nimirùm & pingues: ut ſunt Cretæ, atque Boli, nec non Terræ Figulinæ omnes, & Argillaceæ; quæ verò, quò plus exuſtæ & tenues ſunt, eò magis abſorbent. 2°. *Oſtracodermata* quælibet in cineres redacta: ut Conchæ marinæ, unde calx habetur, præſertimque Chelæ Cancrorum, Conchæ Oſtreorum, Co-

rallia, Mater Perlarum, &c. 3°. Omnes partes *solidæ* & *fluidæ* Animalium *exustæ*: ſicut Oſſa, Cornua, Caro, Membranæ, &c. quæ in cineres redacta, *ſtyptica* ſunt, & *coagulant*; ut Hepar toſtum, Sanguis uſtus, &c. atque omnia quæ in cineres inſulſos redigi poſſunt. 4°. *Calces* Metallorum igne vehementi exuſtorum: ut Colcothar Vitrioli, quod ore aſſumptum ipſam coagulat Salivam; ſic & Vitriolum Martis igne ſummo calcinatum, ſi calidum applicetur Sanguini, eumdem inſtar lapidis durum efficit.

CAPUT VIII.

De Moventibus.

1. MOtus duplex in noſtris Liquidis conſiderari poteſt; unus, ſcilicet *inteſtinus* particularum, ad quem verò hîc loci minimè attendimus; alter autem quo Fluida noſtra per Vaſa, durante vita, circumaguntur. *Moventia* itaque (de quibus hîc loquimur) ſunt illa, *quæ motum Liquidorum per Vaſa accelerant*.

2. Ad Motum Circulatorium Fluidi, requiruntur 4 conditiones; nempe, 1°. *Vis* Cordis in Fluidum, utpotè à qua

principium Motûs pendet: Quum autem hæc non ſit continua, ſed interrupta, ne Motus pereat requiritur 2°. Arteriarum *contractio*: quâ poſitâ, tum adhuc requiritur 3°. ipſius materiæ tranſmittendæ *fluiditas*; quæ nihil aliud eſt, quàm facilitas receſſûs partium à ſe invicem, abſque notabili reſiſtentia: 4°. Vaſorum *laxitas* ſive *libertas*, h.e. minima reſiſtentia versùs extrema, ita ut Vaſa ſe liberè explicare & diſtendere poſſint. Quicquid ergo *vires* Cordis & Arteriarum, vel Liquidi *fluiditatem*, vel Vaſorum *dilatabilitatem* auget, idem quòque *Movens* eſt; præcipuè verò illud quod Cordis *vires* adauget: per auctum enim Cordis Motum, major etiam fit omnium Humorum, ac proinde Liquidi Nervoſi, ſecretio; quod quidem Liquidum in Villos muſculoſos Cordis copioſiùs influens, ipſi novas addit vires, unde Humorum Circulatio magis adhuc promovetur, & acceleratur.

3. Claſſes autem *Moventium* ſunt *tres* ſequentes.

I. Claſſis continet (1) *Stimulantia* cuncta, quæ, Nervos afficiendo, uberiorem Spirituum *ſecretionem* & *fluxum* promovent; unde major *vis* Cordi accedit: atque ſic in morbis languidis, apo-

plecticis, &c. ubi Motus Circulatorius fatiſcit, ſolemus Nervos, vel re quâdam ingratâ ſtimulando, vel pilos extrahendo, irritare. (2) Omnia *Stimulantia laxantia*, i. e., quæ Vaſa dilatabilia faciunt, ut Liquida facilè admittere poſſint. (3) Quæcunque Sanguinem *attenuant.* (4) Omnia quæ *Acrimoniam* in Liquidis generant. (5) *Diluentia* quælibet. De his autem quinque capitibus jam quidem anteà, ſuis in locis, egimus.

II. Claſſis continet quæcunque Sanguinis *motum* per Venas accelerant; inter quæ præcipuum locum obtinet Venarum *compreſſio*: hæc autem dupliciter fieri poteſt; nempe, 1°. Partes *fricando* ab extremis versùs Cor: huc verò pertinent Frictiones, Balnea, atque Fomenta tepida. (Confer PART. I. CAP. VI. *De Solventibus*, Art. 5.) 2°. Muſculos plurimùm *movendo*: quod quidem multò magis prodeſt in Hydrope, Hypochondriaca & Hyſterica Paſſione, Pallore Virgineo ſive Chloroſi, &c. quàm plurima interna Medicamenta; Reſpiratione ſiquidem auctâ, multùm augetur Sanguinis velocitas, Venâ utpotè Pulmonali ab aëre in Pulmonibus contento ſubinde compreſsâ & depletâ: hinc etiam *ſternutatio*, *cantus*, *tuſſis*, *ri-*

ſus Leucophlematicis valdè proſunt.

III. Claſſis continet Remedia quæ *vitia* in Fluidis hærentia tollunt. Liquidum verò vel *copiâ* deficere, vel *craſſitie* nimiâ peccare poteſt. Si tanta ſit Liquidi *penuria*, ut ejus continuitas in Vaſis tollatur, neceſſariò ſiſtetur ipſius motus: pars enim antecedens ſemper pelli debet à parte ſubſequenti; hanc autem deficere ſupponimus. Ergo Liquidum amiſſum in hac occaſione reſtitui debet: atque ſic homines calido temperamento prædítos, non ſecùs ac eos qui ſudoribus nimiis emaciati ſunt, Serum Lactis plurimùm juvat; quoniam ſcilicet amiſſi Liquidi penuriam reſarcit. Jam verò, ſi Liquidum *craſſitie* ſuâ peccet, tum adhiberi debent Incidentia, Diluentia, & Attenuantia.

CAPUT IX.

De Siſtentibus.

S*Iſtentia* ſunt illa, *quæ accelerationis cauſas modò memoratas vel tollunt, vel minuunt*: talia ſunt quæ *ſtimulum* Nervorum ſedant, Vaſorum versùs extrema *laxitatem* tollunt, Sanguini *craſſitiem* conciliant, ac Liquida *tenuiora* ab-

ſorbent; nec non quæ *motum* Muſculorum & Reſpirationis inhibent: Præterea nonnulla dantur quæ *ſtimulum* Nervorum *ſpecificè* deſtruunt; ut Opium; item, in Febribus intermittentibus, Cortex Peruvianus; &c.



PARS TERTIA.

De Medicamentis in Solida et Fluida simul agentibus.


Medicamenta quæ in *Fluida* & *Solida* ſimul agunt, ſæpenumerò *varia* nomina & *diverſos* effectus ſortiuntur, prout huic, vel illi Corporis parti applicantur. Sic enim, ex. gr., *Radix Jalappæ*, Cuti applicata, inſtar *veſicatorii* agit: eadem, Glandulis Inteſtinalibus admota, fit merum *hydragogum*: ſi cum Theriaca & Opio detur, fit *ſudoriferum*; nam ad interiora pellitur: ſi Vitello Ovi admiſta vulneri externè applicetur, *detergens* & *dolorem excitans* evadit. Ita quòque, ſi circa Fauces vas aliquod nimis patulum ſit, adeò ut inde liquidum extillet, China Radix in pulverem redacta huic vaſi opem affert,

Jam verò Medicamenta quæ tàm in *Solida* quàm in *Fluida* ſuas vires ſimul exerunt, commodè ſatis ad *duas* Claſſes reduci poſſunt.

[*Prior* Claſſis cõntinet omnia illa quæ Circulationem Sanguinis & Secretiones promovent; item ea quæ contrarium producunt effectum, ſcilicet, omnia quæ Circulationem & Secretiones retardant ac debilitant.

Poſterior verò complectitur omnia quæ promovent Excretiones è quibuſcunque Corporis noſtri partibus.





PRIMA CLASSIS

Medicamentorum in Solida et Fluida simul operantium.

Licèt hæc Medicamenta in *duas* tantummodò Classes (utì mox vidimus) in genere dividi possint; quoniam tamen superiùs, nimirùm in Prolegomenis, CAP. XIII, eadem in *quinque* Classes distribuimus, (de quibus verò conferatur dictum CAPUT, pag. 132. & sequ.) hunc etiam ordinem hîc loci sequemur.

Porrò, quum ad *primam* Classem (juxta divisionem ibidem expositam) referenda sint omnia Medicamenta de quibus jam in I. & II. PARTE mentionem fecimus, quatenùs scilicet actionibus combinatis agunt, ideò hæc impræsentiarum non repetemus. At verò, quoniam ad Classem hanc retulimus quòque Classem eorum quæ *Secretiones peculiares* promovent, idcircò ab ista nunc incipiemus: Sub hac autem continentur imprimis *Galactophora*, & *Spermatopœa*; de quibus igitur jam agamus.]

CAPUT

CAPUT PRIMUM.

De Galactopœis, sive Lac generantibus.

1. LAc (Græcè Γάλα) est ipsa *Chyli* materies, in Ventriculo elaborata, in Intestinis ulteriùs subacta, intra Venas Lacteas absorpta, per Ductum Thoracicum ad Venam Subclaviam deducta, & ibidem Sanguini commixta; hinc verò ad Cor dextrum, & mox ad Pulmones delata, ibique comminuta & accuratiùs Sanguini permixta; dein ad sinistrum Cordis Thalamum, & inde per Aortam ejúsque ramos, distributa; quæ porrò, quatuor aut quinque horis, aut longiori intervallô, post largiorem pastum, Cruori è quacunque Vena, vel Arteria, detracto magnâ copiâ innatare deprehenditur, teste LOWERO (*a*); atque tunc in omnibus cum Lacte convenit: post illud verò tempus, per continuatum in Corpore circulum, sensim mutatur in Sanguinem. Pars autem hujúsce Chyli Lactescentis, à reliquo separata, devenit ad Mammas, & ibidem proprio nomine *Lactis* insignitur; quod

(a) *Tractat. de Corde*, Cap. V. pag. m. 238.

proinde à reliquo Chylo diverſum non eſt, licèt aliquando, propter ſitim à Nutrice toleratam, *ramoſius* evadat.

2. Jam verò *Galactopœa* dicuntur ea Medicamenta, *quæ Lac generant.* Hoc autem à Sanguine (ut modò diximus) immediatè ſecerni vel indè clarè patet, quòd ſi Nutrix, jejunô ſtomachô, aliquid Liquidi colorati vel odorati bibat, intra breve tempus *Lac* ejus eodem utcunque colore & odore inficietur (*a*): ſi verò, per 12 horarum ſpatium, à ci-

(*a*) Unde & *Pharmacum* Nutrici propinatum (præcipuè verò ſi fortius fuerit) ad ipſius Mammas ſtatim advehi, atque *Lac* inficere, exemplis manifeſtum eſt; quin etiam conſtat, Infantem, ſi protinùs ac aſſumptum eſt à Nutrice *Purgans*, Uberibus admoveatur, ſuctionemque continuet, donec nihil ſuppetat materiæ, certò *expurgatum* iri, Nutrice ſalvâ: Quod quidem experientia nos docet, vel ipſo jam aſſentiente HIPPOCRATE, (*Libr.* 6. *Epidem. Sect.* 5. *verſ.* 51. *Edit.* LIND.) qui ſic loquitur: Γυνὴ, ἀ'ίξ, ἐλατήριον ἢ σικύον ἄγριον βεβρωκυῖαι, καὶ παιδίοισι κάθαρσις, h. e., *Mulier, Capra, Elaterium* (alii malunt *Elleborum* hìc intelligere) *aut Cucumerem ſylveſtrem comedentes, Pueris purgatio.* Hujus verò ſententiæ explanationem videſis apud PROSP. MARTIANUM, præſtantiſſimum HIPPOCRATIS Interpretem, (*Commentar. pag.* 353. *Edit. Rom.*) qui porrò alibi (nempe, *Comment. in Lib. de Natura Pueri, pag.*

bo & potu abſtineat Nutrix, ejus *Lac* adeò ſeroſum, ſive urinoſum, ob novi Chyli defectum, reddetur, ut infans illud planè averſaturus ſit. Idem etiam in febribus Nutricum accidit.

Hinc patet, quænam in noſtro Corpore *Lac* producant; nimirùm, (1) Quæcunque *Chylum copioſum* generant. Alimenta verò iſtud præſtantia, ſunt omnia quæ *Chylo* ſimillima ſe præbent: talia ſunt, 1°. Lac recens & dulce; præſertim ſi Salis aut Sacchari pauxillô condiatur, quod quidem præſtantiſſimam Chyli materiem ſuppeditat. Jam verò ſæpe contigit, imprimis apud lautè viventes, Matres (ob defectum Lactis, ortum à nimis frequenti Carnium uſu) ſuos Infantes non potuiſſe lactare; utentes autem hoc præſcripto, lætas redditas fuiſſe ſuorum Infantium nutrices. 2°. Cremor Lactis recens & dulcis;

43.) hanc in rem optimè appoſitam hiſtoriam narrat, de quadam Muliere, cui tale quid contigit: " Quum enim, aſſumptô medicamentô *purgante*, ſtatim porrexiſſet „ Puellæ anniculæ Mammam, hæc Infans „ adeò fortiter *purgata* fuit, ut de ſuperpurgatione lethali dubitaretur, ipſi tamen „ Matri ne ſemel quidem alvus ſubducta eſt; „ ſignum evidens, medicamentum ad mammas ſuctionis vi ſtatim raptum fuiſſe, &c. „

præſertim ſi Lac Nutricum nimis aquoſum ſit. 3°. Ptiſanæ omnes craſſiores ex Hordeaceis, ſive potiùs ex Avenaceis, cum Lacte coctis. 4°. Panatellæ quælibet, ſive ex Lacte, ſive ex Vino, ſive ex Cereviſia. 5°. Oryzata cum Piſtaciis, & ſimilibus farinaceis; item Emulſiones ex iiſdem. 6°. Juſcula Carnium non nimis craſſa; quæ verò ferè ſtatim ad Mammas eunt. 7°. Ova recentia, variis modis parata. 8°. Cereviſiæ recentes, non diu fermentatæ, craſſæ & dulces. Ab his autem omnibus brevî ſecernitur *Lac*, quod poſt horæ $\frac{1}{4}$ commodè ſumi poteſt ab Infante.

(2) Omnia, quæ *Chylum* generatum ad Mammas *derivant*: hæc autem ſunt illa quæ Chylificationem promovent; ut 1°. Stomachica, quæ augent Ventriculi robur, ita ut cum effectu ſeſe contrahat ad liquidi expulſionem: hinc obſervandum eſt, an Nutrix depravato Stomacho laboret. 2°. Splanchnica, quæ fluxum Bilis, Succi Pancreatici, & Inteſtinalis excitant. 3°. Muſculorum motus omnes; ut ambulatio, labores domeſtici, &c. Hæc omnia, Chylificationem promovendo, *Lac* copioſum ad Mammas derivant.

(3) Quæcunque *Lactis* excitant *efflu-*

xum ſeu *eductionem* è Mammis: etenim quò plùs extrahitur, eò plùs derivatur. Quædam autem dantur, quorum ope *Lac* per *eductionem* promoveri poteſt: talia ſunt ea omnia quæ Vaſorum Lactiferorum *reſiſtentiam* minuunt; ut 1°. Cucurbitulæ; 2°. Fomenta emollientia, ſæpiùs applicata; 3°. Frictiones; 4°. Suctiones. Quibus omnibus ſi Mulieres uterentur, hæc tenellis Infantibus, Lacti propriâ ſuctione educendo imparibus, ex uſu forent. Ita quòque Catuli recèns nati Papillæ butyrô illitæ, magno cum effectu, applicari poſſunt. Jam verò calidiora, quæ vulgò huc annumerantur, ſtimulando ſolùm agunt, ideòque ad ſuprà dictam indicationem propriè referenda non ſunt.

COROLL. Ex dictis autem patet, Nutrices illas quibus *laxa* eſt caro, aliis præcellere; quippe Chylum æquè laudabilem generant, ac robuſtiores, & inſuper uberiori copiâ reddunt.



CAPUT II.

De Spermatopœis.

SPermatopœa ſunt illa, *quæ Semen generant.* Jam verò ad *Semen* conficiendum triplex Liquidum requiritur; nempe, 1°. Liquidum Proſtatarum, 2°. Veſicularum Seminalium, 3°. Teſticulorum; quod autem ſolum prolificum eſt, ut conſtat ex Eunuchis: quapropter Medicamentum *Semen generans* eſt illud, quod hujus Liquidi in Teſtibus *elaborationem* promovet: talia verò ſunt ſequentia.

(1) Omnia quæ *Chylum* benignum, ac proinde *Lac* & *Sanguinem* augent; hinc etiam Animalia Lacte copioſiſſimè utentia, ſalaciſſima ſunt.

(2) Medicamenta quælibet *Relaxantia*, ſive reſiſtentiam in Teſticulis tollentia: talia verò ſunt Fotus, & Balnea calida; nec non omnia Oleoſa, ut Oleum Rutæ, &c. atque ex his Præparata, formâ balſami, vel cataplaſmatis, Scroto applicata. Specificè verò laudantur pro Medicamentis *Spermatopœis*, varia Præparata ex Abrotano, Maro odorato, Ariſtolochiâ, Calaminthâ,


Eryſimo, Eryngio, Naſturtio aquatico, & hortenſi, Dictamno, Leviſtico, Origano Cretico, Neperâ, Petroſelino, Sabinâ, Serpyllo, Thymo. Hæc externè applicata Seminalem Humorem hùc deducunt.

(3) Quæcunque *Nervoſum Liquidum* valdè ſtimulant, internè ſumpta, atque *priapiſmos* producere ſolent: talia ſunt, Allia, Cepæ, Porri; nec non omnia quæ in ſecunda Claſſe numerantur; item omnia Gummi aromatica, ut Myrrha, Aloë, Galbanum, Sagapenum, Bdellium, Gummi Ammoniacum, Elemi, Tacamahaca; nec non Balſamum Peruvianum, Tolutanum, Copayba, [Canadenſe], Balſamum è Mecha ſive Opobalſamum; ut & Alimenta opipara, quæ, nimiâ copiâ aſſumpta, *ſatyriaſin* producunt. Vis autem horum omnium *ſeminifica* patet inde, quòd hominibus à Gonorrhœa convaleſcentibus propinata, nocturnas pollutiones eis excitent.

Ad hanc Claſſem quòque referendi ſunt omnes Sales, (Nitrô & Vitriolo exceptis) ut Borax, Alumen, Sal Marinus, Sales omnes Volatiles, & imprimis Oleoſi; omnes etiam Sapones; item Diuretica quælibet (Aquâ ſolâ exceptâ);

ſimul & Animalium Olea, ut Caſtoreum; nec non Olea Aromatica Vegetabilium. Notandum eſt tamen, iſta non propriè *Semen* generare; ſed ſolummodò, Nervos ſtimulando, Seminis Secretionem promovere: hinc igitur non danda ſunt Senibus, utpotè quibus Semen & Humor Nervoſus deficiunt. Hiſce tandem omnibus addi poſſunt Cogitationes Venereæ; unde nocturnæ pollutiones ſæpè fiunt; &c.

(4) Specifica à Veteribus laudata: qualia ſunt, Anethum, Fœniculum, Eruca, Ciceres, Satyrion; quæ omnia modô ſuprà dictô operantur: Ita quòque Teſtes Animalium ſalacium, nimirùm Hirci, Caballi, Galli Gallinacei, ut & Paſſeris Cerebrum, à Veteribus commendantur; ſed incerta ſunt, & fortè vana.





SECUNDA CLASSIS.

De Medicamentis Excretiones promoventibus.

CAPUT PRIMUM.

De Apophlegmatizantibus.

1. PHlegma vocatur lenta hæc & subalbida *pituitosa* materies, quæ secernitur in Membrana *Pituitaria* dicta; quæ quidem investit duos magnos Sinus Ossis Frontis, Ossa Genarum, Os Cribriforme, Cristam Galli, Sellam Turcicam, Ossicula omnia Narium, & Nares ipsas; (de qua vide Schneiderum in Tractatu *de Catarrhis.*) Notandum est verò, quòd in nulla Corporis parte Vasa Sanguifera magis nuda sint, aut Nervi minùs tecti, quàm in hac Membrana; quin & ex hujus Membranæ situ clarè patet, *Apophlegmatizantium* vim sese in Cavitates Ossis Frontis undiquàque extendere: hinc Veteribus dicebantur *Cerebrum Purgantia*; quasi ad ipsum Cerebrum pertingerent: sed demonstravit Schneiderus, nihil ex ipso Cerebro ad dictæ Membra-

næ Glandulas profluere; verùm in iisdem ſecerni materiem quamdam á Sanguine arterioſo, antequàm hic ad Cerebrum deferatur; unde fit ut magis purus & defæcatus evadat: & reverâ materies hæc ubi primùm ſecernitur, tenuis eſt & ichoroſa; brevî verò, vi caloris, in craſſam materiam, *mucum* dictam, inſpiſſatur.

2. Medicamenta itaque ad *Apophlegmatizantium* Claſſem pertinentia, ſunt *Detergentia* omnia, *Diluentia*, & *Stimulantia*: qualia ſunt Aquoſa, Salina, Saponacea, Spirituoſa, Aromatica; ut Decocta aromatica, ſive cum aqua, ſive cum vino, ſive cum ſpiritu vini: & hæc adhibentur, 1°. formâ *Errhini*, quod materiem per Nares educit: hujus autem uſus eſt optimus, ubi à cancro vel luë venerea aliquid morboſi in Naribus hæret; 2°. *Gargariſmi*, qui materiem è Faucibus educit: hic verò ſemper liquidus eſt; 3°. *Maſticatorii*, quod phlegma per Os educit, & plerùmque conſtat ex cera & aromaticis mixtis; 4°. *Collutorii*, ſive id fiat per ſyringam, ſive per linteum, aut aliter; 5°. *Eclegmatis* ſeu Linctûs, qui dum lentè deglutitur, Fauces ſtimulat, indeque prodeſt; 6°. *Fumi*, qui ex Herbis omni-

bus aromaticis, per fiſtulam, aut aliô artificiô, recipitur. Quum autem prima ſpecies ſola per Nares purget, quinque verò ſequentes per Os, hinc *Apophlegmatizantia* cuncta ſatis commodè reduci poſſunt ad *Ptarmica* ſive *Errhina*, & *Sialogoga* ſeu *Salivam moventia.*

3. *Ptarmica* ſive *Sternutatoria* ſunt illa quæ, Sternutationem procurando, *mucum* è Glandulis Membranæ Pituitariæ educunt. Jam verò *Sternutatio* ſequenti modô peragitur: primò valdè dilatatur Thorax, unde fit ut Aër magnâ copiâ Pulmones ingrediatur; qui, poſt aliquod tempus, à calore rarefactus, magnâ cum vi inde pellitur per anguſtias Narium; ibique in cava ſex Sinuum, (qui in utriuſque Naris ſpatium hiant) nec non in cellulas Oſſium quatuor Spongioſorum diſtribuitur; dumque per iſtas anguſtias aër pellitur, violenter in Membranam ruit, & *mucum* in Glandulis contentum movet, ac ſecum abripit. *Sternutationis* igitur hi ſunt effectus: 1°. Omnium foraminum & cavernarum Narium expurgatio: 2°. Pulmonum etiam purgamentum: 3°. Corporis validiſſima concuſſio. Hinc in morbis ubi Liquido Nervoſo motum conciliare oportet, Sternutatio optimè conducit; ut in

Apoplexia, Scorbuto lento, nec non in Partu difficili, ubi matris vires deficiunt. Sternutatio autem nimis diu durans admodùm fatigat, & aliquando convulsiones, quin & mortem ipsam inducere potest; hinc forsàn ortus est mos sternutantibus fausta precandi.

4. Duæ sunt *Errhinorum* Classes. *Prior* complectitur omnia illa, quæ mechanicô modô vellicare possunt Membranam Pituitariam; ut sunt pulvis, pluma, animalcula, sanguis ibidem propter obstructionem, sive inflammationem accumulatus, &c.; unde quidem evenit, ut, incipiente gravedine, mucus Narium maximâ copiâ exstillare soleat. *Posterior* verò continet omnia Acria tenuia & volatilia; quorum quodlibet quò acriùs est, eò violentiùs operatur: sic Hyssopus levem excitat sternutationem, Satureia paulò majorem, graviorem adhuc Piper, multò graviorem Euphorbium, at omnium gravissimam Mercurius Sublimatus Corrosivus, qui homines in actu sternutationis per plures horas detinet, etiamsi quantitate admodùm exiguâ sumptus fuerit.

5. *Sialogoga* sunt Medicamenta quæ *Salivam* movent. Glandulæ porrò quæ Salivam suppeditant, sunt multiplices;

nempe, (1) Glandulæ Salivales STENONIANÆ, Parotides dictæ; (2) WARTHONIANÆ, ad majorem angulum Maxillæ inferioris sitæ; (3) BARTHOLINIANÆ, sub ipsa Lingua positæ; (4) SCHNEIDERIANÆ, sive Palatinæ; huc etiam pertinent Tonsillæ, & Uvula; (5) [Glandulæ Sublinguales, Buccales, Labiales.] (6) NUCKIANÆ Oculares, i. e., ad Oculum positæ, & ductu suo in Os hiantes (*a*).

(*a*) Harum omnium Glandularum accuratiorem vide descriptionem in *Institut. Med.* clariss. AUCTORIS nostri, *Cap. de Saliva*, §. 65. tum & apud NUCKIUM, *Sialograph. pag.* 8. *ad* 23. Porrò hic loci notandum est, Glandulas *Oculares* NUCKIANAS ex isto catalogo expungendas esse; quippe quæ in Canibus quidem inveniuntur, sed in Homine semper deficiunt. Verùm enumeratis hisce Glandulis Salivalibus, *novam* quòque cum *Ductu* suo *Glandulosam Expansionem* addidit, viginti abhinc annis, ABRAH. VATER, Med. Professor *Vittebergæ*; quam autem, injectionis ope, in *Linguâ* Puellæ se detexisse perhibuit; & in *Programmate*, quod anno 1720. publici juris fecit, *Ductum* hunc ipse vocavit *Salivalem novum, eumque præcipuum in Lingua excretorium Glandulæ insignis, ad latera Linguæ, & sub eadem sitæ, itemque super radicem Linguæ, Epiglottidem, circa Glottidem, super Arytænoideas usque intra Oesophagum expansæ.* Hujus verò Glandulæ *Foramen* jam à

Jam verò *Sialogoga* ad tres Classes sequentes reducuntur.

Prima continet ea quæ in Glandulas modò dictas *agunt*; qualia sunt, 1°. Fotus, Frictio, & Suctio, vel interna, vel externa, harum partium: hinc porrò Cataplasmata ad Parotides applicata Os madere faciunt, & à suctione Tabaci Os humidum evadit. 2°. Omnia Apophlegmatizantia modò memorata. Notandum est autem hîc summoperè, quòd hæc Medicamenta nunquam morbos curent Salivatione, ut plurimi opinantur; non enim Salivatio curat Luëm Veneream; sed subsequitur Salivatio, quia curari incipit morbus.

Classis secunda complectitur omnia illa quæ humorem in Os *derivant*, fluxum ejus in alias Corporis partes intercipiendo: observatur enim, quòd si Viscera quædam sint obstructa, ut Hepar, Lien, Pancreas, item Renes, Ductusve Intestinales, tum semper Os madeat; unde Hypochondriaci *sputatores* dicti sunt: adeòque quicquid Lymphæ Secre-

COLLINS (*Anatom.* Tab 2.); tum à MORGAGNIO (*Adversar. Anatom.* 1. Sect. 8. Tab. 1.); & ab HEISTERO (*Compend. Anat.* Tab. 4. Fig. 20.) detectum atque delineatum habetur.

tionem in illis locis impedit, habendum est pro *Sialogogo*; an autem bono vel malo, hîc non quæritur.

Tertia continet ea quæ massam Sanguineam *solvunt*, ejusque sic solutæ magnam copiam in Os derivant; qualia sunt, 1°. Antimonium eò usque per Nitrum fixatum, ut non valeat vomitum vel alvum movere, sed nauseam solummodò; hinc enim copiosam Salivam in Os derivat: quippe constat, quòd omnia Vomitoria, priusquàm Ventriculum ad contractionem moveant, producant nauseam, quam autem semper comitatur Faucium insolita humiditas. 2°. Mercurius, qui verò variis modis in usum venit; nempe, (α) Mercurius crudus Corpori applicatus Salivationem excitat. Potest autem applicari, 1°. specie linimenti, ut in Unguento Neapolitano: 2°. specie fumi; si enim, v. gr., Hydrargyri grana 12 imponantur igni, fumum emittent, qui, si Naribus excipiatur, intra 2 vel 3 dies Salivationem excitabit: 3°. Sumi potest internè, ut in Pilulis BARBAROSSÆ, ad Salivationem excitandam, sed solummodò parvâ quantitate, alioquin viam per Anum sibi quæreret: 4°. Si multùm, diuque tractetur manibus, inde potest excitari

Salivatio, ut experientia nos docet; nam Aurifabri, qui Mercurio plurimùm utuntur, sæpenumerò in Ptyalismum incidunt. (β) Mercurius per sublimationem Salibus unitus, Salivationem movet; 1°. si parvâ dosi internè sumatur; 2°. si Vulneribus vel Ulceribus externè immitatur; 3°. si Naribus attrahatur.

Ex dictis ergo patet, quòd quâcunque ratione Mercurius applicetur Corpori nostro, Salivationem excitabit; & quidem eundem in nobis producet effectum, quocunque modo præparatus, nisi sumatur cum aliqua re, quæ dissolutionem ejus in Ventriculo ac Intestinis, & consequenter transitum per Vasa Lactea impediat: tum enim nequaquàm Sputum movebit, sed per Anum è Corpore discedet; ut observari licet in Cinnabari, & Æthiope minerali, quæ quidem ex Sulphure & Mercurio unitìs & commixtis constant. Mercurius autem omnium Liquidorum ponderosissimus est: quin etiam maximè divisus & divisibilis exstat; ut patet ex ejus vi penetrante, quâ omnia corpora, præter vitrum, permeat: singulæ quòque ejus particulæ, quantùmvis minutæ, *specificam* suam gravitatem, Fluidorum aliorum gravitate majorem, & totius molis ponderi

deri proportionalem, retinent, ut à NEWTONO demonſtratum eſt. Hinc ſi Mercurius cum aliis Liquidis ſit commixtus, & utriſque motus ab eadem cauſa imprimatur, multò celeriùs feretur Mercurius, & diutiùs ſervabit motum ſuum, quàm reliqua Liquida: quapropter illius particulæ in Fluidorum reliquorum particulas minùs motas impingentes, easdem, vi quâdam ab exceſſu velocitatis ſuæ ortâ, penetrabunt, diſcindent & comminuent, nec non majorem motum iis imprimenr. Hæc verò Mercurii in alia Fluida actio, licèt ab ejus ſoliditate, tanquàm à ſola cauſa, pendeat, augeri tamen poteſt, nimirùm, ſi Mercurius in minutias redigatur: tunc enim quælibet particula proportionatam adhuc agendi facultatem ab aucta ſuperficie accipiet. Mercurius autem in Corpore noſtro receptus non agit in Fluida, niſi in minimis Vaſis; quamdiu enim in Vaſis majoribus movetur, in guttas coït, nec Liquidis noſtris ibi internè permiſcetur; idem verò in Vaſa minima delatus, propter viarum anguſtias in minutias dividitur, & cum Liquidis noſtris probè commiſcetur. Unde conſtat, quòd non immediatè in Sanguinem agat, ſed in Lympham, utpotè in Vaſis minimis conten-

tam. Hinc etiam elici poteſt ratio, cur in Corporibus obſtructis, ut in hominibus qui Luë Venereâ, Hydrope, Scorbuto, &c. laborant, majori cum effectu operetur, quàm in illis quorum Vaſa omnia aperta ſunt? Hujus autem rei notabile exemplum non ita pridem vidimus in homine quodam, qui Luë Venereâ bis laboraverat, & toties curatus fuerat; quum verò tertiâ vice in eandem incidiſſet, curatio, propter cariem oſſium, Decoctis Aperientibus tentata fuit, & his incaſſùm uſurpatis, adhibitus eſt Mercurius; qui tamen Salivationem nequaquàm excitavit: ſed tandem, ſemiannô jam elapſô, ægri corpus à leucophlegmatia, in quam inciderat, obſtructum, vim Mercurii, quantitate licèt exiguâ applicati, ſtatim agnovit; unde quidem in Salivationem violentiſſimam incidit.

Porrò ex dictis colligi poteſt, Mercurii in Corporibus noſtris recepti vim in eo conſiſtere, quòd Fluidorum noſtrorum moleculas nimis inter ſe compactas dividat ac diſſolvat, & conſequenter obſtructiones tollat. Etenim quâcunque ratione mechanicâ Liquida noſtra conterantur, comminuantur, conſtringantur, ita ut in partes admodùm

minutas redigantur, eadem pariter apta & habilia redduntur ad facilem & copiosum fluxum in Vasa lateralia Lymphatica, & proinde ad Salivationem. Mercurii autem effectum talem esse, qualem descripsimus, inde patet, quòd si Saliva, vel Urina, in partes minutas dirimatur, sive attritione, sive solis aut foci calore, eundem emittat fœtorem ac Saliva Mercuriò mota. Porrò vis Mercurii multùm promovetur, si stimulus aliquis addatur ipsi, v. gr., si caustici aliquid aut acidi adjunctum habeat; tunc enim salivationes horrendas & purgationes intolerabiles producit. Notandum est denique, quod ineptè asserant nonnulli, partes Mercurii lateribus Vasorum adhærere, quum sit corpus maximè mobile.



CAPUT II.

De Expectorantibus.

1. Expectorantia sunt illa, *quæ materiam morbosam in Bronchiis Pulmonum hærentem, per Laryngem expellunt.* Ad hoc autem 4 requiruntur conditiones; nempe, 1°. Ut materies ibi contenta reddatur mobilis & meabilis, ac proinde ut partes ejus fluidissimæ non dissipentur, ne posteà materies sit viscida, tenax, & inextricabilis: hinc ergo nimis Calida & Stimulantia nocent. 2°. Ut viæ aperiantur, detergeantur, & lubricentur. 3°. Ut materies ad excretionem provocetur; quod quidem optimè fit per Tussim; ad quam excitandam, stimulus & vires sufficientes requiruntur. 4°. Ut Vasis infarctis concilietur quies, quâ laxari possint; etenim si continuò irritarentur, humor è Glandulis Asperæ Arteriæ perpetuò ejiceretur cum sensu doloris.

2. Medicamenta itaque *Expectorantia*, quatenùs ad quatuor hasce conditiones requisitas pertinent, in 4 Classes etiam dividuntur.

Prima Classis continet *Stimulantia*

omnia *aromatica*, *amara* & ſimul *oleoſa blanda*; ut ſunt, Abſinthium, Carduus benedictus, Marrubium, Hyſſopus, Majorana, Helenium, Pulegium, Valeriana, &c. Huc etiam ſpectant Sulphurea cum Alcalinis mixta; omnia Saponacea fixa, ut Sapo Venetus, in pilulis, vel cum lacte ſumptus; omnes Sapones volatiles oleoſi; Sales volatiles, & fixi; ac in genere cuncta *Stimulantia* & *Diluentia* ſimul.

Secunda Claſſis continet *Aperientia* & *Detergentia*; ſicut Olea blanda Papaveris, Amygdalarum, Olivarum, &c. itemque Mel; quod quidem aperit, incidit, attenuat, deterget, ac lubricat. Huc quòque pertinent Emulſiones, Sapones, Vitelli Ovorum cum Oleoſis; atque Saccharum, ſaltem parciore doſi ſumptum: licèt enim hoc à quibuſdam improbetur, attamen eſt Sal rectificatum, nec balſamo noſtro naturali adeò pernicioſum eſt, ac nonnulli opinantur. Huc ſpectat etiam Manna, quæ optimè lubricat. Hujus loci quòque ſunt Balſama; ut Terebinthina, Balſamum è Mecha, Peruvianum, Toluranum, &c. Gummi Elemi, &c. quæ agunt ſtimulô aromaticô & oleô lubricante. Huc denique pariter pertinent Decocta om-

nia laxantia & emollientia.

Tertia Classis continet ea quæ *Tussim* excitant; ut Vinum, Acetum, Spiritus acres, & Errhina. Hinc patet, cur Hippocrates in Vomica, die critico instante, vel Vinum, vel Acetum, vel utrumque simul, vel Oxymel, permisto Pipere, dederit.

Quarta Classis tandem includit *Demulcentia*, *Anodyna*, & *Narcotica*; quorum præcipuum est Opium: quando enim Aspera Arteria semel excoriata est, facilè in tussim violentam, & spasmos, non nisi Opio compescendos, impellitur.

CAPUT III.

De Purgantibus per Alvum.

1. Purgantia per Alvum sunt illa Medicamenta, *quæ, vivo Corpori vel externè vel internè applicata, materiem morbosam per Intestinum Rectum evacuant.* Medici ab omni tempore ea vocavêre *Purgantia*, quæ per Intestinum ultimum materiam impuram expellunt: per *impurum* autem intelligebant quicquid inimicum est Naturæ; & per *Naturam*, omne quod ad Vitam & Sanitatemn e-

cessarium est, i. e., Functiones vitales, naturales, & animales bene constitutas: ergo materies *impura* iis erat, quicquid hasce Functiones lædit.

2. *Purgatio* est *excretio per Alvum eorum omnium, quæ ex aliquâ Corporis parte per Intestina fluere possunt*. Considerandum est itaque, 1°. Quænam & quotuplex materia sit, quæ in Intestinis reperitur? 2°. A quibus locis adveniat? 3°. Quotuplex ejus natura sit? 4°. Quantâ copiâ ad Intestina fluere possit ex reliquis Corporis partibus? Unde quidem videbimus, totum ferè Corpus per Intestina *expurgari* posse.

3. Classes eorum quæ in Intestinis contineri, indeque *expurgari* queunt, sunt 7 sequentes.

I. Classis includit omnia quæ *degluttiuntur*; qualia sunt, 1°. Aër: hic verò se permiscet cum Saliva, Liquore Oesophagi, ac præcipuè Muco Palatino, qui eum inviscat: quòd autem cum his permisceatur, eorum spuma docet, & idem demonstrat Antlia Pneumatica; quòd verò deglutiatur, patet utique ex torminibus, ab eodem, in Intestinis rarefacto, sæpenumerò excitatis. 2°. Omnis Saliva, Mucus, aliique Humores secreti ex Naribus, Faucibus,

Palato, Membrana Pituitaria, &c. quorum verò tanta copia eſt, ut quandoque catharſin moveant, ſicut fit in Diarrhœa Catarrhali, quo in caſu ad libras aliquot, intra 24 horas, aliquando fluunt. 3°. Ciborum & Potulentorum omnia genera.

II. Continet *reliquias* omnes ex Cibo & Potu; nullus enim Potus deglutitur, (Aquâ forſan puriſſimâ exceptâ) quin Fæces aliquot relinquat, ut patet in infantibus ſolo Lacte utentibus, & in ægris ſolis Juſculis victitantibus: ultima quippe Rerum omnium ſolida, ut patet ex Chemia, vix ſeparabilia ſunt; hinc à Viſceribus in eas minutias redigi nequeunt, ut Vaſa Lactea ingredi poſſint; igitur hæ particulæ in Inteſtinis coacervatæ Stercus conſtituunt. Præterea ex partibus fluidis Ingeſtorum generantur Fæces; quatenùs ſcilicet Viſcerum vis non poteſt Ingeſta ita ſubigere, ut Solida omne ſuum Liquidum deponere cogantur, ſive ut Liquidum adeò bene ſubactum & diviſum ſit, ut totum intra Lactea recipi queat. Hinc etiam ſolvitur Problema, cur duo homines Cibis iiſdem utentes, tantùm ab invicem, quoad excretionem Alvi, aliquando diſcrepent, ut unus ſingulis, alter verò non niſi alternis

ternis forsan diebus ventrem deponat, licèt uterque satis sanus videatur & sit?

III. *Bilem* includit duplicem, scilicet, *hepaticam*, & *cysticam*. Quòd autem hæ continuò in Intestina fluant, præsertim *hepatica*, (quippe *cystica* non omni momentô fluere potest, ob situm & inactivitatem sui Receptaculi, nisi à Stomacho repleto, aut motu fortiori Viscerum prematur) quisque facilè percipiet, si modò consideret, quòd Excrementa semper flava sint, nisi in Ictero; tum enim albescunt, ob Ductus Bilis obstructos. Sed quomodo, intra 24 horas, tanta ejus copia excerni queat, ut ad 3 libras aliquando assurgat, non nisi ex sequentium consideratione patere potest; nempe, 1°. Quò velocitas Liquidi ad Glandulam appulsi est major, eò etiam secretio. 2°. Ut moles unius Glandulæ ad molem alterius, ita, cæteris paribus, est secretio. Quanta verò sit Glandula, ubi Bilis secernitur, nimirùm Hepar, videri potest apud GLISSONIUM, *Tract. de Hepate*, & WARTHONUM, *Adenograph.* [ac præsertim apud BIANCHIUM, *Historiâ Hepat.*] unde quidem colligere possumus, quòd Hepatis secretio sit ad secretionem Parotidis, ut 3 ad 1. 3°. Jecoris Emissarium magnum

est & patulum. 4°. Huic Emissario nihil obstat.

IV. Continet *Succum Pancreaticum*, qui tenacitate, sapore, odore, &c. Salivam plurimùm refert; Glandula quòque eundem secernens, nempe *Pancreas*, à Glandulis Salivalibus non nisi magnitudine differt: hæc enim Glandula habet Emissarium satis magnum, unde Liquidi sui ingentem copiam in Intestina defert: atque sic, habitâ comparatione hujus Glandulæ cum Salivalibus, quæ, in naturali suo statu, Salivam ad ℥ 12, spatiô 24 horarum, Mercuriô autem stimulatæ, ad 2 librarum quantitatem, secernunt: item comparatione factâ Arteriæ Carotidis cum Cœliaca, quarum hæc se habet ad illam ut 2 ad 1, atque Ductûs Pancreatici cum Salivalibus, ad quos ille se habet ut 2 ad 1; inde colligi potest, quòd *Pancreas*, in naturali suo statu, Succum ad ℥ 27, spatiô 24 horarum, stimulatum autem, ad librarum iv quantitatem emittat. Jam verò triplici ratione augetur Glandulæ secretio: 1°. Quum augetur Glandulæ magnitudo; de qua vide WARTHONUM: 2°. Quando Liquidi ad secretionem proclivitas major fit: 3°. Quum à continua Liquidi expressione minui-

tur resistentia in cavo Glandulæ; unde sequitur copiosior Liquidi in eandem influxus, ut in Mammis Lactantium apparet. Hinc facilè reddi potest ratio, cur tanta Liquidorum copia quandoque ab Intestinis excernatur in Diarrhœa? Quia scilicet, inter alios, *Succus Pancreaticus*, qui in statu sano redit in Sanguinem per Vasa Lactea & Venas Meseraïcas, obstructis istis Canalibus, necessariò per Anum ejicitur.

V. Complectitur *Succum Glandularum Intestinalium*; quarum continuitatem per totam Intestinorum seriem demonstravit PEYERUS: quanta autem earum sit copia, facilè concipi potest ex Intestinorum longitudine, hominis altitudinem sexies ad minimum superante.

VI. Includit omnia in Intestinis *præternaturaliter* hærentia; quæ verò vel *Fluida* sunt, vel *Solida*. Porrò *Fluida* in Intestinis *præternaturalia* sunt sequentia. (1) *Pus* omne; quod verò semper est effectus inflammationis: hæc autem est stagnatio Sanguinis Arteriosi in Vasis minimis capillaribus, Sanguine à tergo urgente; cujus quidem effectus est *contritus* Vasorum minimorum, & mutatio materiæ rubræ, tum & ipsorum

Vasorum, in albam materiem, *Pus* dictam: Jam verò potest generari Pus illud, de quo nunc agimus, in Liene, Hepate, Pancreate, ipsis Intestinis, aliisque partibus. Inde huic quæsito respondere possumus, cur tanta *Puris* copia quandoque dejiciatur? & undenam? Nimirùm, potest provenire ex Liene, per Vasa Epiploïca ad Hepar ducentia, & hinc, per corrosum Ductum Hepaticum, ad Intestina deferri*; (de tali Pure scripsit HIPPOCRATES) vel ex Hepate, aut Pancreate, per Ductus proprios; vel tandem ex Intestinis ipsis. Hinc etiam solvitur Problema illud notissimum, scilicet, quomodo *Empyema* per Alvum solvi queat? Nempe, quia Pus Diaphragmati incumbens, loca vicina afficit, exedit & perforat Diaphragma, dein Hepar, aut Intestinum Colon, corrodit & ingreditur. (2) *Sanguis*; qui verò interdum effluit magnâ copiâ, idque sæpenumerò post Purgantia malè adhibita, vel in Dysenteria: hic autem provenire potest ex variis Emissariis, quorum duo maximè notanda sunt; scilicet, 1°. Ductus Communis Hepatis, qui quinque ramos ab Hepate accipit, & unum à Vesicula Fellea: si ergo structura Hepatis ita lædatur inter-

nè, ut verum fiat vulnus, idemque in aliquo ex Ductibus Biliaribus hiet, tunc Sanguis magnâ copiâ in Inteſtina defluet, indeque aliquando proveniet Dyſenteria. 2°. Ductus Pancreaticus, per quem, læsâ Pancreatis texturâ, Sanguis excerni poteſt: hoc verò ſæpè fit, cùm homini Pancreate skirrhoſo laboranti, Catharticum exhibetur; ſiquidem per Catharticum augetur Circulatio, & inde Vaſa juxta skirrhum ſita valdè premuntur, tandemque rumpuntur; undè diræ hæmorrhagiæ, ut ſatis nôrunt Chirurgi. Præter hoſce duos Ductus Inteſtinorum cavitati Sanguinem ſuppeditantes, aliquando dantur quòque & alii, ex quibus Sanguis effluere poteſt in Inteſtina; ut 1°. Oeſophagus & Ventriculus læſi. 2°. Lien ipſe; unde, ſi modò skirrhoſus fiat & inflammetur, poſt 3 vel 4 dies, Sanguis evomitur, aut per ſedes amandatur: hæc equidem fuit Veterum opinio; verùm Sanguis ex Liene per Hepar tranſit. Sanguis autem grumefactus è Ventriculo profluens, Ulcus vetus denotat, præſertim ſi grumi iſti donentur ſuperficie ex una parte convexa, à figura Ventriculi orta: Stomachus enim liquida & ſolida diu retinere poteſt, ut patet ex cibis nimiâ co-

piâ deglutitis; qui verò poſt 12 horas putrefacti redduntur. (3) *Ichor*, è Vaſis Lymphaticis ruptis proveniens: conſtat enim, ex anatomicis, hæc Vaſa ramos ſuos in formam conicam diſpergere; unde in iis etiam inflammationes oriri queunt, licèt non rubræ, attamen cum dolore; Lymphæ verò ſtagnantis pars tenuior facilè poteſt tranſire, dum craſſior ſtagnando acris evadit, & *Ichoris* nomine donatur, qui Puſtularum & Scabiei cauſa eſt. Hinc patet igitur, quòd ex Vaſis Lymphaticis, in Abdomine copioſis, ſat magna deferri queat Ichoris copia. (4) *Lympha* ipſa extravaſata à Vulneribus Vaſis Lymphaticis inflictis.

Solida autem *præternaturalia* in Inteſtinis contenta, ſunt ſequentia. (1) *Pinguedines* inſtar Lardi ſciſſi; quæ verò ab infarctis concretiſque, per gluten mucoſum, Alimentis procedunt. (2) Tunicæ internæ Inteſtinorum *filamenta*, *carunculæ*, & quaſi *parvæ glandulæ*: tales autem reſolutæ Fibræ oriuntur ab Inteſtinorum interna Tunica, per particulas acres & venenatas exeſa, reſoluta, & abraſa. (3) Quoniam omnia noſtra Vaſa, quæ nondum cartilaginea facta ſunt, indeterminatam dimenſionem ha-

bent, ut videmus in Varice, Aneurismate, &c. ideò, si causa sufficiens adsit, summoperè dilatari potest Ductus Hepatis, Pancreatis, &c. Hinc igitur si hæreat aliquid in Visceribus è quibus exeunt isti Ductus, quod ibi post gangrænam, vel ulcus, remanserit, per illos ad Intestina deferri potest: v. gr., si Hepar gangrænâ afficiatur, partes ejus *solutæ* per Ductum Hepaticum dilatatum transire queunt; Jecur autem aliquando inflammari, dein inflammationem istam in apostema aut gangrænam abire, FORESTUS & TULPIUS testantur. (4) *Intestina* quòque ipsa valdè inflammata gangrænâ affici possunt, & frustulatim expelli. (5) *Aphthæ* sæpè etiam per Alvum expurgantur. (6) *Lumbrici* seu Vermes, aliaque Animalia inde nonnunquam exeunt.

VII. Classis denique continet *Lympham* aliosque Liquores, qui, extravasati, receptacula sibi formant, aut alicubi non naturaliter colliguntur: hi quippe, vi Catharticorum, per sedes interdùm à Corpore amandantur: quâ verò ratione istud fiat, vix dici potest; fieri tamen certum est: nam in Hydrope, à Cathartico exhibito, magna quandoque Lymphæ copia, subse-

quente Ventris detumeſcentiâ, expellitur.

Porrò ex antè dictis ſequentia inferuntur *COROLLARIA*.

COROLL. I. Per Inteſtina expelli poſſunt corpora valdè *diverſa*, & ex *quacunque* Corporis noſtri parte: ſiquidem omnia Purgantia minuunt reſiſtentiam in Vaſis quæ Inteſtinis proxima ſunt; unde, vi Atmoſphæræ, eò deducitur plùs Liquidi; quod fit etiam à contractione aut elaſticitate Vaſorum: ſi verò, per violentas Purgationes reïteratas, valdè minuatur reſiſtentia in Inteſtinis, omnis Lympha ad eorum Vaſa inanita deducetur; indeque ejuſdem fiet excretio. Quapropter ex omni Corporis parte, per *Cathartica*, Lympha poteſt expelli.

COROLL. II. Hujus copia tanta quandoque poteſt eſſe, ut penè fidem ſuperet.

COROLL. III. Liquida, quæ naturaliter in Inteſtina deponi, indeque in Venas, per Vaſa Lactea, vel Meſeraïcas Venas, ſecedere ſolebant, ſi modò rectà versùs Anum ferantur, *excerni* poſſunt ad quantitatem librarum IV, aut plùs, 12 horarum ſpatio. Ex. gr. deglutiamus, per 12 horas, omnem noſtram Salivam, Mucum, & Liquorem Oeſo-

phagi, & hæc ad Ventriculum medium perveniant, ibi ℥ x circiter conficient; Ventriculus autem xj circiter Liquidi sui uncias suppeditabit, tum Glandulæ Intestinales libram 1, Pancreas ℥ xj, Hepar quòque suum reddet; ex quibus omnibus simul sumptis, habebimus 4 circiter libras. Unde videmus, quòd totus Homo brevi tempore per Alvum possit *expurgari.*

COROLL. IV. Septem antè dicta *Secretorum* & *Excretorum* genera possunt, vel stagnatione, vel permistione, adeò *mutari*, ut dignosci nullo modo queant: ita quippe Mucus Narium, ubi primùm excernitur, est Lympha tenuis; brevî verò pòst sic inspissatur, ut evadat crusta dura & ferè cartilaginea.

COROLL. V. Quædam horum *vi* multò *minori* expelluntur è Corpore, quàm alia: Fæces enim à cibo relictæ, *motu* Intestinorum *peristaltico* facilè detruduntur; adeòque vi Viscerum naturali, absque stimuli ope, expelluntur. Jam verò ad Liquidum *extravasatum* educendum, plus requiritur quàm Motus Peristalticus; nempe, 1°. ut attrahatur in Intestina: ad quòd autem requiritur, 2°. ut Vasa vicina illud recipiant: ad hoc verò iterùm oportet, 3°.

ut Vaſorum iſturum reſiſtentia minor fiat, quàm vis quæ Liquidum in eadem impellit. Quicquid ergo ſatis minuere poteſt Vaſorum reſiſtentiam, efficiet ut Vaſa Liquidum receptura ſint; reſiſtentia verò minuitur ſufficienter ab aliqua cauſa, quæ Vaſa emungit & inanit: hujus autem cauſæ vis debet eſſe major vi Viſcerum naturali; nimirùm ut Vaſa fortiter ſtimulet, & in ſecretionem perducat. Major igitur, minor-ve, expulſionis facilitas omninò pendet à varia materiæ expellendæ diſtantia ab Inteſtinis: ita Stercus faciliùs movetur, quàm Liquor Pancreaticus; hic verò faciliùs, quàm Lympha extravaſata.

COROLL. VI. Vires expultrices, quæ (ut in *præcedente Corollario* patet) variæ ſunt pro varia materiæ expellendæ diſtantia, omninò pendent à *ſtimulis* quibuſdam. Stimuli autem iſti tales ſunt, ut ſuâ figurâ & ſoliditate moleſtiam quamdam creent: ſic in Oculo arena motum convulſivum ſtatim excitat, quo motu Glandulæ comprimuntur, & ex iſta compreſſione evacuantur; unde quòque novo Liquido ingreſſus facilis conceditur. Eâdem ratione ſe habet *Purgatio:* v. gr., ſi quis ſolo Pane albiſſimo veſcens, alvumque quotidie ſemel tan-

tùm exonerare ſolitus,comederet Panem furfuraceum, tunc ſanè bis terve de die, & quidem aliquando cum torminibus, alvum deponeret; quia particulæ furfuraceæ, indiſſolubiles ratione ſuæ molis & figuræ, Viſcera vellicarent, & in contractiones agerent. Eodem modo operantur etiam alia, ut Uvæ, &c.

4. Perſpectis jam iis quæ in Inteſtina *naturaliter* & *præternaturaliter* deferuntur, videndum eſt jam quid in genere requiratur ut *expellantur.*

Requiſita autem ad *expulſionem* materiæ ſunt 6 ſequentia.

Nimirùm, (1) Requiritur, ut *via* ſit *aperta*: per *viam* autem intelligimus continuam cavitatem ab Ore uſque ad Anum. Hæc verò duplici ratione claudi poteſt; nempe, 1°. A mutata ipſius figura: quod quidem fieri poteſt, ſi una pars aliam ingrediatur, ut in Paſſione Iliaca; aut ſi Meſenterium per inflammationem ſeparetur ab aliqua Inteſtinorum parte; vel tandem à motu Inteſtinorum ſpaſmodico. 2°. A materia quadam in Inteſtinis hærente: v. gr. quando ſtercora indurantur, ope materiæ glutinoſæ, in ſubſtantiam duram & ferè lapideam, ut interdum in Fœminis,

gravidis præſertim, fieri ſolet; vel cùm aliquid duri hæret in Inteſtino Cæco, Valvulam ibi poſitam claudens; vel quando skirrhus naſcitur in Inteſtinis.

(2) *Viæ lubricitas* requiritur: poſuit enim Deus in toto Inteſtinali tractu *ſmegma* quoddam, ut Fæces, partis liquidioris expreſſione arefactæ, facilè perlabi poſſint, nec immobiles maneant alicubi hærentes. Si verò *ſmegma* illud deficit, adſtringitur tunc alvus; unde vis longè quidem major ad Fæces detrudendas requiritur: itaque aſſumi debent, in hoc caſu, Mel, Manna, Oleum, Saccharum, &c. Hinc in Aphthis alvus, quæ tunc temporis ſtrictiſſima eſt, laxa redditur Clyſteribus glutinoſis, mellitis, ſaccharatis, & ſimilibus.

(3) Requiritur *Contractio* Fibrarum muſcularium *ſpiralium*, quæ Inteſtina per totum ipſorum tractum ambiunt, &, dum agunt, Vaſorum latera versùs centrum urgent; item *Contractio* Fibrarum *longitudinalium*: nullum enim Medicamentum Purgans agere poteſt, quin hoſce motus augeat, acceleret, roboretque ſtimulando; quod quidem ex doloribus patet, qui à Purgantibus oriuntur.

(4) Oportet ut *motus* omnium par-

tium Reſpirationi inſervientium ſit *auctus*: hunc autem *auctum* dico, quià naturaliter neque Fæces neque Urina expelluntur ſine quadam reſpiratione; iſtud enim patet ex Infantibus in Utero hærentibus, qui ſi, fractis involucris in partu non admodùm proſpero, aërem hauriant, alvum deponunt, & fœdant Matres. Cæterùm videmus, quòd cùm aliquis alvum deponit, magnam aëris copiam hauriat, ſtatimque Glottidem claudat; tum autem aër rarefactus diſtendit Pulmones, hique Diaphragma deorsùm pellunt; interim decem Abdominis Muſculi ſeſe contrahunt, indeque Inteſtina preſſa Fæces foràs expellunt: verùm ſimul ac Pulmones remittuntur, remittitur etiam & Abdomen, deſinitque depoſitio Fæcum. Hinc perſpicimus, cur in Ægris morituris effectus *Purgationis* fruſtrà expectetur; deficit quippe Reſpiratio tunc temporis.

(5) Materiæ alicujus in ipſis Inteſtinis *præſentia* requiritur.

(6) Oportet ut hæc Materia ſit *meabilis*, i. e., ut facilè *propelli* queat.

Hæc verò ſemper requiruntur ut *Purgatio* rectè procedat: ſi autem, ob unius defectum, non ſuccedat Purgatio, defectus iſte per Remedia appropriata tolli

debet. Itaque, (α) si *via* vel skirrho vel inflammatione *obstructa* sit, Venæ-sectio adhibenda est. (β) Si desit *lubricitas*, vel Melle, vel Oleo, vel Clysmatibus glutinosis procuranda est. (γ) Si deficiat *contractio* Musculorum, restituenda est leni stimulô Fructuum horæorum; si verò iste defectus ab Animi deliquio oriatur, tum Cardiaca juvant. (δ) Si transfluxus impediatur propter *crustas* Intestinis adnatas, adhibeatur Balneum Aquæ frigidæ: atque sic quod per Poros Cutaneos excerni solebat, determinabitur versùs Intestina; unde solventur *crustæ*, & Purgatio bene procedet. (ϵ) Si nihil Intestinis insit, nihil etiam inde potest *educi*: hinc Hominibus per duos tres-ve dies jejunantibus non danda est Purgatio; quia nullum hoc in casu habitura foret effectum, scilicet ob debilem respirationem, & materiæ penuriam. (ζ) Si materia adeò *dura* sit, ut moveri nequeat, per potum Aquæ & Olei, diu continuatum, resolvi potest.

5. Jam vidimus quænam materia in ipsis Intestinis *naturaliter*, & *præternaturaliter* hærere soleat, & quænam versùs ea derivari possit; cùmque multiplex sit, inde facilè patet, Medicamentorum, ad

illam expellendam destinatorum, nomina necessariò varia esse.

Atque sic (1) *Eccoprotica* dicuntur illa, quæ solummodò *Fæces Alvi*, h. e., reliquias naturales Ingestorum Stomachi & Intestinorum expellunt, nec aliquid ex aliis Corporis partibus in Intestina derivant: talia verò sunt ea quæ *vias* aperiunt. Huc igitur pertinent Oleosa, Diluentia, & Clysmata: requiritur autem ut levis aliquis stimulus his addatur; qualis est Salinorum & Aromatum blandorum stimulus. (2) *Phlegmagoga* nuncupantur illa, quæ *Pituitam* per Alvum educunt. Porrò *Phlegma* sive *Pituitam vitream* vocârunt Veteres, omne Liquidum Sero crassius, ut est Mucus Narium; itaque, si ex apparentia describatur, omnis materia subalbida, limpida, & tenax instar albuminis Ovi, (quam verò magis strictè *Pituitam vitream* dixêre Veteres) erit *Phlegma*: quod quidem ex triplici materia constat; nempe, 1°. Ex materia inquilina Stomachi morbosa: hæc autem est materies nata ex quibusdam Glutinosis hærentibus in Stomacho, vel ex Villis eminentibus, à Liquido illo Ventriculi mucoso, per acredinem & vehementem stimulum, abrasis. 2°. Ex Muco deglutito,

cujus præſentia in Inteſtinis nemini non nota eſt. 3°. Ex tali materie per ſtagnationem aut permiſtionem producta: ſtagnatione enim & permiſtione mirabiles maſſæ produci poſſunt; ut videre eſt in Boneti *Sepulchreto Anatomico*, *Cap. de Morbis Inteſtinorum*. Hinc vario opus eſt ſtimulo, ut expurgetur Phlegma: quippe ſi Mucus ſolummodò naturalis expurgandus ſit, facilè Eccoproticorum ope eliminari poteſt; ſed ſi homini Viſcera ſint debilia, majori ſtimulo indigemus, qualem Phlegmagoga ſuppeditant.

(3) *Cholagoga* vocantur ea, quæ tantâ vi ſtimulant, ut non modò *Mucum* expellant; verùm etiam, à Vaſis Meſentericis recepta, ſolutionem & motum Sanguinis in *Hepate* augeant, vel, ſtimulando Vaſa, fluxum Sanguinis uberiorem versùs Hepar promoveant: talia verò ſunt ſemi-cauſtica; ut Scammonium, Jalappa, Mercurius, &c. quæ *Bilem* ex Hepate in Inteſtina deferunt, & inde expellunt.

(4) *Hydragoga* ſunt illa, quæ non ſolummodò *Bilem*, ſed & *Mucum Inteſtinalem*, & ipſum *Succum Pancreaticum* expellunt; idque, 1°. Impediendo ne quidquam eorum quæ in Lactea redire

ſolebant,

ſolebant, eadem ingrediatur; & hoc fit interdum à leviſſima cauſa: ambulet enim aliquis ſub Jove frigido, indeque Pedibus frigeat; tum illicò totum Corpus ejus, Glandulæque Inteſtinales & Abdomen frigore conſtringentur, Ductus Excretorii emungentur, Ductus verò qui Liquida in Sanguinem deferunt, claudentur; hinc ergo refluxus prohibebitur, orienturque Ventris tormina, h. e., ſpaſmodicæ contractiones: jam verò promovebitur Liquidi trajectus per Inteſtina; unde tandem evacuationes *ſeroſæ* ſubſequentur. 2°. Augendo Liquidorum, imprimiſque Succi Pancreatis & Glandularum Inteſtinalium, ſecretionem: quod verò fit minuendo Vaſorum Secretoriorum reſiſtentiam, ſimul & motum Liquidi, cùm ſpecialis, tùm generalis, per totumCorpus augendo. Quæ autem hæc efficiunt, cauſtica ſunt & Venena; ut Helleborus albus, & niger, Euphorbium, Lapis Infernalis, Luna Purgans BOYLEI vel ANGELI SALÆ, &c.

(5) *Melanagoga* denique ſunt ea, quæ *materiem atram* per Inteſtina educunt & foràs amandant. Cæterùm hæc atra materies vario odore, ſapore, acrimoniâ, & tenacitate, gluten referente,

donatur; Veteres autem eandem *Bilem atram* vocavêre: cùm enim obſervarent, talem materiam ab hominibus Melancholiâ & tumido Liene laborantibus, quibus Purgans fortè exhibitum erat, dejici; inde concludebant, iſtam materiem ex *aduſto* Sanguine collectam eſſe, & in Liene, tanquam in cloaca, depoſitam; unde quidem per Vaſa huic operi propria, ſed incognita, eandem in Inteſtinorum cavitatem deferri voluerunt: notum autem eſt, quòd quicquid Lien in ſe recipit, idem rurſùs, per Vaſa Gaſtro-Epiploïca, in Venam Portam & Hepar remittat; ſi porrò Sanguinis è Liene effluxus, propter Vaſa aliquâ de cauſâ obſtructa, impeditur, idem ſtagnando coagulatur, & *ater* evadit; ſi verò tunc Purgantibus vehementibus moveatur, versùs Hepar pellitur, ibique impetum faciens, nimirùm ſuccuſſione validâ totius Corporis atque muſculorum Abdominis (quæ ab enormi Purgantis ſtimulo oritur) adjutus, Vaſa Biliaria vel dilatat, vel rumpit; & hac ratione in Inteſtina ſibi viam facit. Ad talem itaque materiam movendam, vi maximâ & cauſticâ quidem opus eſt, quæ totius Corporis tàm Solida quàm Fluida turbet, motuſque ſpaſmodicos

excitet. Hæc autem *atra* materies non ſolùm ex Liene, verùm etiam ex aliis Corporis locis provenire poteſt, & ſolet: etenim in ipſo Hepate eodem modo talis materies à Vaſis ruptis colligi poteſt; tùm & in Pancreate; quin etiam à Sanguine, ubicunque in Inteſtinis extravaſato & cum Pituita ibidem coaleſcente, talis maſſa conſtitui poteſt: hæc verò ultima ſpecies aliquando poteſt, ſolo motu Inteſtinorum naturali, ſive per Medicamentum Eccoproticum aliquantulùm aucto, excerni: poteſt quòque Bilis atra in Hepate collecta, ſolâ Corporis ſuccuſſione, prognatâ ex ejus inclinatione, aut vectione in rheda, expelli. Hinc autem concludere poſſumus, quòd atra Bilis quandoque leni Cathartico, interdumque non niſi valido, prout magis minus-ve ab Inteſtinis remota eſt, educatur.

6. Jam verò antequàm ipſam *Purgantium* hiſtoriam aggrediamur, præmittenda ſunt quædam *OBSERVATA* huc maximè pertinentia.

OBSERV. I. Quædam *Purgantia* ſolummodò agunt irritando fibras & partes muſculares Inteſtinorum; alia verò non priùs agunt, quàm Vaſa Sanguifera ingrediantur, & cum Sanguinis maſſa permiſceantur.

OBSERV. II. Quædam *varios* effectus vehementes, ut Nauſeam, Animi Deliquium, &c. antequàm purgent, producunt; hæc autem videntur ſe per totum Corpus diſpergere: alia verò iſtos effectus non producunt, ac proinde videntur non adeò univerſaliter diſpergi ac antè dicta; talia ſunt Cryſtalli Tartari. Unde patet, Nauſeam non debere produci ab omnibus Purgantibus, antequàm fiat Purgatio.

OBSERV. III. Omnia *Purgantia* per ſe ſunt *Vomitoria*, & neceſſariò talia fiunt, ſi doſi aliquantulùm auctâ dentur; immò Purgans quodvis leniſſimum, copiâ nimis largâ datum, fit Vomitorium: atque ſic Oleum recenter expreſſum, quod omnium Purgantium ferè leniſſimum eſt, nimis copiosè ſumptum Vomitum ciet.

OBSERV. IV. Animi *Pathemata* ſola in hominibus Sedes & Vomitum non minùs efficaciter movent, ac ipſa Medicamenta; quod quidem obſervatur in hominibus irâ percitis, aut metu valdè perculſis: hoc verò pendet ab Humorum Spirituumque motu per Pathemata turbato.

OBSERV. V. Homines plurimi *odore* ſolo Medicamenti purgari poſſunt: hi

verò si incidant in morbos qui Olfactum destruant, posteà non purgantur, licèt Medicamenta ipsa Naribus eorum admoveantur. Purgationis autem ab *odore* solo productæ non pauca profectò dantur Exempla; ut in *Histor. Academ. Reg. Paris. anno primo* (*a*), & apud BOYLEUM, in Tractatu *de Effluviis*. Quin etiam interdum à solo Medicamentorum *conspectu* excitatur quibusdam Catharsis; utì quidem videre est apud BARTHOLINUM, *Histor. Anat. & Med. Centur.* 5. *Observ.* 64. (*b*); tum & apud PECHLINUM. (*c*)

(*a*) Scilicet *pag.* 69. *Edit. Amstel.* ubi refertur Exemplum insigne Purgationis ἄνω & κάτω violentissimæ, ex *odore* solo Rosarum pallidarum ortæ. Conferatur etiam de simili Purgatione PECHLINUS, *Exercitat. de Purgantibus*, *Cap.* 10. *pag.* 115. ubi prostant Exempla ex CARDANO, FALLOPPIO, & SALMUTHO petita. Vide quoque TH. ERASTUM, *Disputat de Propr. Medic. Cap.* 60.

(*b*) Ubi nimirùm extat Exemplum validissimæ Purgationis ex *Antimonio viso*. Adde & illud quod narrat idem AUCTOR in *Actis Hafniens. Vol.* 5. *Observ.* 49 *pag.* 136, ex observatione OLAI BORRICHII, de Purgatione liberali à *conspectu solo* Pilularum Catharticarum. Confer adhuc MARCEL DONATUM, *de Histor. Med. Mirab. Libr.* 2. *Cap.* 1. *pag.* 91.

(c) *Exercitat. de Purgant. Cap.* 30. *pag.* 409.

OBSERV. VI. Solâ externâ *applicatione* Purgantium nonnulli moventur; ut videri poteſt in *Ephemeridibus Germaniæ, Decur.* 2. *anno* 10. N°. 43. & probatur ex Unguento illo ſat noto, ex Felle Taurino, Colocynthide, &c. compoſito, [quodque *Unguentum de Arthanita majus* nuncupatur.]

OBSERV. VII. Quidam vehementer purgantur ob ſolam Perſpirationem Sanctorianam *impeditam*, aut *imminutam:* hoc verò plerùmque fit ab Aëre humido, ac præcipuè nebuloſo; unde dicit Hippocrates, quòd *Auſter producit Alvi laxitatem, diarrhœas, colliquationes; Boreas verò Alvi conſtrictionem & ſiccitatem.* (a)

OBSERV. VIII. Accidit etiam aliquando, ut ab externo *motu* ſolo excitetur Purgatio; quod quidem primâ vice navigantes, non ſecùs ac nonnullos rhedâ vectos, experiri ſatis notum eſt.

Coroll. I. Admodùm *exigua* corporis moles ſæpenumerò ſufficit ad *maximos* effectus producendos.

Coroll. II. Corpus quod agit eſt plerùmque *tenuiſſimum*; ut patet ex Emplaſtris purgantibus: horum quippe

(a) *Aphoriſm. Sect.* 3. *Aph.* 17.

moles, operatione finitâ, vix minuitur.

Coroll. III. Corpus agens est ſæpè *volatiliſſimum*; ut liquet ex Aloë, cujus ſuffitus purgat; quum verò partes ejus ſubtiles avolavêre, illud quod remanet planè iners eſt.

Coroll. IV. Pars Cathartica corporis eſt *minima* reſpectu totius *molis*; (*a*) ut patet ex Euphorbio, & Colocynthide, quæ in aqua ſoluta, & leniter evaporata, maſſæ fiunt inertes; cùm tamen pars valdè exigua & vix ſenſibilis evaporata fuerit.

(*a*) Confer *Annotationem* pag. 125. & 126. annexam.



CAPUT IV.

De Eccoproticis.

1. Eccoprotica (ut superiùs dictum est) sunt illa Medicamenta *per Alvum purgantia, quæ Corpus inter operandum non multùm turbant, & quæ, præter Ventriculi Intestinorumque contenta, vix quicquam, aut saltem valdè parum, expellunt è Corpore nostro:* siquidem impossibile est invenire *Eccoproticum* absolutè sic dictum, quod ex Glandulis Intestinalibus aliquid non educat; sicut enim Aqua simplicissima, nempe pluvialis, in Oculum, ad sabulum educendum, injecta, eum levissimè stimulando, lacrymas elicit; ita quòque *Eccoproticum*, utut blandum sit, attamen aliquid semper cum Fæcibus simul expellit, Glandulas nimirùm Intestinales commovendo.

2. Jam verò *Eccoprotica* quælibet ad *tres* Classes generales reduci possunt.

I. Classis continet quæcunque agunt *lubricando* membranas Intestinorum, eorumque contenta: talia verò sunt, (1) *Olea recentia* Animalium; *recentia*, inquam; etenim si talia non sint, at è

contrario

contrario nimis diu ſervata, tunc acria fiunt, & ad Claſſem Purgantium acriorum referri debent; ſed quamdiu recentia ſunt, tamdiu oleoſitate ſuâ blandâ lubricant. Huc igitur pertinent, 1°. Butyrum, i. e., partes pingues & oleoſæ Chyli, ab aquoſis & ſalinis partibus, vehementi concuſſione, ſeparatæ: 2°. Lactis Cremor, ſed recens, utì jam dictum eſt: 3°. Omnia Juſcula pinguia, ex Animalibus parata, præſertim Juſcula partium earum quæ circa Meſenterium ſitæ ſunt; hinc etiam Inteſtinorum & Meſenterii Decocta, apud Italos, pro remedio habentur optimo ad Fæces induratas: 4°. Medulla & Medulloſæ partes Animalium: 5°. Horum Pinguedines omnes recentes: 6°. Eorundem Bilis, quæ licèt virtute ſuâ ſaponaceâ & ſtimulante agat, quatenùs tamen oleoſa eſt, inter *Lubricantia* debet etiam haberi. (2) *Olea* cuncta è *Vegetabilibus*, ut ex Olivis, Amygdalis, Piſtaciis, &c. expreſſa. Porrò attrendendum eſt, 1°. ut Fructus & Semina, è quibus exprimuntur, matura ſint; nam alioquin aſtringunt: 2°. ut ſint quòque recentia; aliter enim acria & valdè purgativa fiunt: 3°. ut blanda ſint; quâ notâ ſcilicet diſtinguuntur ab Oleis Eſulæ,

Euphorbii, Tithymali, Nicotianæ, similiumque Plantarum acrium. Disputant nonnulli, an illa Olea blanda *constipent*, an verò laxent? quoniam in Dysenteria si sumantur, Alvum constipant; sed in Affectibus Hypochondriacis, eandem laxant. Verùm si consideremus, Dysenteriæ causam esse quoddam Acre Fibras Intestinorum vellicans, atque blandorum corporum proprietatem in eo consistere, quòd Acria involvendo, eadem obtundant, facilè quidem intelligemus, cur in Dysenteria prosint. Porrò in Affectibus Hypochondriacis, Intestinorum viæ siccissimæ sunt & crispatæ, eorumque superficies inæquales & asperæ; hinc Olea blanda iisdem applicata, crispaturam ipsam & corrugationes, lubricando, tollunt, indeque laxant. (3) *Fructus* omnes *blandi*, *maturi* & *pingues*; ut sunt Amygdalæ dulces, Avellanæ, Nuces Juglandes, Nuces Coquo, Pistaciæ, Ficus, Semen Lini, &c. atque omnia Farinacea, quæ viscosa sunt: Hi Fructus omnes dicuntur *lenitivi*; horumque manè masticatorum succus deglutitus, parte residuâ ex Ore rejectâ, Alvum blandè laxat. Huc etiam referenda sunt Decocta *emollientia* dicta, h. e., quæ Succum pinguem,

tenuem & blandum è Vegetabilibus eliciunt : qualia ſunt Decocta Malvæ, Althææ, Parietariæ, Hordei, Avenæ, Milii Solis, Fagopyri, &c. hæc enim cocta ſpeciem Emulſionis lubricantis conſtituunt. (4) *Saponaceæ partes* Vegetabilium : eſt autem *Sapo* corpus ex Oleo & Sale ita ſimul combinatis conſtans, ut in Aqua reſolvi poſſit æquabili ſolutione, h. e., ut Oleum non ſupernatet Aquæ, ſed cum eadem permiſceatur. *Sapones* verò duplicis ſunt generis; nempe, vel *naturales*, vel *artificiales*. Porrò *Sapones naturales* ſunt Vegetabilium Succi; quorum quidem *ſex* dantur ſpecies, quæ blandè lubricant : 1°. Manna ; quæ nihil aliud eſt quàm Succus è Fraxino exudans, concretus, atque ſapore abſterſivo & ſaponaceo donatus ; hinc ejus ſaponacea pars lubricat, altera verò ſtimulat : 2°. Caſſia ; quæ Fructus eſt cum viſcoſitate ferè mellea, unde leviter lubricat : 3°. Mel ; quod nihil aliud eſt quàm Succus ſalinus & oleoſus, vi Solis è floribus Plantarum extractus & excoctus, tum frigore concretus & in guttulas collectus, quem verò ita conſtitutum Apes colligunt : 4°. Saccharum ; quod viſcoſitate ſuâ lubricat : 5°. Syrupi ex his quatuor præcedentibus, aliiſ-

que Vegetabilium Succis confecti: 6°. Mulsum; quod etiam Hydromeli & Melicratum dicitur, nec aliud est quàm Mel solutum aquâ, & coctum. (5) *Sapones artificiales*: hi verò sunt illi qui ex Salibus & Oleis arte commixtis constant; horumque *duæ* sunt species. *Prior* continet 1°. Saponem ex Sale Alcalino fixo, & Oleo expresso confectum; sic ex Sale Tartari & Oleo Olivarum fit Sapo Venetus: 2°. Saponem ex Sale Alcalino fixo & Oleo Stillatitio factum, qui Sapo Chemicus vocatur: 3°. Saponem ex Sale Alcalino volatili Animalium cum Oleo Distillato confectum; qui verò *Sal Volatile Oleosum* solet appellari. *Posterior* species includit Sapones ex Acidis & Oleosis confectos; ut ex Aceto & Oleo diu simul coctis, item ex Oleo Vitrioli cum triplo aut quadruplo Olei communis. Ad hanc Classem *Eccoproticorum* referri debent etiam, (6) Prædicta omnia *externè* applicata, sive formâ Balsami, sive Frictûs, sive Fomenti. (7) Eadem omnia *Enematis* specie injecta; quod quidem sæpenumerò magis prodest, quàm similia quælibet Ore assumpta, præsertim si malum hæreat in Intestinis crassis.

Cæterùm, ut videamus quibus hæc noceant, & quibus prosint, sive ut dicto-

rum *Eccoproticorum* usus determinetur, ad COROLLARIA sequentia attendendum est.

COROLL. I. Lubricantium istorum usus prodest Corporibus siccis, calidis, atrabilariis, Hæmorrhoïdibus vexatis, Perspiratione uberiori gaudentibus, & robustissimis Visceribus donatis, quibus proinde omne Liquidum in Intestinis contentum intra Venas Lacteas pellitur, & absorbetur, utì demonstrat SANCTORIUS. Hæc autem Viscerum ariditas Regionum calidarum Incolis sæpissimè accidit; per calorem enim externum, semper absorbetur & detergetur quicquid hæret in exteriori Corporis parte: jam verò notum est, quò Vasa Secretoria plùs emulgentur, eò majorem fieri Liquidi in eadem influxum; unde fit ut interiora arescant: atque sic ejusmodi Regionum Incolæ tam frequenter atrabilarii & hæmorrhoïdales evadunt. *Atrabilarii* sunt illi, quibus, ob rationem modò dictam, Corporis habitus est siccus ac strigosus: quoniam scilicet Sanguinis liquidissima pars exhauritur; ita ut eorum Sanguis è Corpore quomodocunque eductus, *ater* quadantenùs appareat; hisce verò Fæces alvinæ, ob humidi defectum, lapidis

ad inſtar dureſcunt. *Hæmorrhoïdales* autem dicuntur illi, quibus, propter Liquidi Inteſtinalis penuriam, indurantur Fæces; quæ quidem tunc temporis hærent in angulo hoc acuto, qui à Colo & Recto Inteſtino formatur; unde fit ut Venæ Inteſtinorum ibi ſitæ, nempe juxta pondus iſtud, validè premantur & anguſtentur: quapropter Sanguis aſcendere non valens, hæc Vaſa ita inflat atque diſtendit, ut rumpantur in locis ubi minima datur reſiſtentia, nimirùm circa Podicem; interdum autem intrà, tumque Hæmorrhoïdes *cæcæ* nuncupantur; quandoque verò extrà, & tunc *apertæ* dicuntur. His autem hominibus *Lubricantia* plurimùm proſunt.

COROLL. II. Lubricantia ſuperiùs memorata ſæpenumerò plùs conferunt ad Purgationem promovendam, quàm validiſſima quæque Purgantia; præſertim autem in hominibus *præcedenti Corollariô* deſcriptis: nôrunt enim Medici, ac imprimis Itali & Hiſpani, quòd ſi hujuſmodi homines purgandi ſint, iiſque acria Purgantia exhibeantur, tum Anxietates, Sudores, Vomitus, aliaque dira Symptomata, nullâ verò ſubſequente Purgatione, oritura ſint; verùm ſi *Lubricans* aliquod, ut Oleum,

&c. eis propinetur, Alvi laxitatem illicò fecuturam eſſe iidem haud ignorant. Cæterùm, in promptu eſt ratio, cur hiſce hominibus acria & valida noceant; nimirùm, quia vis acrium Purgantium in parte tenuiſſima & volatili conſiſtit: illi autem qui magno Viſcerum robore donantur, omnes haſce partes purgantes in interiora pellunt & abſorbent; unde quidem totum Corpus ſtimulatur, turbaturque; quin & hoc pacto Diaphoretica Sudoriferaque fiunt quæ Purgantium munus obire ſolummodò debuerant. In frigidioribus verò Regionibus contrarium obtinet: itaque in his conveniunt validiora Purgantia, ut, Hydragoga, & Cholagoga.

COROLL. III. Alvus horum Medicamentorum ope mota, *ſtricta* deinceps non evadit, ut ab aliorum Purgantium operatione fieri ſolet: ratio eſt, quoniam Inteſtinorum tùm Vaſa, tùm Glandulæ, non adeò deplentur & exhauriuntur ab hiſce, ac à fortioribus Catharticis; proinde, finitâ eorum operatione, ſufficiens, ad Inteſtina lubricanda, Liquidi quantitas in Glandulis præſtò eſt: verùm in hominibus quibus fortiora ſunt Viſcera, iſtud quidem ſecùs ſe habet.

COROLL. IV. Optimus eſt *Lubricantium* iſtorum uſus, cùm in Inteſtino Colo infarctæ & induratæ Fæces hærent; quod quidem accidit hominibus in *Corollario primo* deſcriptis, & infantibus recèns natis, quibus ſolvi debet Alvus ope Suppoſitorii ex ſapone confecti; etenim ſi per Catharticum ore aſſumptum, expulſio Fæcum tentetur, convulſi pereunt.

COROLL. V. Hæc Medicamenta nocent hominibus ſive *bilioſis*, ſive *laxis*, ſive *aquoſis.* Porrò *Bilioſi* propriè ſunt illi, quibus nimia copia Bilis per Inteſtina fertur, refluxu versùs Hepar impeditô; cùm itaque Bilis per Inteſtina fluens, eadem ſatis ſuperque lubricet, non debent alia Lubricantia hiſce propinari. *Laxos* autem vocamus eos, quibus Ventriculi & Inteſtinorum viæ nimiùm lubricæ ſunt, unde & flaccidæ fiunt. *Aquoſi* verò dicuntur illi, quibus, in omni parte Corporis, aquea Sanguinis pars accumulatur: porrò tales ii ſunt, quibus calor expellens, & perſpiratio deficiunt; ac proinde his omnia ſunt laxa: ideòque homines ejuſmodi, non Lubricantibus, ſed acerrimis Purgantibus moveri debent.

II. Claſſis *Eccoproticorum* continet ea,

quæ *Fæces* nimis *cohærentes* diluendo *movent*: ut ſunt, (1) *Aqua communis*; quæ verò, ſi eâ lege potetur ut vergat ad Inteſtina, non autem ad Corporis peripheriam, diluens Purgativum evadit: ad Inteſtina porrò verget, modò quatuor obſerventur ſequentia; (quæ quidem in uſu omnium *Eccoproticorum* etiam obſervari debent) nempe, 1°. ſumatur manè, vacuô Ventriculô; 2°. frigido ſub Jove bibatur; 3°. ſudor vitetur; 4°. determinetur Aqua versùs Inteſtina, leni deambulatione in Aëre frigido. (2) *Aquæ Minerales*; ſive ſint acidæ, utì Spadanæ; ſive ſulphureæ, ut Aquiſgranenſes; [ſive ſalinæ; ſive ferrugineæ, aut vitriolicæ; ſive terreæ-ſaponaceæ.] (3) *Animalium Aquæ*: quales ſunt, 1°. Lac; quod, ſi recens hauriatur, obſervatis conditionibus ſupràdictis, Fæces diluit, Alvumque laxat: 2°. Serum Lactis eôdem modô ſumptum; ſi verò Corpus moveatur, tunc diaphoreticum, vel diureticum evadit: 3°. Lac ebutyratum. (4) *Juſcula* ex partibus Animalium parata. (5) Omnia *Compoſita* ex præcedentibus. (6) *Fomenta*, *Clyſmata*, &c. ex iiſdem parata.

COROLL. I. Hæc omnia conveniunt hominibus in *Corollario primo* Claſſis Lu-

bricantium defcriptis: ergo nocent *biliofis*, *laxis*, & *aquofis*, magis verò *laxis*: minùs autem noxia funt *biliofis*, quàm Lubricantia; quoniam hifce magis aqùofa funt: idcircò, fi Minerales Aquæ propinentur in Hydrope à laxitate Vaforum orta, certiffimè mortem accerfunt.

COROLL. II. Hæc optima funt adjumenta in Febribus Ardentibus, & Morbis omnibus Inflammatoriis; five fumantur per Os, five per Anum, vel Fomenti formâ, vel aliâ quâcunque ratione.

III. Claffis *Eccoproticorum* includit ea quæ, leviter Inteftina ftimulando, *Fæces* inde *expellunt*, abfque tamen reliqui Corporis turbatione: Hæc verò apud nos hodie *Lenitiva* dicuntur; Veteres autem ea vocavêre *Minorativa*, i. e., quæ copiam Fæcis expellendæ non femel & fimul, fed per vices eliminant. Huc itaque pertinent omnia Medicamenta quæ Ventriculi & Inteftinorum villos in excretorios motus excitare valent: cæterùm hoc fieri debet reliquo Corpore non perturbato; ideòque fequentes duæ conditiones omninò neceffariæ funt; fcilicet, 1°. ut hæc Medicamenta fint aliquantulùm acria; 2°. vel adeò craffa

ſint, ut Vaſa Lactea ingredi nequeant, ac proinde versùs Inteſtina determinentur, nec in maſſam Sanguinis recipiantur: conſtat enim aliquot Purgantia, ſi cum Sanguine miſceri prohibeantur, per inferiora ducere; ſin contrà, tum per alias vias operari, ut patet in uſu Seri Lactis.

Medicamentorum autem iſtorum nonnulla (α) ex Animalibus deſumuntur; ſuntque, (1) *Succi acres* Animalium: ut 1°. Urina; quæ quidem epòta, & aëre frigidiuſculô ad inferiora determinata, purgare valet; eadem verò quandoque evaporatur in *ſmegma*, unde Pilulæ conficiuntur quæ laxant Alvum, dummodò impediatur Perſpiratio. 2°. Bilis; quæ agit acrimoniâ ſuâ: debet autem aliquantulùm inſpiſſari, ut fiat inſtar Saponis, cum quo magnam habet affinitatem; [atque ſic ex hac inſpiſſata Bile conficiuntur Pilulæ ſtimulantes & Catharticæ, quæ verò inaurari poſſunt, ſiquis hujuſce remedii genus occultare velit.] 3°. Lac; quod aliquando, dum aceſcit in Ventriculo, ſuâ itidem acrimoniâ fit purgativum: unde videmus, optimos quoſque Practicos Lac Ovillum, Caprinum, vel Aſininum Phthiſicis exhibere, quô laxa ſervetur Alvus,

4°. Serum Lactis; quod ſaponaceum habet ſaporem: ſi autem aceſcat, tum fit acre, unde ſtimulando purgat poſt lenia tormina; quæ quidem ideò contingunt, quoniam ab hujuſmodi acredine irritantur Fibræ; hæ verò ſemel irritatæ ſe contrahunt, & hoc pacto inter partes contractas aër aliaque tunc includuntur; aër autem ille ſic incluſus vi ſuâ elaſticâ expanditur, fibraſque urget ac diſtendit ſummoperè: inde igitur ortum ducunt hæc tormina, quippe quæ ſtatim deſinunt, contractione ſolutâ; tumque ſentimus illicò ut plurimùm Fæces, è loco ubi ſpaſmus erat, versùs Anum deſcendere, quæ verò paulò pòſt expelluntur. 5°. Lac acidum. 6°. Caſeus recens; hic enim, in Corporibus ubi non bene digeritur, nec à Bile ut oportet ſubigitur, dum in Ventriculo remanet, ibi aceſcit; ſicutì ſæpè contingit in Infantibus. 7°. Coagulum Lactis quod in ventriculis Vitulorum reperitur; namque hoc aliquando ſi deguſtetur, Alvum cum horrore movet. 8°. Ova putreſcentia; quæ nonnunquam, ſi tantùm olfaciantur, Ventriculum per ſuperiora & inferiora movent; ſi verò intùs quantitate admodùm exiguâ ſumantur, vehementer purgant.

Quædam (2) dantur *Eccoprotica* ex *partibus solidis* Animalium desumpta : qualia sunt, 1o. Salia quæ in omnibus hisce solidis continentur, nimirùm, in Ossibus, Unguibus, Carnibus, &c. hæ quippe partes, si recentes fuerint & in meracum liquidum excoquantur, salinæ fiunt : jam verò Sal istiusmodi non est planè volatilis, sed, instar Salis Ammoniaci, semi-volatilis & semi-fixus; quæ quidem proprietas hîc loci requiritur. 2°. Semi-putridæ omnium Animalium partes : sic enim Caro semi-putrefacta Alvum laxat; si magis putrida sit, Diarrhœam parit; si verò majorem adhuc contraxerit putredinem, tum ipsam Dysenteriam excitat; prout sæpenumerò tale quid accidit hominibus obesis, scilicet in quorum Corpore oleum abundat : idem porrò dicendum est de Lardo, Pinguedine, & Medulla semi-putrida. 3o. Animalia quædam integra, eaque cruda devorata : utì sunt Ostrea, quibus alcalina est natura, sicut patet ex liquore illo subsalso gratissimo in eorum conchis contento : nec non aliquot Pisciculi qui spiculis sunt armati; quorum verò vis laxativa qualitati cuidam specificæ non debetur, sed istis tantùm spiculis stimulantibus. 4o. Animalium Suc-

ci, Carnes, Pinguedines, Ova, & cætera omnia, si muriâ seu sale marino condita sint; ex eorum autem oleoso smegmate & sale, fit tertium quoddam compositum quasi saponaceum: huc etiam pertinent omnia Salsamenta, ex quorum usu diuturno in classibus navalibus oritur sæpenumerò diarrhœa. 5°. Animalium Stercora, quæ salem continent ad *nitri* naturam accedentem; atque sic Itali similibus (ut Stercore Pavonum, Columbarum, &c.) ad Alvum laxandam utuntur: optima porrò sunt ex hisce ea, quæ desumuntur ex Animalibus Vegetabilia solummodò depascentibus; quoniam acescunt. Sales autem è Stercoribus extractos *nitrosos* esse inde constat, quòd si talia Stercora in acervos collecta, & Plantarum exustarum cineribus conspersa putrescere sinantur, sal qui, solvendo, evaporando, & crystallisando, ex iisdem colligitur, in crystallos planè *nitrosas* concrescit; hoc verò præsertim obtinet in Animalibus sale marino non utentibus. Huc referendi quòque sunt Succi ex Animalium Stercore expressi: hinc in Febribus, aliisque Morbis acutis, ut in Variolis, Morbillis, &c. in quibus alvus leniter ac sine multa turbatione laxari debet,

laudantur Succi Stercoris Caprini, Ovilli, Equini, aliorum-ve similium (*a*).

(*a*) Confer ETTMULLER, *Schroder. Dilucidat. P. I. Sect.* 3. pag. m. 223, qui quidem *Stercus Ovillum* in Variolis præfert, in Morbillis verò *Caprinum*, & *Equinum* in utrisque commendat, &c. Cæterùm, de Remediis istiusmodi, præsertimque de *Stercore Equino*, (cujus *succi* vulgatissimus omnium est usus) sequens judicium fertur à JUNCKERO, *Conspect. Therap. General.* pag. 345 & 346. ,, (1) Ex pabulo avenaceo *discussoriam* qualitatem haurire creditur, & magnam vulgò gloriam habet in Colica Spasmodica, ,, Passione Hysterica, Ictero, Morbillis & ,, Variolis, (quas à *succo* ejus expelli perhibent) Angina, & cùmprimis in Pleuritide; unde sunt qui *Syrupum* B. LUTHERI ,, ex hisce *Excrementis* paratum esse adfirmant, in Colica & Malo Hysterico maximè celebratum: (Confer ETTMULLER.) ,, Coquunt autem communiter hæc *Excrementa* cum Cerevisia, atque hoc *Decoctum* ,, in Catarrhalibus Pectoris Pathematibus ,, multa cum jucunditate à nonnullis bibitur, ,, vulgò *das Pferde-Bier.* (2) *Externè* etiam ,, in Angina & Stranguria laudatur. At ubique non modò Remedium est elogiis impar, sed & multis nauseosum; ideòque ,, talibus relinquendum qui jucunditatem ex ,, ipsius usu percipiunt. ,, Hæc JUNCKERUS. De istis etiam Medicamentis jam quidem anteà DAN. LUDOVICI (de re Pharmaceutica Scriptor omnium perspicacissimus) pronuntiaverat, " quòd hæc sordida essent;

(β) Medicamenta *Eccoprotica* leniter ſtimulantia ex Vegetabilibus quòque habentur plurima; ſuntque, (1) *Fructus* omnes *horæi* crudi, maturi, acres, acerbi, acidi, dulces; ut Poma, Pyra, Pruna, &c. item & *Baccæ*, nullis exceptis; quorum autem alia plùs, alia minùs, omnia verò flatus excitare ſolent: porrò vis eorum *eccoprotica* à ſale acri pendet, qui leviter & ſucceſſivè ſtimulat Inteſtina. (2) *Fructuum* iſtorum *Succi* expreſſi, ſive crudi, ſive in Syrupum decocti. (3) *Fructuum* horum partes *non ſolubiles*; ut Cortices, Acini, &c. quæ quidem omnia, in Ventriculo

„aut temulentorum vexationibus, Medi„caſtrarum-ve, vel Superſtitioſorum nego„tiationibus, quàm comptæ Medicorum „praxi aptiora.„ Confer *Pharmac. Mod. Sæc. applic. Diſſert. 1. Cap. de Purgantibus Vomit.* pag. m. 85. Idem verò *ibid. Cap. de Aperientibus, &c.* pag. 227. dicit, "quòd Batavo„rum ſanè militibus incurſantes in *Java* In„dos *ſtercore* depuliſſe laudi fuit; Medico „gratioſo non item.„ Hinc igitur, paulò pòſt, totum hoc *magma* Ægyptiis pro *foco* legendum ſiccandumque relinquit. Porrò ſi quis de hiſce *Sordibus* (quatenùs ad *medicos* uſus pertinere poſſunt) plura voluerit, conſulat Christ. Franc. Paullini (nî fallor) Tractatum, Germanico idiomate editum, cui titulus eſt, *Medicina Stercoraria*,

retenta,

retenta, acorem ſatis notabilem contrahunt; unde lenia quaſi Epiſpaſtica ſive Stimulantia fiunt, & cum torminibus purgant: atque ſic ſæpenumerò in tenellis Infantibus, quorum Ventriculus iſta minùs ſolvere ac digerere valet, inde oritur mala diarrhœa, ut etiam aliquando ex Uvis Corinthiacis, Prunis, & ſimilibus; hæ ſiquidem Uvæ non diſſolvuntur in Ventriculo, ſed integræ cum reliquis ejiciuntur fæcibus; itaque, niſi ſat citò expellantur, acorem maximum contrahunt, & Inteſtina vehementer ſtimulant; unde diarrhœa naſcitur. (4) *Flores* Plantarum nonnullarum; ut ſunt Violæ, Roſæ pallidæ ſive ſubrubræ, Flores Perſicorum, vel in pulvere, vel in conſerva aſſumpti, &c. (5) *Sapones nativi*; ſicut ſunt, 1°. Mel; cujus quidem acrimonia inde patet, quòd Ulcera & Vulnera detergeat: huc etiam pertinet Mulſum. 2°. Saccharum; hoc enim cùm ſit quidam ſal ex Arundinibus Sacchariferis collectus, ideò ex ſua natura ſtimulare debet. 3°. Manna; quæ verò (ut alibi dictum eſt) ſuccus eſt Fraxini, ex hac arbore exudans eo tempore quo ſal & oleum intimè ſunt unita. 4°. Sapæ omnes, i. e., ſpiſſamenta ex ſuccis maturis coctis: huc etiam referun-

tur Succi Fructuum maturorum recenter expressi, ut Cassiæ, Tamarindorum; item & ille sapo egregius *Aloë* dictus: his quòque addenda sunt Gummi aromatica acria; ut Gummi Ammoniacum, (cujus autem vis stimulans non solùm ex acri sapore manifestatur, verùm etiam ex eo quòd Cuti applicatum, stimulando, Perspirationem promoveat) dein Bdellium, Sagapenum, Opopanax, Myrrha, & hujus generis omnia, quæ suis viscidis partibus Intestina lubricant, acribus verò stimulant.

(γ) Nonnulla porrò dantur *Eccoprotica* ex Salibus solis constantia: qualia sunt, (1) *Sales fixi nativi* Vegetabilium; hi autem sunt duplices, nempe, 1°. Illi qui ex Succis Plantarum crudis extrahuntur crystallisationis ope: hi porrò vel (α) è succis Plantarum minimè acidarum educuntur; & isti Sales interdum alcalini, aliquando verò nitrosi sunt; omnesque in aëre dissolvi in liquamen, ac diffluere solent: vel (β) è succis Plantarum acidarum habentur; talesque sunt magis terrestres, nec non naturæ ferè tartareæ: horum autem Dosis est à ʒ jv. ad ʒ vj in Jusculo. Notandum est verò, maximam Plantarum vim in hisce *Salibus* consi-

ſtere; unde quidem *Eſſentiales* dicuntur. 2°. Sal qui Vaſorum lateribus, in quibus Succi Plantarum fermenteſcunt, adhærere ſolet, diciturque *Tartarus*: hic autem eſt Sal acidus, in aëre nequaquàm diffluens; ejus verò Cryſtalli *Cremor Tartari* vocantur, horumque Doſis eſt ab ℥ ß. ad ℥ j. vel ʒ x. in Juſculo. Porrò Sal ille *eſſentialis* Vini, operatur vi ſui acoris, Inteſtina nempe ſtimulando; verùm nunquam Lactea Vaſa ingreditur, quippe qui ſolvi nequit, niſi per aliquod *alcali* fortiſſimum, ebullitionem vehementem, & aquam copioſam, ut docet experientia: proinde nec à Lympha noſtra, nec à calore noſtro ita ſolvi poteſt, ut ingrediatur hæc Vaſa; quin & difficilis Salis hujuſce ſolutio patet inde, quòd ſi aquam, ubi ebullierit, refrigerari & parumper evaporari ſinamus, Cremor utìque ſupernatabit, & reliqua pars, quæ fixior eſt, gradatim ſubſidebit, uſque dum Sal totus aquam deſeruerit.

(2) *Sales* Vegetabilium *fixi artificiales*, qui ſcilicet ex Plantarum combuſtarum cineribus extrahuntur: hi verò ſunt duplices; nempe, 1°. Qui ex Plantis leni igne combuſtis educuntur: iſti autem non ſunt valdè acres aut urentes; quoniam paululùm olei admixti habent:

iidem porrò facilè dissolvuntur; adeòque Vasa Lactea intrare possunt, nisi suprà dicto regimine prohibeantur. Dosis autem eorum est à ʒ j ad ʒ j ß. 2°. Qui ex Plantis igne valido combustis extrahuntur: hi verò sunt omnes corrosivi; ac proinde sumi debent in larga satis Aquæ copia. Dosis eorum est à ℈j ad ʒß.

(3) *Sales* omnes *fossiles nativi*: sic enim Sal Marinus, ad ʒ iij vel ℥ ß, assumptus, Eccoprotici vices gerit, si modò regimen antè dictum observetur; nam alioquin, si sumatur, v. gr., in lecto calido, aut in aëre ad eundem calorem cum lecto incalescente, Diureticus fit, &, in calore adhuc majori, Diaphoresin excitat; facilè enim ab Humoribus nostris dissolvitur, & Lactea Vasa ingreditur: idem porrò dicendum est de Borace, Sale Gemmæ, & Ammoniaco, qui à ℈ ſs ad ʒ ſs sumuntur; idem etiam de Nitro, & Alumine, quorum Dosis est ʒ j; nec non de Vitriolo albo, quod ad ʒ ß, vel ℈ jj sumptum, vomitum ciet; verùm ad gran. xjj, aut circiter, catharticum est, præsertim si ad albedinem calcinatum sit.

(δ) Pro Medicamentis *Eccoproticis* quæ stimulando agunt, habenda quòque sunt omnia *dura, acuta* & *rigida* corpora,

quæ digeri nequeunt: ut Limatura Ferri, &c. nec non Antimonium; hoc enim constat stimulantibus & rigidis partibus, quarum vis stimulans & rigiditas à nullo Menstruo infringi possunt; adeòque istæ partes, gravitate & figurâ suâ, Liquidum è Glandulis Intestinalibus eliciunt: huc etiam pertinent corpora quælibet *aspera*, ut Ossicula, & Spinæ Animalium; atque sic Anguillæ cum spinis suis coctæ, ab helluonibus quibusdam, ad Catharsin movendam, devorantur: quin etiam omnes Acini Vegetabilium, ut Uvarum, Baccarum Sambucearum, &c. stimulando purgant: nec non coctorum Vegetabilium cadavera (uti vocantur); qualia sunt Olera quæcunque cocta, nimirùm, Spinachia, Endivia, Lactuca, &c. quorum ultima Solida cùm dissolvi nequeant, eapropter rigiditate suâ Stimulantia fiunt.

(ε) Denique ad hanc *Eccoproticorum* Classem referri debent *Sapones* omnes, tàm *naturales*, quàm *artificiales*; quatenùs nempe stimulando agunt, sive Ore sumantur, sive infernè, formâ Suppositorii, Clysmatis, aut Fumi, adhibeantur; & quidem inter hosce Fumos præstat ille qui vel ex Tabaco, vel ex

Colocynthide, vel etiam ex utrisque simul, habetur: v. gr.

℞ *Fol Tabaci Brasil.* ʒ j, vel ʒ j ß.
Colocynth. gr. IV.

Comburantur simul, & fumus, per idoneam Fistulam, in Intestinum *Rectum* injiciatur. (*a*)

COROLL. I. Medicamenta hujus tertiæ Classis, *Stimulantia* scilicet, *prosunt*, vel *nocent* omnibus iis, quibus Remedia primæ & secundæ Classis *utilia* sunt, aut *noxia*.

COROLL. II. Pleraque Medicamenta quæ *Numerô primo*, *secundo*, & *tertio* Classis hujus tertiæ describuntur, in omnibus Morbis Inflammatoriis conveniunt.

COROLLARIUM Generale ad tres Classes simul pertinens.

Eccoprotica hæc omnia in Intestinorum Crassorum, *Coli* præsertim, *farctu* & *obstructione* solummodò congruunt. Porrò notandum est hîc loci, Mulieres ha-

(*a*) Confer Th. Bartholin. *Histor. Anatom. & Med. Centur.* 6. *Histor.* 66 ubi etiam *schema* ipsum idoneæ ad hoc opus Fistulæ exhibetur. Vide quòque Th. Sydenham, *Sched. Monitor. de novæ Febris ingressu*, pag. m. 533. ut & *Processſ. integr.* pag. 606.

bitûs rari ac macilenti, quæ *ſtrictam* habent Alvum, poſt Partum imprimis, inde *languere* & *melancholicas* fieri; quippe quæ pertinaciſſimâ & miſerrimâ laborant obſtructione, ex materia in Inteſtino Colo indurata: hæc autem *durities* in iſto loco ſatis manifeſtè ſe prodit ad tactum, atque, modò pro Placenta Uterina, modò pro Liene ab imperitis habetur; cùm tamen reverâ nihil aliud ſit, quàm infarcta materies in Inteſtinis Craſſis hærens: unde nec aliis Medicamentis, quàm *Eccoproticis*, tolli poteſt; etenim ſi Fœminis hiſce validiora Purgantia dentur, dira ſtatim excitabuntur Symptomata, ut Vomitus, Colica, & Hyſterica Paſſio: quapropter *Eccoprotica* tunc temporis, formâ Clyſteris injicienda ſunt, ad *farctum* hunc amovendum & expellendum. Conducunt etiam hæc Medicamenta *melancholicis* quibuſdam Artificibus, ut & omnibus Viris Literatis, quibus Abdomen multùm & frequenter *comprimi* ſolet. (*a*)

(*a*) Quoniam ſcilicet dum ſtudiis operam dant, *incurvato Corpore*, Abdominis contenta ſibi *comprimunt*. Confer RAMAZZIN Tractat. *de Morb. Artificum, Cap. de Literat. Morb.* item & CHEYNÆUM, *Tractat. de Infirm. Sanit. tuenda*, pag. 221.

Denique ad profligandos morbos omnes Hepatis, Lienis, &c., ex *obstructione* ortos, maximè conferunt *Eccoprotica*.

CAPUT V.

De Phlegmagogis.

1. PHlegmagoga sunt illa, *quæ Lympham pituitosam è Corpore per Anum expellunt*. Jam verò *Pituita* est quædam tenax & viscida materies, similis isti Muco qui ex Naribus sani hominis matutino tempore defluit.

2. *Pituitæ* autem hujusce duplex est origo: 1°. In *primis viis* sæpenumerò nascitur, scilicet ex viscido victu, in iis quibus Viscera ita debilia sunt, ut sese satis validè contrahere nequeant, vel in quibus Bilis & Succus Pancreaticus vitium contraxerunt, adeò ut suum munus, scilicet attenuandi & à coagulo servandi Chyli, præstare non possint. 2°. *Pituita* sæpissimè fit ex Liquido non pituitoso; ut ex Salivâ, Muco Palati, Oesophagi, Ventriculi, & Intestinorum; quæ quidem omnia Liquida sunt aquosa, sed tamen partes aliquot facilè coalescentes

centes habent. Pituita autem ex iſtis Liquidis dupliciter oritur. 1°. Si Humores iſti, vi caloris, liquidiſſimâ parte priventur; ſic, v. gr., in Febribus ardentibus, Liquida noſtra inſpiſſantur: nam experientia docet, quòd ſi Liquores noſtri gradui caloris eidem, ac eſt ille hominis ardenti febre laborantis, exponantur, haud multò pòſt inſpiſſentur. 2°. Fluida quòque noſtri Corporis, inter ſtagnandum, inſpiſſantur; etenim hæcce Liquida, niſi moveantur & agitentur, brevî inter ſe coëunt, avolatâ ſcilicet eorum parte liquidiſſimâ; unde quidem oritur inſpiſſatio.

3. Quum ex mechanicâ Corporis Humani fabricâ pateat, Secretoria Vaſa Sanguiferis longè minora eſſe, (de qua re vide PROLEGOM. CAP. V. §. I.) ideò, per illa, tenuiſſima tantummodò Liquida ſecerni poſſunt, & quidem longè tenuiora Sanguine. *Pituita* igitur quæ tenax eſt & craſſa, non immediatè è Sanguine ſecernitur; minimè enim verum eſt quod imperiti credunt & dicunr, de craſſo Muco, nimirùm, hunc è Glandulis Membranæ Pituitariæ talem ſecerni, qualis apparet; quippe ſi hæc Membrana, frigore contracta, inflammetur, [utì fit in Coryza] tunc equi-

dem aqueum ac limpidum Humorem ſecernet, qui, ſequenti mane, poſtquàm homo dormiverit, genuſque nervoſum quieverit, Mucus evadet craſſus, utpotè qui talis ſtagnando redditus eſt. Nulla igitur adſunt Vaſa quæ hujuſcemodi Pituitam, in Sanguine præexiſtentem, ſecernant: unde quidem ſequitur, talia non dari Medicamenta quæ Pituitam hanc, ita craſſam in Sanguine præexiſtentem, è Vaſis Secretoriis educant; ergo ſupereſt ut inquiramus, quænam ſint vera *Phlegmagoga*.

4. Medicamenta quæ nomine *Phlegmagogorum* inſigniri debent, duplicia ſunt. 1°. Illa quæ materiam ex ſua natura ad *coaleſcendum* aptam, è Sanguine per Inteſtina educunt. 2°. Quæcunque materiem *viſcidam* in Inteſtinis exiſtentem, inde pellunt: Jam verò omne *Phlegmagogum*, vel in ipſa Inteſtina, vel in ipſam Pituitam agit; ut enim hæc educatur, apta debet utìque reddi ad fluorem: hoc autem obtinetur, vel Pituitam corpore quodam *acri* dividendo, eidemque ſimul Liquidum aliquod *fluidius* addendo; vel, ope cujuſdam ſtimuli, *motum* Solidorum augendo, ita ut ab iiſdem Pituita conteratur.

I. Claſſis *Phlegmagogorum* continet ea,

quæ Pituitam *diluendo* educunt : talia verò ſunt, 1°. Aqua ſimplex calida epota, vel formâ Clyſteris injecta, dummodò aër ſit frigidus, ægerque leniter deambulet (quippe cavendum eſt ne ſudet); ſi verò per Os aſſumatur, vacuus ſit Ventriculus. 2°. Aqua cum Saponaceis; ut Aqua *mulſa* fervida, epota cum ſuprà dicto regimine : hæc autem valdè reſolvit; etenim ſi Sanguinis coagulum adſit, Aqua fervida ſimplex illud lentè diſſolvit; ſed *mulſa* citiùs hoc præſtat : idem quòque facit Aqua cum Caſſia & Manna permixta, ut & cum Sapone Veneto, Sapone Philoſophorum, atque naturali Animalium, i. e., Bile. 3°. Gummi ſaponacea, ſcilicet, viſcida corpora quæ ſimul in Aqua ſolubilia ſunt, & quadantenùs acria : talia verò ſunt, Aloë, Gummi Ammoniacum, Aſſa fœtida, Bdellium, Galbanum, Myrrha, Opopanax, Sagapenum, Terebinthina nativa, &c. Hæc autem aquâ fervidâ ſoluta ſumuntur; hâc enim ratione multò meliùs agunt. 4°. Aqua calida cum omnibus Salibus Vegetabilibus (exceptis acidis) in tertia Eccoproticorum Claſſe recenſitis. 5°. Quæcunque in ſecunda & tertia horum Medicamentorum Claſſe continentur.

II. Classis *Phlegmagogorum* includit ea, quæ operantur quatenùs Fibras ipsas Intestinales excitant in *motus*, quorum ope Pituita pressa & contrita in varias partes dividitur, divisaque tandem exprimitur: talia verò sunt Acria omnia viscida, & non nimis volatilia; nimirùm, ea Corpora in quibus Acre ab aliis partibus ita irretitum est, ut licèt hæ solvantur, illud tamen ab iisdem non separetur, sed loco, cui partes istæ applicantur, defixum maneat, ac proinde nec exhalare, nec in Vasa Lactea penetrare possit; hujus autem generis sunt omnia Viscida in præcedenti Classe recensita: huc etiam spectat Oxymel, quo nihil datur melius ad solvendam Pituitam; tum Elixir Proprietatis, si addito Melle inspissetur; Tinctura acetosa cum Aromatibus acerrimis; Hiera picra Galeni; omnia Gummi purgantia tertiô numerô primæ Classis memorata; Mercurialia lenia, ut Mercurius Dulcis, in aëre frigido sumptus, quippe qui ad inferiora determinari debet, ad evitandam salivationem; Antimonium cum Nitri pauxillo, ut Antimonii Diaphoretici gran. xv; nec non omnia Medicamenta Emetica, & vehementer Stimulantia, dosi minori sumpta,

Prætereà dantur adhuc *Phlegmagoga* quæ dicuntur *Officinalia* : hæc autem omnia agunt ſtimulando Fibras, ope cujuſdam Acris volatilis valdèque ſtimulantis, quod verò partibus viſcoſis irretitum & coërcitum eſt : talia autem ſunt, (1) *Agaricus*, qui fungus eſt arbori Larici accreſcens : hujus minimà doſis, in ſubſtantia, eſt gran. x, maxima ʒ jj, & aliquando ʒ jjj in hominibus robuſtis ; ſi verò decoquatur in aqua, & deinde ſuccus expreſſus coletur & bibatur, prædicta Doſis duplicari debet : porrò Spiritui Vini immiſſus diſſolvitur, non ſecùs ac ſi eſſet Sperma Ceti ; hujus Extracti Doſis tunc eſt ℈ jj ; ſed ita intumeſcit & ſpongiæ inſtar dilatatur, ut vix elici tinctura queat : Agaricus autem bonus, guſtui præbet initiò ſaporem viſcidum & ſubdulcem, aſt acrimoniam admodùm amaram denique poſt ſe relinquentem ; unde patet, vim ejus eſſe planè ſtimulantem. (2) *Semina Carthami* ; quorum Doſis eſt à ʒ ß ad ʒ jjj in ſubſtantia ; ſi autem in decocto ſumantur, duplicanda eſt iſta Doſis : tormina verò vehementia cum Abdominis inflatione excitant, ſi ſumantur in ſubſtantia ; ideòque corrigi ſolent Zingibere, Galangâ, Aniſo, Cardamomo,

&c. quibus diſcutiuntur flatus : porrò ſapore viſcido & ſubdulci, ſed poſteà acri & nauſeoſo donantur. (3) *Colocynthis*, quæ ſpecies eſt Cucumeris. Plantæ hujuſce Fructus, ſeminibus ſuis orbatus, & exſiccatus, Medicamentum conſtituit vehementer purgans, [quod ſub nomine *pulpæ Colocynthidis* præſcribitur], amaritudinem habens maximam, ſed inviſcatam,&,propter viſcoſitatem ſuam, facilè Inteſtinis adhæreſcens; immò tanta eſt ejus acrimonia, ut mortem arceſſere poſſit; ideòque à Filiis Prophetarum *mortis* nomine donatur (*a*). Colocynthidis autem Doſis in ſubſtantia eſt à gran. IV ad ℈ j : ſed non ſine periculo datur; quippe ſumma tormina, atque hypercatharſes excitat, & in Inteſtinis ulcera producit, ac interdùm ſanguinem ipſum elicit (*b*). Menſtruum autem ejus optimum eſt Aqua, cujus

(*a*) *Libr. II. Regum*, *Cap.* IV. *verſ.* 40.

(*b*) Quapropter à cautioribus Praticis non datur iis quibus debilia ſunt Viſcera; quin & ſedulò obſervatur, ut Pulpa *Colocynthidis* immixta Clyſteribus, in *nodulo* ſemper includatur, ejuſque ſola uſurpetur decoctio; ne ſcilicet ſubtiliſſima ramenta inferant, & poſt ſe relinquant horrenda tormina. Vide Fuller, *Pharmacop. Extempor. Reform.* pag. 106.

ope fit Extractum (*a*) : hujus verò Dosis est eadem ac in substantia, & effectus non minùs efficax, immò absque tam horrendis torminibus; Extractum autem ope Spiritûs Vini factum, in Corporibus frigidis & pituitosis plurimùm valet : hoc fuit Arcanum MARTINI RULANDI, titulô *Spiritûs Vitæ aurei*, propter eum quem præbet colorem ita dicti (*b*); Dosis ejus erat ad ʒ jj, vel jjj, Syrupô quôdam edulcorati; addere solebat Caryophyllos, aut tale quidpiam, ne fucus detegeretur : hæc

(*a*) Præsertim si *Alcali Tartarei* tantillô priùs alterata fuerit hæc Aqua. Confer DANIELIS LUDOVICI *Pharmac. Modern. Sæcul. applicand.* Cap. *de Purgantibus Vegetabilibus*, pag. m. 58.

(*b*) Confer RULANDI *Curation. Empiric.* Centur. II. Cap. 96. vel TENTZEL, *Exeges. Chymiatric.* (apud ANGELUM SALAM, pag. m. 637.) Analysin porrò *Colocynthidos*, modò per Distillationem, modò per Fermentationem cum Musto, modò per Digestionem, & modò per Extractionem, institutam refert Dominus BOULDUC, in *Actis Regiis Parisinis*, *ann.* 1701. *Mémoir. pag.* 15. *Edit. in*-12°.; tandemque concludit, optimum esse illud Extractum, quòd & *gummosas* & *resinosas* partes contineat, dummodò per longas Digestiones, ad Fermentationem tendentes, *particulæ mucilaginosæ*, irritationem efficientes, separatæ sint.

autem Tinctura inspissata & exsiccata dat Resinam, cujus à gran. iv ad viij Dosis est. (4) *Euphorbium*, quod est succus Plantæ, semine tricocco, Tithymalum nostrum maximè referentis. Hic Succus gummoso-resinosus ex pallido flavescit, &, acrimoniâ igneâ diu inhærente, Linguam urit; maximè viscidus est, ideòque tenaciter admodùm Intestinis adhæret, nec nisi Spiritu Vini, aut Spiritu Salis, inde dimoveri & solvi potest: Dosi minimâ, scilicet ad gr. ß, valdè *purgat*, licèt ab Empiricis audacibus Dosis gr. xij aliquando præscripta sit; in hominibus autem facilè movendis primò Mucum Intestinorum abradit, deinde verò Sanguinem elicit; cæterùm optimè juvat Hydropicos, in quibus vis ejus plurimùm frangitur: dissolvi potest in Aqua; sed tunc ita horrendi saporis est, ut hoc modo in usum non veniat; porrò si solvatur in Spiritu Vini, (in quo quidem extrahitur pars ejus spirituosa & resinosa, relictâ terrestri) vim majorem adipiscitur, ideòque Dosis ejus màxima ad gr. iv. reducenda est; si verò cum Aceto coquatur, tota vis ipsius perit. (5) *Hermodactylus*: hæc Radix est gummosa, Salivam, dum masticatur, viscosam

reddens, ſaporemque amarum & nauſeoſum habens. Doſis in ſubſtantia eſt à gr. x ad ʒ jj; ſi autem cum Aqua decoquatùr, duplicatâ Doſi dari poteſt: in Alcohole Vini pars reſinoſa tantùm educitur, & in Spiritu Vini vulgari extrahitur corpus reſinoſis ſaliniſque partibus mixtum. (6) *Jalappa:* hæc Radix eſt Plantæ quæ *Mirabilis Peruviana* dicitur, atque tot flores tamque diverſis coloribus præditos fert: ſi maſticetur, totum Os viſcô primò quidem obducit; ſed paulò pôſt Fauces exulcerat; lentè deglutita, Linguam, Fauces, & Oeſophagum quaſi comburit; hoc verò malum Acetô corrigi poteſt. Doſis ejus, in ſubſtantia, pro Infantibus, maximè contra Vermes, eſt ad gr. vjjj, vel jx; in Adultis autem maxima Doſis eſt ℈ jv: rariſſimè fallit, niſi multùm adſit Acidi in Ventriculo; ſiquidem Acida vires ejus deſtruunt: ſi coquatur in Aqua, Doſis etiam duplicanda eſt; operatur autem citiùs hôc modô, & minoribus cum torminibus; addatur verò Mel, Saccharum, vel ſimile quid, ne Fauces exulcerentur: porrò ſi taleolæ hujuſce radícis cum Spiritûs Vini vulgaris q. ſ. decoquantur, Extractum elicitur, ex partibus oleoſis ſive reſinoſis & ſalinis

constans, cujus Dosis eadem est ac in substantia: in Alcohole verò soluta & inspissata dat Resinam (*a*), cujus ℈ j æquivalet ʒ j ejusdem crudæ. (7) *Mechoacanna*, quæ species est Bryoniæ, unde & quoque *Bryonia alba* dici solet; benigniùs hæc operatur quàm Jalappa: est autem gummosa Radix, sapore viscoso & acri prædita. Dosis est à gr. xjj ad ʒ j ss; cæterùm, in Aqua & Spiritu Vini, non secùs ac Jalappa, dissolvitur. (8) *Pruna* quædam *Myrobalani* dicta, quoniàm viscosa sunt, & Glandibus similia: eorum autem variæ dantur species, quæ, pro loci nativi, coloris, aut magnitudinis diversitate, distinguuntur; in Officinis verò quinque genera prostant, binis hisce versibus recensita,

Myrobalanorum species sunt quinque bonorum;

Citrinus, Chebulus, Belliricus, Emblicus, Indus.

Omnes hi Fructus sunt viscosi, cum sapore terreo, astringenti, & acri; hinc primò quidem satis vehementer purgant, posteà verò constipant; sunt autem valdè

(*a*) Confer Domini Boulduc Observationes Analyticas de *Jalappa*, in *Actis Regiis Parisin. ann.* 1701. *Mémoir.* pag. 139. *Edit. in* 12°.

acerbi, nec facilè ſolubiles. Doſis eſt, in ſubſtantia, ad ʒ jj; in decocto, ad ℥ j ß; in infuſo, ad ℥ jj. (9) *Gummi Gutta:* hoc eſt Gummi aromaticum Indicum, quod expellit materiam inſtar muci Narium. Doſis ejus eſt à gr. j ß ad gr. x. In Vitello Ovi aut Melle ſolutum, duplicem acquirit vim; quippe Menſtruum, interponendo ſeſe inter partes viſcoſas, exitum præbet acribus: in Aqua pars ejus minima tantùm diſſolvitur; quod tamen ſolvitur, ſatis vehementer (*a*) agit. (10) *Turbith gummoſum:* hoc ſpecies eſt Bulbi, ſive Radicis gummoſæ; vocatur autem *gummoſum* quia, ſi maſticetur, talem qualem Gummi, viſcoſitatem exhibet, cum acri amaro intermixto. Doſis eſt in ſubſtantia, à gr. x ad ℈ jj; decoctum ad ʒ j in Aqua, lentè operatur; ſi verò ſolvatur in Spiritu Vini

(*a*) *Gummi-Gutta*, quod alia quòque ſortitur nomina, (de quibus verò conſulantur AUCTORES) ſat bene purgat Infantes doſi gr. j ſs, vel ij gr. cum Saccharo; pro Adultis autem requiruntur gr. IV ad vj: porrò, ſi major adhibeatur doſis, plerùmque tunc ἄνω & κάτω violentiſſimè purgat. Cæterùm, licèt hoc Gummi tantâ donetur acrimoniâ, Fructus tamen Arboris, unde provenit, dulcis eſt eduliſque; ſiquidem inſtar Aurantiorum ab Indigenis Cambodiæ comedi per-

vulgari, fit Clyssus continens Aquam, Oleum & Salem, atque benignè satis agens; si solvatur in Alcohole, fit Resina optimè purgans; adeò ut parum referat, quâ ratione præparetur. Hæc verò sunt *Phlegmagoga* Veterum, [additis Opopanace & Sagapenô, & exceptô Gummi-Gutta.]

Recentiores his etiam addidêre *Mannam*, & *Aloën*. Jam verò *Manna* est corpus viscosum, & quâdam acrimoniâ præditum: *Aloë* autem hoc habet, quòd viscositate suâ & amaritie Bilem æmuletur, quæ Bilis ab HIPPOCRATE pro Clysso naturali habetur. Dosis Aloës est à gr. jj vel jjj ad ʒ j. *Bryonia* quòque his additur; quæ Radix est fungosa & crassa, maximè pituitosa, & saporem acrem, mordacem, ac nauseabundum habens. Dosis ejus est in substantia, à

hibetur. Plura de Gummi-Gutta vide in *Actis Reg. Paris. ann.* 1701. *Mémoir.* pag. 172. *Edit. in* 12° ubi Dominus BOULDUC varia refert experimenta circa hujus preparationem à se instituta. Ejusdem verò legi potest historia, præsertim apud CLUSIUM, *Libr.* 4. *Exoticorum*, *Cap.* 8; dein apud BONTIUM, *de Methodo Medendi Indica*, *Cap.* 9; & omnium optimè in HORTO MALABARICO, *Tom I. p.* 41. Confer denique LOTTICHIUM, *Tract. de Ghitta Jemou.*

℈ ß ad ʒ j; & in infuſo, ad ℥ jj, vel ultrà: hæc Radix in Aqua, aut Cerevifia, decocta, pituitam lentè, ſed cum vomitu & virulentia, educit; at ſapor ejus in decocto intolerabilis eſt: cæterùm in Spiritu Vini decocta & inſpiſſata, vim duplicem acquirit: convenit autem Mulieribus, quibus Menſtrua, ob pituitam Uterum obſidentem, ſupprimuntur. Hiſce præterea additur *Polypodii Quercini* Radix; quæ etiam vi ſuæ viſcoſitatis & acrimoniæ operatur.

Mercurialia quòque huc ſpectant, & imprimis *Mercurius Dulcis*; qui verò, ſi detur ſubtiliſſimè tritus, fit Sialogogus; ſi autem groſsò modô, Phlegmagogus evadit; non enim facilè ſolvitur in menſtruis: cæterùm Doſis hùjus eſt à gr. jv ad gr. xxiv, vel xxx.

COROLLARIA

Theoretica, ad Phlegmagogorum Solutionem ſpectantia.

Quandoquidem omnia recenſita *Phlegmagoga* conſtent parte viſcoſâ, quæ vel Gummoſa, vel Reſinoſa eſt, & Sale Volatili penetranti, ſed inviſcato, gaudeant, hæc inde ſequuntur, circa Solu-

tionem ipſorum, COROLLARIA.

COROLL. I. Si corpus in quo neque Salina, neque Gummoſa, neque Reſinoſa pars prædominatur, *ſolvatur* in Aqua, illud quod poſt ſolutionem remanet, *vim purgatricem* retinebit, licèt etiam ipſi Aquæ vis purgans communicata ſit. Porrò ſi reſiduum iſtud Spiritui Vini vulgari immittatur, id quod in eodem immiſſum remanet, *purgativum* erit. At ſi reſiduum hoc ſecundum in Alcohole Vini ſolvatur, quantùm fieri poterit, illud quod reſtabit *iners* prorſus erit, inſtar capitis mortui, ac proinde non purgativum.

COROLL. II. Si corpus in quo Salinum prædominatur, in Aqua, quantùm fieri poterit, ſolvatur, tunc reſiduum erit *iners*; utì fit in corporibus non Reſinoſis, ſed Gummoſis, qualia ſunt *Agaricus* & *Bryonia.*

COROLL. III. Si corpus fuerit Semi-ſalinum, & Semi-reſinoſum, atque in Spiritu Vini vulgari, quantùm fieri poterit, ſolvatur, id quod remanebit, *iners* etiam reperietur.

COROLL. IV. Verùm, ſi ſolum Reſinoſum prædominetur, tum omnis ejus *vis purgatrix* extrahetur Alcohole Vini, & reſiduum erit *iners.*

COROLL. V. Si tres *ſolutiones* in *Corollario primo* memoratæ commiſceantur, & igne lento inſpiſſentur, ſoluti corporis vires integras, ſive *quintam-eſſentiam*, inde habebimus.

COROLL. VI. Omnia hæc Extracta in Aëre aperto conſervata, *nauſeoſum* ſpirant odorem, quo ceſſante, perit eorum virtus, ſed remanet pondus.

COROLL. VII. Omnia hæc cum *Acidis* cocta, ut cum Aceto, Oleo Vitrioli, Spiritu Nitri, Spiritu ſeu Oleo Sulphuris per campanam, &c. *vim* ſuam amittunt (*a*).

COROLLARIA Practica.

COROLL. I. Medicamentorum expoſitorum uſus neceſſarius eſt in hominibus, quibus Viſcera *prima*, i. e., Organa quæ Chylum conficiunt, *debilia* ſunt. Hæc autem Organa duplicis ſunt generis; ſcilicet, (1) Os cum ſuis Inſtrumentis maſticationi inſervientibus, Ventriculus cum ſuis Muſculis digerentibus, & Inteſtina cum ſuis Muſculis comprimentibus; (2) Diaphragma, qua-

(*a*) Confer, de hiſce COROLLARIIS, *Elementa Chemiæ* AUCTORIS, *Tom. II.*

tenùs motum iis omnibus communicat; Musculi Abdominales, & Pectorales, denique motus Arteriarum, & Hepatis.

COROLL. II. Phlegmagogorum perquàm necessarius est usus in omnibus Morbis ortis à *Chylo*, propter *inertiam* Bilis, *vitiato*; Bilis enim menstruum est, cujus efficaciâ viscciditas Ciborum maximè superatur, & resolvitur: eapropter quando nimis *iners* est, aut nimis *parcè* in Intestina fluit, intra breve tempus Pituita & Phlegma in Intestinis generantur & crescunt; unde quidem homines hunc in modum affecti, Hydropici, vel Pituitosi redduntur: his ergo *Phlegmagoga*, parvâ sed sæpe repetitâ dosi, valdè prosunt. Maximè quòque conveniunt in Morbis omnibus *frigidis*, iis nempe qui pendent ab *inertia* primorum Viscerúm, simul & Menstruorum; ex quibus autem binis vitiis oriuntur Tumores albi, Leucophlegmatici dicti; nec non Abdominis Farctus sive Obstructiones; ut & Hydrops, Pallor Virgineus seu Chlorosis, &c.

COROLL. III. Phlegmagoga prosunt iis, in quibus *pallor* totius Corporis, *visciditas* Salivæ, Succi Pancreatici, & Intestinalis adsunt, & in quibus Fæces quasi

quaſi *Pituitâ* obvolvuntur. Siquidem notandum eſt, rubedinem Corporis à Sanguinis pendere rubedine; hanc verò à circulatione per Vaſa, & imprimis per Pulmonalia, in quibus minimæ particulæ violenter compinguntur à vi reſiſtente Vaſorum contra vim impellentem Cordis; unde fit ut formentur in Moleculas ſolidas, & rotundas, ac proinde rubras. Itaque, ſi *pallor* Corpus occupet, novimus ex natura morbi, 1°. vel Vaſa eſſe nimis laxa; 2°. vel Sanguinem deficere; 3°. vel denique Cor non ſatis validè ſe contrahere, adeòque vim Solidorum in Fluida imminutam eſſe: quum enim hæc vis deſinit, ſtatim Sanguis *palleſcit*, ut experientia docet; quippe Sanguis *ruber* extractus & quieſcens, brevî *palleſcit*, & in Serum pituitoſum reſolvitur. Itaque *Phlegmagoga* quæ diluunt, reſolvunt, & ſtimulant, hoc in caſu plurimùm conducunt; utpotè quæ motûs in *primis viis* defectum, ex quo quidem Cordis defectus maximè pendet, auferunt.


COROLL. IV. *Phlegmagoga* conveniunt iis, qui ex Vita nimiùm *ſedentaria*, aut Victu nimis *viſcido*, ut ſolis Farinaceis non omnino, vel ſaltem non ritè, fermentatis, *palleſcunt* & *pituitoſi* fiunt.

COROLL. V. Optima methodus curandi Morbos, quatuor præcedentibus *Corollariis* enumeratos, ſic ſe habet: 1°. Per aliquot dies præparetur Corpus, exhibendo ſcilicet ea quæ Viſcera ſtimulant, & Pituitam diluunt ac reſolvunt; qualia ſunt illa quæ expoſita fuêre in *ſecundo*, *tertio*, & *quarto* numero *primæ* Claſſis, ubi agitur de Saponaceis, & Gummi fœtidis, nec non de iis quæ conſtant ex Aquoſis, & Salibus artificialibus, nimirùm Alcalinis fixis. 2°. Materia ſoluta, & ad fluendum habilis optimè reddita, expellatur per *Phlegmagoga* in *ſecunda* Claſſe deſcripta. Ex gr., ſit homo toto Corpore frigidus, pituitoſus & iners, inſuperque crudis nec facilè ſolubilibus victitare ſolitus ille ſit Alimentis, indeque metuamus, ne brevî incidat in Hydropem; tum, inquam, curatio ſequentem in modum inſtitui debet: 1°. Dentur ipſi, ſingulis horis, Saponis Veneti in Pilulas redacti gran. jj; &, poſt ſingulas harum Pilularum doſes, grana v aut x Nitri, vel Salis fixi Glauberi, vel Salis Tartari fixi, vel Cinerum Clavellatorum, aut Gummi Ammoniaci, ex Vino Hiſpanico, vel ex Aqua Menthæ: 2°. Poſt harum rerum, per aliquot dies, uſum, exhi-

beatur eidem, quolibet veſpere, Pilula j. ex Aloë ad gr. jjj vel jv; &, mane ſequenti, ſimilis Pilula cum gran. $\frac{1}{2}$ vel j. Euphorbii: atque ſic brevî curabitur æger.

COROLL. VI. Itaque patet ex dictis, quòd *Purgantium* debitè exhibitorum ope, innumeri Morbi curari poſſint; non obſtante quidem ſententiâ HELMONTII aliorumque Chemicorum hujus aſſeclarum, qui dicunt, omne *Purgans* eſſe *Venenum*, ac proinde Corpus noſtrum ſemper debilitare. (*a*)

(*a*) Vide HELMONT. *Lib. de Febribus, Cap.* 5. *integr.* & alibì paſſim.



CAPUT VI.

De Cholagogis.

1. PRiusquàm *Cholagogorum* veram naturam, & effectum exponamus, eorumque Classes enumeremus, Veterum de iisdem expendamus sententiam. Veteres duplicem agnovêre Bilem; scilicet, unam *atram*, sive *Splenicam*, alteram verò *flavam*, sive *Hepaticam*; atque sic Medicamenta purgantia priorem, *Melanagoga*; posteriorem verò evacuantia, *Cholagoga* dixêre: hoc autem ultimo nomine donabant omnia illa Medicamenta, eaque sola, quæ *Faces*, Bilem Cysticam colore *flavo* aliisque proprietatibus referentes, expellebant: quâ quidem ratione in duplicem errorem delapsi sunt; scilicet, 1°. E *Cholagogorum* numero excludebant nonnulla Medicamenta, verè tamen *Cholagoga*, nempe Medicamenta Bilem Hepaticam strictè dictam moventia: hæc enim Bilis, si in Sinu Glissoniano examinetur, antequàm cum Bile Cystica commixta sit, omni charactere, nempe, sapore, odore, colore, tenacitate, Lympham planè

refert; ac proinde, licèt ope *Cholagogorum* educatur, Fæces tamen inde non flavescunt. 2°. Sæpenumerò pro *Cholagogis* habebant, quæ reverâ talia non sunt, utì statim patebit: cùm enim Bilis *Cystica* distinguatur ab omnibus aliis Corporis Liquidis, quatuor hisce characteribus, 1°. *amaritie* suâ, 2°. *flavedine*, 3°. *splendore* suo lucente, 4°. *spissitudine* sive *tenacitate* suâ; hinc ex præsentia trium posteriorum characterum in Fæcibus Alvinis, (de primi verò præsentia nihil dicere potuerunt, quippe qui Fæces degustare soliti non essent) easdem *biliosas* esse concludebant Antiqui; ac proinde quæcunque Medicamenta hujusmodi Fæces expellebant, *Cholagoga* nominavêre; sed perperàm & temerariè admodùm: etenim hæc *flavedo*, atque *splendor* relucens, quæ quandoque in Fæcibus viscidis, per Cathartica expulsis, observantur, possunt esse progenies ipsorum Medicamentorum, contenta, præsertimque Mucum Intestinorum, *flavedine* relucente inficientium, licèt ne minimùm quidem Bilis adsit: ita quippe *Cassia*, parvâ quantitate sumpta, Urinam & Fæces colore *flavo* tingit (qui proinde falsò Bili tribueretur); si majori quantitate sumatur, colorem *viri-*

dem inducit; si majori adhuc, *atrum*; quin etiam ex *Manna* assumpta *flavescunt* etiam Fæces; nec non ex *Tamarindis*, à quibus *pituitosæ* quòque fiunt; itidem *Aloë* in Aquâ multâ soluta, valdè lentescit, ipsamque Bilem æmulatur, ac Fæces semper *flavedine* tingit.

2. Ex dictis patet, quantùm errabant Antiqui, dum ex effectu quem habent Medicamenta quædam expellendi Fæces instar Bilis coloratas, eadem reverâ Bilem purgare concludebant. Rejectâ itaque Veterum sententiâ, omnia *Cholagoga* ad binas Classes reducemus; quarum *prior* continet quæcunque, Sanguinem Hepaticum attenuando, secretionem Bilis uberiorem promovent; *posterior* autem includit omnia illa quæ, Diaphragma & Abdomen violenter concutiendo, Bilem ex Hepate & Vesiculâ Felleâ in Intestina derivant, unde postea per sedes è Corpore potest amandari, si modò opus sit.

Sub *priori* Classe continentur omnia *Saponacea naturalia*; ut sunt Succi cunctorum Fructuum Horæorum acidodulcium, & maturorum; scilicet, Uvarum, Cerasorum, Mororum, Baccarum Sambuci, &c. Rubi Idæi, & vulgaris, Pomorum, Pyrorum, &c. Hæc

enim liquefaciunt omnia illa quæ in Vasis hærent, adeòque & Bilem, quin etiam interdum ita vehementer & copiosè, ut Choleram-morbum arcessant. Huc etiam maximè referendi sunt, 1°. Succi Plantarum aliquot manifestè Saponacearum; ut est Succus Lychnidis Saponariæ dictæ: huc pertinent quòque Cassia, Manna, Mel, Saccharum, Tamarindi, Succus Rosarum pallidarum, Aloë, Scammonium, Myrobalani, Rhabarbarum. 2°. Saponacea artificialia, quæ ex Oleo & Sale arte combinatis constant, (ut anteà dictum est) & quorum variæ dantur species superiùs enumeratæ; omnium autem præstantissima est illa quæ ex Sale Alcalino volatili, & Oleo volatili conficitur. Tandem huc referuntur Elixir Proprietatis, & Syrupi omnes moderatè aromatici; ut Syrupus de Artemisia FERNELII, Botryos, quinque Radicum Aperientium, Cichorei simplicis, & cum Rheo, Violarum, &c. sumantur isti omnes in Sero Lactis, aut Decocto Taraxaci, vel simili Diluente, idque manè vacuô Ventriculô.

Posterior Classis complectitur omnia *Emetica validiora*; ut sunt Asari folia, nec non *Emetica* Antimonialia, Mercurialia, &c.

COROLLARIA Practica.

COROLL. I. Bilis nunquam *evacuari* debet; nunquam enim copiâ peccat, nisi in hominibus qui diu nimis à Cibo abstinuêre; quo in casu nihil aliud requiritur, quàm ut Cibus sumatur.

COROLL. II. Medicamenta hujusmodi adhibenda sunt in omnibus Morbis, qui ab *obstructione* Hepatis vel Ductûs Biliarii oriuntur, ac proinde in *Ictero*; verùm tamen cum aliqua cautione: siquidem à Medicamentis fortioribus initiô morbi abstinendum est; Febrem enim, sive potiùs Inflammationem à qua Febris oritur, adaugent. *Icterus* autem sæpenumerò procedit ab Hepatis farctu per cretaceas, gypseas, calculosas, aliasque concretiones; interdùm verò à Ductûs Communis, per lapillum hærentem, obstructione, quam semper comitatur Vomitus enormis. Hic morbus Literatos, ob vitam sedentariam, ut plurimùm afficit; cujus debellandi sequens videtur optima methodus: v. gr., detur 1°. quotidie, singulis horis, Pilula j. ex *Sapone Veneto*; vel parùm *Aloës* cum *Melle*; vel *Hiera picra* parvâ dosi; aut exhibeatur *Sal Polychrestus* cum pauxillo *Mellis* & *smegmatis* ex *Rhabarbaro*;

Rhabarbaro; atque ſuperbibatur *Potus* tenuis, ſaccharatus, aut mellitus, vel *Syrupus Violarum*, cum diæta ſtricta; continueturque horum vel ſimilium uſus, donec concretiones reſolvi incipiant; quod plerùmque intra unum vel alterum menſem fieri ſolet, & factum eſſe dignoſci poteſt ex mutatione coloris in Urina, Fæcibus, & Cute. Tum verò 2°. propinentur *Emetica valida*, quibus Abdomen violenter concutiatur, & materia ſoluta exprimatur: (hæc autem non ſunt initiô præſcribenda, ne, partem fluidiſſimam emungendo, concretiones magis duras fixaſque reddant) porrò finitâ Emetici operatione, veſperi detur *Opiatum*, atque ſenſim Exercitio, Cibiſque craſſioribus aſſueſcat æger. Cæterùm, qui fiunt à *defectu* Bilis morbi curari debent adminiſtrando ea quæ facilè ſolvuntur; qualia ſunt Ptiſanæ, Vitelli Ovorum, & ſimilia, unà cum *Saponis* Pilulâ.



CAPUT VII.

De Hydragogis.

1. HYdragoga ſunt Medicamenta Purgantia, *quæ Aquam, i. e., Serum Inteſtinale ſalivoſum educunt.* Porrò *Serum* dicitur omne Liquidum à Sanguine ſecretum, quod neque eſt pingue, neque rubrum: eſt autem vel concreſcens ad ignem, inſtar albuminis ovi, in duram maſſam; & hujuſmodi eſt *Serum* Sanguinis propriè dictum: vel non concreſcens, ſed exhalans, & poſt ſe fæces relinquens craſſas, at non coagulatas; taliaque ſunt Saliva, Sudor, Urina. *Serum* autem quod ab *Hydragogis* educitur, eſt illud poſterius: *inteſtinale* verò dicitur, quoniam in Inteſtina derivatur; idque dupliciter: nempe, 1°. è Glandulis Salivalibus Oris, nec non è Palati & Oeſophagi Glandulis, exſtillat, ac deinde deglutitur: 2°. ſecernitur atque fluit in Inteſtina non tantùm è Glandulis Inteſtinalibus ipſis; ſed etiam è Glandulis Hepatis, per Ductum Hepaticum. Hoc autem Liquidum, *Hydragogorum* ope, multò majori copiâ, quàm naturaliter

fieri ſolet, educitur, & per Anum expellitur.

2. Cæterùm, *Hydragoga* reduci poſſunt ad *tres* Claſſes: quarum *Prima* continet ea quæ ſecretionem hujuſce Liquidi promovent, Glandulas nimirùm Inteſtinales ſtimulando: *Secunda* complectitur ea quæ ſecretionem dicti Liquidi ſuſcitant, 1°. Sanguinem in partes non rubras diſſolvendo, 2°. eundem ita ſolutum velociùs movendo, quo majori copiâ ad Glandulas Inteſtinorum ſecretorias applicetur: *Tertia* tandem includit Medicamenta quæ utrumque iſtud ſimul agunt.

Prima Claſſis Hydragogorum.

CLaſſis hujuſce Medicamenta, ad Inteſtinorum Membranam intimam applicata, eandem, inſtar Veſicatorii, in veſicas elevant, quas verò deinde, vi ſuâ cauſticâ, ſolvunt; unde ſequitur continuum Liquidi Inteſtinalis ſtillicidium. Corporis quippe tota ſuperficies, cùm externa, tùm interna, pullulat ſcatetque Vaſis Liquidum modò dictum continentibus: his autem Vaſculis ſi corpora applicentur acria, quæ ipſa ſolvere va-

leant, ſimul & quæ tam craſſa ſint, ut eadem intrare nequeant, tunc temporis Liquidum iſtud educent. Acria verò iſta vocantur *Veſicatoria*, aut *Hydragoga*, prout huic, vel alteri ſuperficiei admoventur, nimirùm, externè, vel internè: quapropter acria cuncta *Veſicantia* quæ ita craſſa ſunt, ut Venas Lacteas ingredi nequeant, *Hydragoga* fiunt, nullo quidem exceptô; & quò magis acria craſſaque ſunt, eò quòque fortiora extant. Porrò Claſſis hujuſce Medicamenta duas conditiones habere debent; 1°, nempe oportet, ut in ſe contineant aliquid tenue, acre, rodens, & urens; 2°, oportet ut illud urens ita ſit corpore quodam gummoſo vel reſinoſo involutum, ut totum ſimul non exhalet, ſed ſucceſſivè; unde quòque fiet, ut ſucceſſivè rodat. Medicamenta verò hujuſmodi duplicia ſunt; vel enim ex Foſſilibus, vel ex Vegetabilibus deſumuntur. Quæ ex Vegetabilibus habentur, ſunt ſequentia. (1) *Mechoacannæ* Radix, quæ jam inter Phlegmagoga numerata fuit: vires habet ferè inſtar Jalappæ; in Alcohole ſoluta Tincturam præbet, quæ ſi inſpiſſetur, fit Reſina: Tinctura hæc in Ore detenta, ardore intolerabili Fauces afficit, & ſalivationem excitat; ſi verò deglutiatur,

Fauces ac Oeſophagum inflammat, & humoribus opplet: Reſina autem, ſi maſticetur, ſalivam quoque vehementer movet, Oſque exulcerat; denique ſi, cum Ovi Albumine, ſordidis Ulceribus applicetur, eadem abſterget. Doſis hujuſce Radicis eſt à ℈ j ad ʒ jj; quæ quidem Doſis major eſt, quàm illa quæ pro ſcopo Phlegmagogorum requiritur; quoniam in hoc caſu ſtimulus fortior eſſe debet. *Hydragogum* nobiliſſimum eſt; ſed non debet deglutiri, niſi viſcoſo quodam corpore involvatur, ne ſcilicet Fauces & Oeſophagum lædat. (2) *Jalappa*: hæc verò, ſi maſticetur, primò quidem iners eſſe videtur; ſed tandem acerrima deprehenditur: Tinctura ejus cum Alcohole facta, & in Ore detenta, Fauces itidem exulcerat: Reſina verò, ſi maſticetur, intolerabilem dolorem & tumorem excitat, ſalivæque ſecretionem valdè promovet; porrò ſi in Aquâ ſoluta ſumatur, vehementer purgat, ut & ejus Tinctura ſaccharô edulcorata. [Doſis Jalappæ, in ſubſtantia, eſt à ℈ j ad ℈ v; Reſina verò datur à gran. v ad ℈ j.] (3) *Ebulus* ſive *Sambucus humilis*: hujus Fructu, & Cortice mediano utimur. Doſis Baccarum eſt à ℈ j ß ad ʒ v; Succus autem earum, ut & Summitatum, dari ſolet à ʒ j ad

℥ j. Cortex medianus, ſi ad ℈ j Infantibus, & ad ℥ ſs Adultis detur, ſerum vehementiſſimè educit, & fortiùs agit quàm Sambucus: Baccæ porrò & Cortex Ebuli, ſi deguſtentur, ſaporem acrem præbent & lædentem. (4) *Rhamnus Catharticus*, ſive *Spina Cervina*, vel *infectoria* (ita quidem dicta, quòd Pictoribus uſui ſit): Baccarum ejus Succus expreſſus ſumi poteſt ad ℥ j, & in Syrupum coctus, ad ℥ jj. Secundùm autem Sydenhami obſervationes, Syrupus hic *de Spina Cervina* Hydropicis maximè confert, & in his, qui Catharſi promptè cedunt, aquas copiosè admodùm elicit (*a*): porrò Succus in Ore detentus, ſaporem quaſi igneum exhibet. (5) *Soldanella minor*: hæc herba maritima eſt, & ſpecies Convolvuli; apud Batavos maritimos habetur pro divino Medicamento; ſaporem verò acerrimè ſalſum præbet: uſus ejus eſt in Acetariis; ſed ab Aceto vis ejus plurimùm infringitur: herba hæc limoſa eſt, & tenax cum acredine, Alvumque purgat cum torminibus. Doſis à ℈ jj ad ℥ j. (6) *Gratiola*: hæc ſaporem habet igneum amariſſimumque, cum ſucco viſcoſo; aquas educit

(*a*) Confer Sydenham, *Tract. de Hydrope*, pag m. 487.

cum torminibus summis, soletque Vomitum excitare. Dosis est à ℈ j ad ʒ jjj in infuso. (7) *Iris Vulgaris*, quæ *nostras* dicitur: hæc agit vehementissimè. [Dosis Radicis, in pulvere, est à ℈ ß ad ʒ j ß; in infuso, à ʒ j ad ℥ ß. Dosis verò Succi recenter expressi, ab ℥ ß ad ℥ jjj:] hic verò Succus, dum sumitur, si cautio non adhibeatur, Oesophagum in bullas maximo cum dolore elevat; sed assumptô Acetô dolor iste tollitur. (8) *Esula*; cujus Succus, quoad colorem & consistentiam, Lac æmulatur; sed ita est urens, ut si Cuti applicetur, instar ignis eam exulceret; & est adeò tenax, ut calore leni evaporatus, in Resinam abeat. MARTINUS RULANDUS habebat, in Germania, quoddam Arcanum pro Hydropicis, qui ingenti numerô ad eum confluebant, quosque omnes ferè sanabat; hoc autem Arcanum erat *Cortex Esulæ* decoctus in *Sero Lactis*, & *Melle* edulcoratus. Esulæ Dosis est gran. jjj ad vjjj in substantia; sed, in infuso, Dosis ista duplicatur. Huc verò referuntur etiam aliæ Tithymalorum species, ut & Euphorbium. (9) *Gummi Gutta*, sive *Gutta Cambodia*, seu *Gamandra*, &c. (de qua jam dictum est in CAP. *de Phlegmagogis*): hanc Plantam nonnulli dicunt

esse Tithymali speciem, ex qua læsa succus exstillat, cui verò flavus conciliatur color, ne fucus detegatur: cæterùm, si gustetur, Fauces exulcerat, iisque tenacissimè adhæret, atque vesicas excitat; fortissimum quòque & optimum est *Hydragogum*. Dosis est à gr. jjj ad xv; in Corporibus autem difficulter movendis pleiùmque Vomitum excitat. (10) *Elaterium*, sive *Cucumeris Asinini Succus* ad Solem inspissatus: hoc Medicamentum acerrimum est, quin & ita viscosum, ut licèt per 100 annos servetur, nihilominùs tenax maneat: laudatur à SYDENHAMO tanquàm ultima anchora in Hydrope (*a*). Dosis Elaterii est à gr. j ß ad gr. xjj; est autem Purgans vehementissimum.

Hydragoga hujusce primæ Classis ex Fossilibus desumpta, sunt hæc sequentia. (1) *Mercurius Dulcis*; qui constat ex Acido Salis Marini, & Mercurio concentrato sive recondito: Hic verò fit optimum Hydragogum, si grossô modô contritus exhibeatur; à Liquidis enim nostris haud facilè solvitur, ideò-

(a) *Tract. de Hydrope*, pag. m. 488. Confer etiam imprimis LISTER, *Tractat. de Morbis Chronicis, Exercitat. de Hydrope*, pag. m. 17. ad 20.

que Inteſtinis inhærens, eadem, vi Acidi quod in eo continetur, ſtimulat. Doſis ejus eſt à gran. IV ad ℈ ß: aquas autem violenter educit; verùm, ſi exhibeatur tenuiſſimè attritus, Salivationem excitat, atque, ſi groſsè contritus Vulneri applicetur, Callos ad marginem natos optimè corrodit. (2) *Mercurius Præcipitatus albus*; cujus vis conſiſtit in ſpiculis acidis, quæ non ſunt recondita, ſed aperta & nuda; unde ſi alcalinis infringantur, aut ignis vi ſeparentur & expellantur, dulcis evadit. Doſis ejus eſt à gran. jj ad x; & vehementer purgat. (3) *Mercurius Præcipitatus ruber*; qui violentiùs adhuc agit, hinc Doſis hujus eſt à gran. j ad gr. IV, (4) *Mercurius Præcipitatus flavus*, ſive *Turbith minerale*; quod quidem optimum eſt Hydragogum, ſed cum moderamine exhibendum eſt; aliter enim Salivationem excitat: dari debet itaque ſub quatuor legibus anteà præſcriptis; ſcilicet, ut determinetur versùs Inteſtina, & aſſumatur abſque Medicamentis aliis quibus poſſit ad Corporis habitum derivari, qualia ſunt Diaphoretica & Opiata; cæterùm Ulcera quòque rodit, & ſuperfluitates conſumit, in Callis etiam pertinaciſſimis, at non ſine dolore. Paracelsus eum

vocavit *Turbith minerale*, quia Lympham eôdem modô expurgat ac Turbith vegetabile, quod eandem ex intimis Podagrici Corporis articulis educere censetur. [Dosis autem Præcipitati flavi est à gran. j ad vj.] Addi potest (5) *Mercurius Præcipitatus viridis*; [cujus Dosis eadem est ac flavi.] Huc etiam referuntur (6) *Metallorum Crystalli*; ut 1°. Vitriolum Lunæ, ex quo fit Lapis Infernalis: Dosis est à $\frac{1}{6}$ gr. ad gr. jjj. 2°. Vitriolum Veneris; quæ quidem Vitriola violentissimè aquas educunt: Dosis verò posterioris est gran. j, aut circiter. Ad istam Classem potest quòque pertinere Scobs Veneris; quæ, cùm à Veteribus, tùm à Recentioribus, tanquàm anchora sacra laudatur: hoc Medicamento curatus est CAROLUS V, cùm Hydrope laboraret; (vide FORESTUM:) Dosis maxima Scobis hujus est gr. vj. 3°. Vitriolum Martis: [Dosis à gran. vj ad ℈ j.] Tandem (7) *Vitriolum commune* sive *album*: Dosis à ℈ jj ad ℈ jv.

COROLL. Hæc omnia Medicamenta, suâ tantummodò *acrimoniâ* operantur; ideòque non specificâ quâdam virtute: hoc enim ita se habere probant, 1°. Sapor acerrimus omnium; 2°. Ar-

dor quem Faucibus inducunt; 3°. Veſiculæ quas omnia, Jalappâ & Mechoacannâ non exceptis, excitant; 4°. Dolor quem Vulneribus applicata creant; 5°. Analyſis Chemica: quippe ſi ex iis quæcunque ſolvantur vel in Aqua, vel in Spiritu Vini, quantùm fieri poteſt, vires acerrimas Menſtruis ſuis communicant: illud autem quod intactum & indiſſolutum remanet, nullas omninò vires habet.

Secunda Claſſis Hydragogorum.

MEdicamenta hujuſce Claſſis ſunt ea, quæ Sanguinem in *ſeroſum* Liquidum *ſolvunt*, eumque ita ſolutum velociùs *movent*, quò majori copiâ ad Inteſtinales Glandulas applicetur. Hæc autem ambo ut fiant, neceſſe eſt ut Medicamenta cum Sanguinis maſſa commiſceantur. Ne quis verò putet hujuſmodi Purgantia cum Sanguine nunquam miſceri, aſſertum hoc triplici confirmabimus argumento. 1°. Infuſiones ex Croco Martis, Senna, & Rhabarbaro, hominum & brutorum corporibus, nempe Thoracis cavitati, injectæ, apud Anglos, Gallos, Italos, poſt horæ dimidium, de-

jectiones per Alvum produxêre ; ideòque non dubitandum est, quin Venis receptæ fuerint. 2°. Mercurius, ad Salivationem excitandam, Pedibus affrictus, sæpenumerò Diarrhœam non nisi Diaphoreticis & Opiatis compescendam, arcessit. 3°. Cujuslibet Fluxûs Serosi per Alvum curatio felicissimè perficitur Diaphoreticorum & Opiatorum ope.

In hac porrò Classe unum Medicamentum solummodò novimus ; nempe, *Mercurium* : hic enim, sive crudus, sive dulcis, parvâ Dosi, eâque sæpe repetitâ, & sub quatuor legibus supràdictis, assumptus, post duos tres-ve dies, Fluxum Alvi serosum inducit.

Tertia Classis Hydragogorum.

AD hanc Classem pertinent omnia *primæ* Classis Medicamenta, quæ tum Glandulas *stimulant*, & Secretiones *augent*, tum Sanguinem *solvunt*, eumque solutum velociùs *movent* : sicut enim Cantharides, Cuti externè applicatæ, vesicas excitant, simul & Sanguinem ita solvunt, ut Mictum Sanguinis nonnunquam inducant ; sic etiam omnia Vesi-

cantia & Acria, utì ſunt ea quæ in *prima* Claſſe memorantur, Inteſtinis internè applicata, in iiſdem veſicas producunt, ſimulque Sanguinem ſolvunt, & eò derivant.

COROLLARIA Practica

De Hydragogis in genere.

COROLL. I. HYdragoga conveniunt in Morbis omnibus ubi abundat *ſalivoſa* in Sanguine *Lympha*: tales autem ſunt omnes Morbi in quibus Viſcera prima *debilia* & *infarcta* ſunt; unde partes Alimentorum non ita poſſunt attenuari, ut in Vaſa Lactea introëant, & Lymphæ admiſceantur: tales quòque ſunt Morbi in quibus Cordis & Arteriarum vis contractilis eſt *debilis*; unde quidem Sanguis nimiùm tenuis evadit; quippe conſtat ex Phyſiologicis quòd, quò fortior eſt vis Cordis & Arteriarum, eò craſſior ſit Sanguis; at è contrario eò tenuior evadat, quò debilior eſt vis iſta: ſic enim in Ruſticis multùm laborantibus, nec non in Bajulis, & ſimilibus, Sanguis valdè compactus reperitur; verùm in delicatulis, & omnibus iis quibus debilia ſunt Viſcera, ut

in Leucophlegmaticis, Phthiſicis, Scorbuticis, &c. planè aquoſus eſt.

COROLL. II. Conducunt eadem Medicamenta in omni Humorum *extravaſatione* & *ſtagnatione*, ac proinde in omni Tumore Oedematoſo, & Contuſione.

COROLL. III. Proſunt etiam in Morbis in quibus Liquidorum *ſubita ſolutio*, aut *evacuatio* requiritur: ideòque in Fiſtulis, Scabie, omnibus Hydropis ſpeciebus, Apoplexiâ, (que ſæpe à Sero in Cerebri cavitatibus extravaſato oritur) Gonorrhœâ Virulentâ, & ſimilibus Morbis conducunt.

COROLL. IV. Quoties hæc Medicamenta propinanda ſunt, primâ vice Doſi ſatis *largâ* dari debent: etenim aliter, cùm cauſtica ſint, valdè ſtimulabunt, nihil verò evacuabunt; unde quidem diræ anxietates & tormina exorientur.

COROLL. V. Hydragoga nocent in omni Morbo *inflammatorio*, ſive inflammatio ſit in Arteriis, ſive in Vaſis Lymphaticis: ideòque in Febribus omnibus, niſi Venæ-ſectio præceſſerit, *noxia* ſunt.

COROLL. VI. Hypochondriacis quòque & Hyſtericis *nocent*; ii quippe ſæpenumerò ab *Hydragogis* ita violenter

purgantur, ut inde in animi deliquium incidant.

COROLL. VII. Quælibet *Hydragoga* facilè producunt *Hypercatharſin*; quæ verò duplex eſt. *Prior* ſpecies per Medicamenta nimis evacuantia fit, quum ſcilicet Humorum velocitas & tenuitas à Medicamentis adeò augentur, ut inde Vaſa Excretoria ultra ſuum *tonum* diſtendantur, & evadant paralytica; unde accidit, ut ſeſe contrahere nequeant, ſed aperta maneant, & conſequenter Humores majori quàm par eſt copiâ effluant. Mali hujuſçe curatio optimè inſtituitur per Aſtringentia ſumma cum Opiatis & Spirituoſis: quippe cuncta Spirituoſa coagulant, ut docet Chemia; ergo Auſtera & Spirituoſa ſemper, in hoc caſu, adhibenda ſunt. *Poſterior* ſpecies *Hypercatharſeos* eſt ſpaſmodica, qualem HIPPOCRATES deſcribit ab Helleboro oriundam (*a*); Spaſmi enim validè concutiunt, atque ſic expelluntur Humores. In hac autem occaſione conveniunt Acida mineralia, unà cum Opiatis, & calidis Aromatibus.

(a) *Aphor. Sect V. Aph.* 1. & 4. item *Libr. de Veratri Uſu, art.* 7. ut & *Coac. Sect.* IV. *verſ.* 24 Confer etiam DURETI *Enarrationem* in hunc locum, *Libr.* III. *Tract.* IV. *art.* 17.

CAPUT VIII.

De Melanagogis.

1. ATra *Bilis* Veteribus duplex erat: Prior ſcilicet ex Liene, & dicebatur *Humor melancholicus*, *Fæx* & *Recrementum* Sanguinis; hujuſque materiam Sanguinem eſſe *melancholicum* affirmabant: Poſterior autem ex Hepate, & vocabatur *Bilis Hepatica exaſſata*.

2. Ergo Medicamenta *Melanagoga* ea dicebantur à Veteribus, 1°. Quæ *Atrabilarium Humorem* ex Liene per Inteſtina *purgant*; hoc autem fieri poſſe anteà dictum eſt, ſimul & aſſignata fuit via, per quam Humor iſte tranſit: ac proinde, hoc in caſu, non errabant. 2°. Quæ *Bilem Hepaticam* educunt: verùm ſi ſeriò attendamus, videbimus, 1°. plurima dari Medicamenta Purgantia, quæ Fæces *atras* reddunt: ſic enim Polypodium Quernum, quod pro principe Melanagogorum habetur, ſequens naturam omnium Quercuum, (quarum proprietas eſt, cuncta ferè colore *nigro* tingere) Mucum Inteſtinalem *atro* colore inficit; & ideò *Melanagogum* dicebatur

batur à Veteribus : ita quòque Lapis Armenus, & Lapis Lazuli, [nec non Helleborus niger, Epithymum, & Senna] ab iiſdem pro *Melanagogis* habebantur; jam verò ſatis notum eſt, quod iſti duo Lapides Fæces colore *nigerrimo* tingant, ut & omnia Vitriola. 2°. Videbimus, aliquando ſoliûs naturæ vi, abſque Cathartico adminiſtrato, per ſuperiora & inferiora, materiem *nigram* ejici : ac proinde, hoc in caſu, omne illud dici poteſt *Melanagogum*, quod hancce materiam blandè expellit ; etenim vehementer tractari non debet, ſed lenibus duntaxat Purgantibus eſt movenda.



CAPUT IX.

COROLLARIA

De Purgantibus per Alvum in genere.

ABsolutis jam omnibus *Purgantium per Alvum* Speciebus, superest ut, in hoc CAPITE, sequentia *de hisce Purgantibus in genere COROLLARIA* subjungamus.

COROLL. I. Corpus Humanum totum *depurari* potest per *Alvum*; licèt contrarium afferat HELMONTIUS: *depurare* autem est separare partes quasdam determinatæ texturæ & acrimoniæ; per quas proprietates à reliquo Sanguine, quocum circulantur, differunt: hæ porrò partes ut plurimùm minores sunt partibus sanguineis; ideòque, si in Liene, Hepate, aliisque Visceribus, Excretoriorum Vasorum laxitatem minuere possumus, Expulsoriorum verò Canalium augere, spontè patet, quòd peccantes illæ partes facilè separari queant.

COROLL. II. Purgantia non sunt *venenosa*, ut asseruit PARACELSUS, & HELMONTIUS (*a*) probare voluit his

(*a*) Confer HELMONT. *locô* superiùs *citatô* pag. 307.

Argumentis: nempe, 1°. quoniam auctâ dosi semper mortem arcessunt: 2°. quia Theriaca, quæ Venenis resistit, ad vim Purgantium tollendam conducit. Sed ad hæc respondemus, 1°. quòd non solummodò Purgantia, sed etiam quæcunque maximè salubria, si nimiâ quantitate sumantur, mortifera sint: deinde, 2°. quòd Theriaca vim purgatricem Medicamentorum sistat per vim Opii quod ipsa continet; Opium enim, pro tempore, motus omnes contractiles Solidorum sistit; unde minor Liquidorum, per Secretoria & Excretoria Vasa, fit expulsio.

COROLL. III. Purgantia nulla dantur *Electiva*, i. e., quæ Bilem, Lympham, Pituitam, reliquis intactis, expellant: istud enim ex historia Purgantium abundè patuit; quippe, quum de his in specie verba fecimus, clarè vidimus, quòd in omnia nostra Liquida æqualiter agant; sed moveatur solummodò materies fluxilis & quæ faciliùs deponi potest.

COROLL. IV. Purgantium vires falsò deducuntur vel ab *Acido*, vel ab *Alcali*, vel à *Sulphure* quodam inhærente: nam, ex. gr., Succus Vegetabilium, & Spiritus Nitri purgant, in quibus tamen nihil est sulphurei; verùm omne *Acre* quod stimulare potest, hanc ob causam *Purgans* evadit.

CAPUT X.

De Emeticis, seu Vomitoriis.

1. PEr *Emetica*, seu *Vomitoria*, intelligimus omnia Medicamenta, *quorum vi, contenta Ventriculi sursùm in Os per Gulam projiciuntur.* Porrò Vomitûs causa proxima & immediata est compressio Ventriculi in contenta: hæc autem compressio potest oriri, vel à contractione fibrarum ipsius Ventriculi, vel à causa externa Ventriculi latera validè premente, vel denique ab utraque causa simul.

2. Hinc ergo *tres* dantur *Vomitûs* species. *Prima* est Ventriculi per superiora violenta evacuatio, ipsius Ventriculi fibrarum contractione procurata; & ad hanc speciem requiritur, 1°. Materiæ expellendæ aptitudo ad expulsionem, i. e., fluxilitas; 2°. Pylori accurata constrictio, & Orificii superioris apertura; 3°. Stomachi distensio, eamque consequens contractio, quæ à Fibris Ventriculi simul agentibus pendet. Vomitûs ejusmodi speciem agnoverunt Veteres; & hanc reverâ quandoque fieri

(licèt negent quidam Neoterici (*a*), qui contendunt, omnem Vomitum oriri à convulsione musculorum Abdominis) vel inde constare potest, quòd si Corpus, plenô Ventriculô, inflectatur, sæpè fiant ructus; qui verò tantùm inde oriuntur, quoniam superius Ventriculi Orificium tunc aperitur, non autem à convulsione Diaphragmatis & Musculorum Abdominis præcedente.

3. Atque sic excitare Vomitum solent sequentia. 1°. Quodlibet *acre Topicum* Ventriculo applicatum. 2°. Omnis *inflammatio* Ventriculi; utì contingit in Morbis malignis, & Variolis, nec non à Venenis assumptis: non tamen quòd Ventriculus, in statu quietis sive dum est flaccidus, ad Vomitum per inflammationem moveatur; sed tunc solummodò quum aliquid ingestum est. 3°. *Skirrhus* inhærens Ventriculo. 4°. *Repletio nimia* & *subita* à quacunque materia. 5°. *Inordinatus* Spirituum Animalium *motus*, à re nauseosa excitatus, [vel alia de causa;] hinc Spasmi hypochondriaci & hysterici Vomitum

(*a*) Imprimis verò clariss. CHIRAC, hujus opinionis Auctor, nec non celeberrimus DUVERNEY. Confer *Act. Reg. Parisin.* ann. 1700, *Histoire*, pag. m. 27.

ciere ſolent. 6°. Ventriculi *Spaſmus* ab *inuſitato* Corporis *motu* ; ut à vectione in rheda, navigatione, circumgyratione, &c. ortus. 7°. *Spaſmus* Ventriculi *ſympatheticus* ; v. g., in Vulneribus Capitis, Apoplexiâ ab extravaſato liquido oriundâ, nec non in Colica, Nephritide, &c. qui verò Spaſmus à communicatione Nervorum Ventriculi cum Nervis partium affectarum oritur ; unde fit etiam ut Vomitus Morbos ferè omnes Ventriculi concomitetur.

4. *Secunda* ſpecies *Vomitûs* eſt illa quæ contingit à *compreſſione* laterum Ventriculi per Muſculos Abdominis : hi ſiquidem interdùm ita convelluntur, ut inde omnia Viſcera in Abdomine contenta validè premantur ; quapropter, ſi tunc temporis Ventriculi ſuperius Orificium aperiatur, Vomitus neceſſariò ſubſequetur. In hac autem ſpecie Vomitûs, cavitas Abdominis à propriis Muſculis, Diaphragmate & Peritonæo ſimul agentibus, valdè coarctatur : unde Sanguis in toto Abdomine plurimùm comprimitur ; hinc verò ſecretiones maximè fiunt in omnibus Viſceribus contentis ; quin & aliquando Vaſa Sanguifera in Hepate diſrumpuntur, unde quidem dira oriuntur ſymptomata : ita

quòque Sanguis, ob compressionem seu resistentiam quam in Infimo Ventre patitur, versùs superiora violenter actus, Hæmoptysin interdùm, vel Apoplexiam, parit. Porrò, in hac Abdominis compressione, si Sphincteris Ani tanta sit vis, ut superari nequeat, *peristalticus* Intestinorum *motus* nonnunquam invertitur, & *Ileos* accidit; verùm si vis ista superetur, tum simul per Alvum fit excretio; in qua quidem non solùm Intestinorum contenta expelluntur, at etiam Liquores secreti & ab omnibus Abdominis Visceribus profluentes. Cæterùm hæc species Vomitûs, speciem primam nimis continuatam ut plurimùm sequitur; Nervis quippe Stomachi vellicatis, tandem & etiam Abdominis Musculi convelluntur, scilicet ob consensum per Nervum Paris Octavi.

5. *Tertia* species *Vomitûs* est ea quæ à *contractione* Fibrarum Ventriculi, & Musculorum Abdominis simul fit: hic autem Vomitus violentissimus est.

COROLL. Expurgandus est error ille Medicorum ferè universalis; scilicet, quòd *Emeticorum* actio explicari nequeat, nisi priùs descriptis Ventriculi Tunicis; & istud inculcant illi qui Vomitum ex solo motu Ventriculi derivant. Hoc au-

tem quàm precarium & à vero alienum ſit, patet non ſolùm ex antè dictis, verùm etiam ex eo quòd, ſi Venenum aliquod initium Paris Intercoſtalis Nervorum attigerit, ſtatim ſubſequatur Vomitus. Unde quidem dubitare licet, an non illa Emetica quæ non niſi poſt aliquot horas ſuos effectus produnt, priùs in Cerebrum agant, ac deinde, (per conſenſum, Ventriculum turbent?

6. Jam verò *cauſæ* communes trium ſpecierum Vomitûs, ſunt ſequentes. 1°. *Vellicantia* fortiora; utì pluma in Gulâ agitata. 2°. Omnia quæ Spiritus Animales *perturbant*, licèt immediatè non agant in Stomachum; ut motus inſueti Corporis. 3°. *Ideæ* nauſeoſæ. 4°. *Materies* mobilis fluctuans in Ventriculo, quæ *acris* eſt & vellicat. 5°. *Acre* quodlibet Stomacho ingeſtum in *teneris* hominibus. 6°. *Purgantia* quæcunque, vel *auctâ doſi*, vel *teneris* propinata. 7°. *Acria* commixta *Sanguini*; v. g., infuſio Tabaci, in qua ſi Infantes, ad ſcabiem ſanandam, (ad quam plurimùm valet) laventur, *vomitu* corripiuntur; ſic etiam infuſiones Croci Metallorum, Hellebori, Vitri Antimonii, &c. in Aqua, Vino, aut Lacte, ſi Venis injiciantur, primò *vertiginem*, dein *titubationem*, paulò

pòſt

pòſt *nauſeam*, ac tandem *vomitum* producunt. Cæterùm, ſi formâ Clyſmatis injiciantur *Vomitoria*, ſucceſſum non habent niſi in iis quibus Valvula Coli laxa eſt, utì ſolet eſſe in hominibus debilibus.

7. *Emetica* porrò Medicamenta ad *quinque* Claſſes ſubſequentes reduci poſſunt.

I. Claſſis continet omnia corpora nobis nota quæ quidem eâ copiâ Ventriculum ingrediuntur, ut eundem nimis *impleant*, & ejus Fibras omnes *diſtendant*, atque dorſales in contractionem cogant; quô fit ut Pylorus conſtringatur, unde brevî *nauſea* & *vomitus* ſubſequuntur: hinc etiam ipſamet Aqua, copiosè & ſubitò ingeſta, Vinum itidem, Cereviſia, & Cibi qualeſcunque, hôc pactô, *Vomitoria* fiunt.

II. Claſſis complectitur omnia corpora quæ Fauces, Oeſophagum, Ventriculum, aut Inteſtina ita *laxant* & *lubricant*, ut inde Stomachi contenta, minimo motu, facilè versùs ſuperiora ferantur: talia verò ſunt *pinguia* quælibet, ſæpe & magnâ copiâ aſſumpta, modò non ſint acria; ut Oleum, Cereviſia dulcis, recens, tenax, Mulſum, Syrupi, Lixivia, Sapones, Cereviſia cum Butyro, &c.

III. Classis includit *Applicationes mechanicas* quæ, Fauces irritando, Fibras Ventriculi & vicinarum partium in *contractiones* cient. Demonstrat enim Willisius, Fauces, Pulmones, Cor, Musculos Intercostales, Ventriculum, Diaphragma, & Mesenterium Nervos habere ab eadem origine; hinc etiam Nervis Faucium irritatis, facilè omnes enumeratæ partes convelluntur: ita, si digitus aut pluma Faucibus immittatur, vel si lingua deprimatur, *nausea* statim excitatur, hoc verò si continuetur, sequitur tandem *vomitus*.

IV. Classis continet quæcunque *topicè* agunt in ipsum Ventriculum, *irritando* scilicet eodem ferè temporis momento quo deglutita sunt: jam verò talia sunt sequentia. 1°. *Gilla Vitrioli* Paracelsi: hujus Dosis à ℈ j ad ʒ j si sumatur, brevî vomitum arcessit. 2°. *Viride Æris*; cujus Dosis est à gran. ſs ad gran. jj: hoc autem vix citiùs deglutitur, quàm operatur. 3°. *Nicotianæ Tinctura*, ex Foliis nempe Nicotianæ vulgaris, paululùm exsiccatis, ope Spiritûs Vini Rectificati educta; quæ ad ʒ j vel jj data, statim vomitum excitat; si verò diluatur aquâ, tum pro lubitu sisti potest ejus operatio: cæterùm, in consuetis Nico-

tianæ maſticatoribus tale quid non efficit. 4°. Succus *Abſinthii*, vel *Cardui benedicti*, recenter expreſſus: Doſis ℥ j ad ℥ jjj. 5°. *Oxymel Scilliticum*: Doſis ℥ j ad ℥ jv. 6°. Succus recenter expreſſus *Raphani ruſticani*; qui verò, niſi intra horam unam ſumatur, vires amittit: [Doſis ℥ j ad ℥ jj.] 7°. *Raphani* Semina contuſa: Doſis ℥ ſs. 8°. *Atriplicis* Radix, item & Succus recenter expreſſus: Doſis ℈ j ad ʒ j. 9°. *Perſicorum* Flores; [quorum Syrupus Infantibus ad ℥ j præſcribi ſolet.] 10°. *Cydoniorum* Succus recens; qui, ad Cochleare j ſumptus, præſentaneum eſt *Emeticum*, licèt vomitum à laxatis Ventriculi fibris ortum ſiſtat. 11°. *Anethi* Semina: Doſis ʒ jj ad ℥ ſs; verùm poſt ſe relinquunt nauſeam diuturnam. 12°. *Cyclaminis* Succus; [cujus autem externus eſt uſus, ſcilicet, in Unguento Arthanitæ.] Porrò recenſita Remedia idem agunt in Ventriculum, ac penna in Fauces; irritant nimirùm & vellicant. Cæterùm, uſus eorum convenit iis qui facilè *vomunt*, qui Ventriculum ſatis *ſenſibilem* habent, quique in *vomitum* proni ſunt, & à ſola repletione *nauſeant*. Ex his etiam eligi poſſunt conducentia in Morbis *acutis*, & *chronicis*; inter hæc enim habemus

Amara, Acida, & Aromatica.

V. Classis complectitur omnia illa quæ Sanguini communicata, *spasmos* inducunt universales, sed qui in Ventriculo & Intestinis sese maximè exerunt. Jam verò quæ huc spectant Remedia, per horam unam & ultrà in Sanguine hærent, antequàm operentur: sunt autem, 1°. Radix *Hellebori albi*, ut & *nigri*; quarum Radicum priorem, ob spasmos quos inducit violentos, præscribere non audent prudentiores Medici; siquidem ad ℈ ß data, violentissimè agit: *Hellebori* verò *nigri* Radicis (*a*) Extractum à ℈ j ad ʒ j exhibetur. 2°. *Asari* Folia: Dosis à numero v ad x, [infusa per horas 5 aut 6, in Vini albi ℥ jjj vel iv: Radix autem, in pulvere, à ʒ ß ad ʒ j; in infuso, à ʒ jj ad ℥ ß cum Vini albi ℥ iv, præscribi solet.] 3°. *Gutta Cambodia*: [Dosis à gran. jv ad xjj, in cochl. Vini.] 4°. *Turbith Gummosum*: [Dosis in substantia à ℈ j ad jj; Resina datur à gr. vjj ad ℈ ß; Extractum, quod omnium est optimum, à gran. xv ad ℈ j; Infu-

(*a*) De *Hellebori nigri* Analysi Chemica, confer *Acta Reg. Parasina, ann.* 1701. *Mémoires*, pag. 252. (*Edit. in*-12°.) ubi optimum censetur hujus Radicis Extractum quod Aquâ elicitur.

sum à ʒ ij ad ℥ ſs.] 5°. *Cataputiæ majoris* sive Radix, sive Semen: Dosis à ℈ j ad ʒ j; sed violenter admodùm operatur (*a*). Hæc autem omnia per Acida ita mitigari ac cicurari possunt, ut iis nulla vis remaneat. 6°. *Mercurialia*; ut *Turbith Minerale*, *Mercurius Præcipitatus*

(*a*) Dantur adhuc aliquot alia ex Vegetabili Regno *Vomitoria*; uti Folia *Gratiolæ*: Dos. scrup. j ad ij; *Sedi Vermicularis*: Dos. drachm. ſs; nec non *Sambuci* & *Ebuli* Folia prima, quæ *iuli*, *gemmæ*, vel *turiones* dicuntur, *&c.* Sed omnibus hisce palmam præripit nobilis illa Radix *Ipecacuanha* dicta, quam invenerunt Recentiores, & in usum maximo cum fructu vocârunt: hæc enim, in tenuem pulverem redacta, & à scrup. j ad drachm. ſs propinata, lene ac egregium præbet *Vomitorium*; solet autem dari in Jusculo, vel in Opiato; usurpatur etiam à nonnullis in Infuso, & in Decocto. Cæterùm, historiam & vires *Radicis* hujusce *Brasiliensis* vide passim in AUCTORIBUS recentioribus, ac imprimis apud PISONEM, *Histor. Natural. Brasiliæ*, *Libr. IV. Cap.* 53. *Edit. secund.*; nec non in *Dictionariis* POMETI & LEMERYI; tum apud DALE, *Pharmacolog.* pag. 170, & 420. *Edit. Londin. in-4°*; & & apud JUNCKER, *Conspect. Therap.* pag. 35. Adde TOURNEFORT, *Traité de la Matiere Médicale*, *Tom. I.* pag. 438. & seq. Consuli quoque potest de viribus & usu Radicis *Ypecacuanhæ*, qui primus ejus usum celebrem fecit, Dominus HELVETIUS, *Traité*

albus, *ruber*, *viridis*, &c. 7°. *Antimonialia*; ut *Crocus*, *Regulus*, *Vitrum*, [*Flores*, *Sulphur Antimonii*, *Mercurius Vitæ*, &c. imprimiſque *Tartarus Emeticus*, qui omnium tutiſſimus eſt & uſitatiſſimus : Doſis ejus eſt à gran. jj ad vj.] Cæterùm hæc omnia Oleô Vitrioli digeſta, vim ſuam amittunt. Porrò violenta hæc *Vomitoria*, ſi Sanguini Venenoſo immediatè injiciantur, *venenoſa* ſunt & *lethalia* : [ſiquidem eorum vires, in hoc caſu, ſatis evincit Experimentum Willisii; « quum enim Vinum *Stibii* infuſione » imprægnatum in Canis robuſti Venam » Jugularem, ad unc. vj, injiciendum » curaviſſet, poſt 5 vel 6 circiter horæ » minuta, iſte ceſpitare, inter progre- » diendum titubare, & dein immaniter » *vomere* cœpit. Attamen arbitrari fas ſit » (inquit Auctor) effectum iſtum à » *Pharmaco*, Cerebrum potiùs quàm Sto- » machum impetente, excitatum fuiſſe ; » cùm par *vomitio*, poſt linimentum, » aut fotum è Succo aut Decocto *Ni-*

des Maladies, &c. *Tom. II*. pag. 271. & ſeq. *Edit. ult.* Porrò de Chemica hujus Analyſi, à clariſſ. Boulduc inſtituta, confer *Acta Reg. Pariſina*, *ann.* 1700. *Hiſtoire*, pag. 59. *Mémoires*, pag. 1. & 97. nec non *ann.* 1701. *Mémoir.* pag. 249. *Edit. in-*12°.

» *cotianæ*, Capiti adhibitum, paſſim ſuc-
» cedat. » Hæc WILLIS, *Pharmaceut. Rational. Part. I. Sect. 2. Cap. 1.* pag. 54. & 55. *Edit. Haganæ.*] Præterea notandum eſt, quòd in Græcia & Helleſponto extat Venenum quo inficiuntur Gladii, à quibus inflicta Vulnera ſemper lethalia ſunt, propter horrendos quos inducunt ſpaſmos: Recentiorum autem obſervatio detexit, Venenum iſtud eſſe Succum *Hellebori* in Græcia & Helleſponto collecti.

COROLLARIA Theoretica.

COROLL. I. Nondùm demonſtratum eſt, an *Purgantia* fortiora, & *Vomitoria*, Spaſmos excretorios producant quatenùs Ventriculo & Inteſtinis *immediatè* applicantur; an verò quatenùs Nervorum *origini*? Obſervatur autem in *Vomitu*, Excretiones omnes, ut Sudoris, Alvi, Lacrymarum, Salivæ, &c. non minùs promoveri, quàm ab Animi Pathematibus, aut à corpore quodam originem Nervorum mechanicè afficiente.

COROLL. II. Hinc igitur patet, *Emetica* vehementiora in Nervorum *originem* agere.

COROLL. III. Hinc etiam elucet

ratio, cur inter Medicamenta, sola quidem *Venena*, eaque summa, ut & *Vomitoria* violenta, Spasmos producant.

COROLLARIA Practica.

COROLL. I. Materia quæ per *Emetica* egeritur, multiplex est: siquidem educitur, 1°. Saliva copiosa. 2°. Narium Mucus; unde quòque patescit mirabilis *Vomitoriorum* effectus in iis qui, ex Luë Venerea, Muco teterrimo infestantur. 3°. Faucium & Oesophagi Liquor; hinc *Emetica* sunt optima Remedia ad Suppurationes istarum Partium detergendas. 4°. Gastricus Liquor. 5°. Lienaris Liquor; itaque si Lien occupetur materie quâdam lentiori, tunc, incipiente malo, dum nempe materia mobilis est, *Emetica* valdè prosunt. 6°. Omenti Liquor Oleosus; qui verò, ut dicit Malpighius (*a*), in hunc usum colligitur & conservatur in Omento, scilicet ut Bilem Humoresque cæteros, ex nimio Corporis motu acrimoniam concipientes, contemperet: cæterùm hoc Liquidum, si nimiùm abundet, ac Bilem nimis tenacem reddat, facilè *Vomitorio*

(a) *Tract. de Omento, &c.* pag. 44. ad 46. *Edit. Lond.*

educitur. 7°. Meſentericus Liquor. 8°. Hepaticus Liquor ; nullum enim eſt Medicamentum quod in Hepar certiùs agat, quàm *Emeticum.* 9°. Pancreaticus Liquor. 10°. Inteſtinorum Materies ex dictis Liquidis coagmentata.

COROLL. II. Nullum promptius eſt Remedium (exceptâ Paracenteſi) in *Aſcite* ſanabili ; nihil enim ita promptè Abdominis *extravaſata* evacuat : hinc etiam Veteres, ut & Recentiores, ſemper coacti ſunt tale violentum Remedium tunc adhibere ; ſiquidem optima ſunt huic Morbo quæcunque *ſpaſmos* inducunt.

COROLL. III. Non datur præſtantius Medicamentum ad *Apoſtemata* Pulmonum, Pleuræ, Mediaſtini, Diaphragmatis, Hepatis, omniumque Viſcerum Abdominalium, ſi modò matura ſint, rumpenda (*a*).

COROLL. IV. Vomitoria valdè conferunt ad tollendas *Obſtructiones* totius Corporis, præſertim ſi adſint in Infimo Ventre ; itaque ad ſolvenda *impacta* & *ſtagnantia*, nēc non ad *vim expellentem* augendam, optima ſunt.

(*a*) Hîc tamen cauto maximè opus eſt. Confer STROTHER, *Pharmacop. Pract.* pag. 3. & 12.

COROLL. V. In innumeris ergo Morbis, tàm *acutis*, quàm *chronicis*, hæc Medicamenta prosunt.

COROLL. VI. Emetica periculosissima sunt cunctis hominibus *plethoricis* (nam sæpenumerò Apoplexiam aut Hæmoptoën in iis producunt); ut & omnibus *phthisicis*; diathesi *hæmoptoïca* laborantibus; *calculosis* omnibus; (Mictus enim Cruentus inde sequitur, ob nimiam frictionem & attritum sive Renum, sive Vesicæ, sive Hepatis in Calculum, unde quidem læduntur Vasa circumjacentia); tum omnibus qui *skirrho*, [*cancro*, vel *inflammatione* contraïndicante] laborant; nec non *apoplectisantibus* à nimia copia Sanguinis; tandem omnibus *Viscera corrupta* habentibus.

COROLL. VII In *plethoricis* & *acutis* Morbis, quoties Vomitus excitandus est, præmitti debet *Venæ-sectio.*

COROLL. VIII. Iis quibus materies aliqua *minùs mobilis* hæret in parte quadam, vel abscondita est in intimis Viscerum penetralibus, si Vomitus excitandus sit, ante *Vomitorium*, propinentur Incidentia, Lubricantia, Laxantia, & Irritantia: hôc autem ut par est observatô, quàm plurimi Morbi curari possunt.

COROLL. IX. Ventriculi *contentis*, per primum aut secundum Vomitionis actum, expressis, semper opus est *Diluentibus*, *Lubricantibus*, ac *Laxantibus*; aliter enim doloris & anxietatis multùm excitatur.

COROLL. X. Hypercatharsis in Vomitu [quæ propriè *Hyperemesis*, vel *Hyperemetos*, dicitur] semper & sedulò præcavenda est; siquidem à nullis Medicamentis faciliùs oritur, quàm à *Vomitoriis*. Quum autem subsequitur, sisti potest, 1°. Remediis *Antispasmodicis*; scilicet, Diluentibus, Laxantibus, & Anodynis sive impetum sistentibus: ut Aquâ calidâ haustâ, Succô Glycyrrhizæ, Opiô, nec non Vinculis brachiis & cruribus injectis. 2°. *Aromaticis variis*: utì sunt omnes Confectiones Alexipharmacæ; nempe, Diascordium, Theriaca, Mithridatium, omnia Philonia, &c. hæc enim motum Humorum à centro ad peripheriam determinant; nam, ope *Vomitorii*, constringuntur peripheriæ Vasa, unde quidem Liquida versùs centrum moveri coguntur. 3°. Si fiat Hypercatharsis à laxatis Vasis & flaccido Ventriculo, tunc *Austera* & *Acida* requiruntur: ut Myva Cydoniorum, satis largâ dosi, v. gr., ad lib. ſs, assumpta; nec non Radix

Tormentillæ, vel Bistortæ, Cortex Peruvianus, Mala Aurantia, &c. 4°. *Spiritus fermentati* etiam valdè prosunt, dummodò largâ satis dosi propinentur, ut ad ℥ v: si autem æger hisce assuefactus fuerit, tum dosis adhuc augenda est. (*a*)

(*a*) De *Vomitoriis*, eorumque *usu*, & *abusu*, adhuc consuli merentur complures Practici, imprimisque sequentes; nimirùm, (1) JOANN. HEURNIUS, *Method. ad Prax. Medic.* Lib. II. Cap. XXI. *integr.* pag. m. 208; (2) ANGELUS SALA, *Ternar. Hemeticor.* seu *Hemetolog.* p. m. 490. & seq. (3) VALENTIN. ANDR. MOLLENBROCCIUS, *Medull. totius Prax. Medic. Aphoristic.* Lib. II Cap. XVII. *integr.* p. m. 331; (4) THOM. WILLIS, *Pharmaceutic. Rational.* Part. I. Sect. II. *integr.*; (5) TH. SYDENHAM, pag. 56. 57. 58. 59 73. 74. 86. 121. 145. 146. 159. 160. 208. 310. 370. 447. 489. 492. 493. 496. 592. 593. 597. *Edit. in-8°. Lugd. Bat.* ann. 1726; (6) GEORG. PHILIPP. NENTER, *Fundament. Medicin. Theoretico-Practic.* Tom. I. Tab. IV. pag. 254. & seq.; (7) MICH. ALBERTI, *Introduct. in Prax. Medic.* seu *Therap. Medic.* &c. Sect. II. Cap. I. *integr.* pag. 27; (8) JOANN. JUNCKER, *Conspect. Therap. General.* Tab. II. *integr.* pag. 21. & seq. (9) FRIDER. HOFFMANNUS, *Medicin. Rational. Systematic.* Tom. III. Sect. II. Cap. V. §. 2. *integr.* pag. m. 478. & seq. (10) ADR. HELVETIUS, *Traité des Maladies*, &c. Tom. I. pag. m. 247. & sequent.; (11) EDUARD. STROTHER, *Pharmacop. Practic.* Cap. I. *integr.*; denique (12) clariss. AUCTOR

noster, *Institut. Med.c.* §. 1202. ad 1208; item *Aphorism de cognojc. & curand. Morb.* § 605. N. 10. § 634. 659. 759. 1026. 1237. N. 3 §. 1244. 1245. 1246. 1489; & *Mater. Medic.* pag. 116. 117. 122. 131. 132, 176. 208. 209. 256. *Edit. Lugd. Batav.*

CAPUT XI.

De Diureticis.

1. URinæ *excretio* semper fit per Urethram, in quam ex Vesica fluit: ex Ureteribus autem in Vesicam stillat, nullaque in hanc alia datur via; quod quidem patet, 1°. Quoniam *dysuriâ* laborantes, ob calculum Ureteribus impactum, nullam prorsùs Urinam in Vesica observantur habere: 2°. Quia si vivo animali, apertô Abdomine, uterque Ureter vinculô ligetur, deinde Vesica emulgeatur, & Abdomen consuatur, tunc animal, ex Urinæ *suppressione*, certissimè posteà morietur, ne guttulâ quidem unâ ad Vesicam deveniente. Porrò quicquid, per Ureteres, in Vesicam ingreditur, id fluit ex Pelvi, quæ nihil aliud est quàm Ureterum expansio; jam verò in Pelvim venit ex Papillarum Ramis, qui ab innumeris Ca-

nalibus Renalibus oriuntur, ut MALPIGHIUS & RUYSCHIUS demonstraverunt: omnes autem isti Canales, exiguarum Glandularum Renalium Emissaria sunt; & quicquid urinosi in his hæret, id omne ex Arteriarum Emulgentium Ramis derivatur.

2. Ex dictis ergo patet, *Diuretica* sola esse Remedia, (manente viâ extra Corpus apertâ) quæ copiam secernendi Liquidi in hisce Glandulis *augent*: hoc verò quinque modis fieri potest, & consequenter *Diuretica* quintuplicia dantur; nempe, (1) *Diuretica* sunt ea, quorum ope Vasa arteriosa Renalia, & eorum lateralia, *laxantur*, licèt integra & intacta maneat Sanguinis constitutio. (2) *Diureticum* est, quicquid *solvit*, sive *diluit*, plùs solitô; porrò Sanguis *solvi* dicitur, quando partes ejus sphæricæ in minores rediguntur: Sanguine autem ita constitutô, facilè secretio hæc augetur *laxatis* Vasis Renalibus; imò Vasa ista semper aliis *laxiora* sunt, i. e., minorem resistentiam influenti Liquido præbent, quàm alia quælibet Vasa in Corpore nostro; utpotè quæ in patulam Pelvim hiant. (3) *Diuretica* sunt, 1°. Quæcunque Sanguinem, eundem manentem, ad Vasa, eadem quòque ma-

nentia, *majori* velocitate applicant: 2°. Quæcunque Sanguinem *dilutum* & *solutum*, ad Vasa laxata & dilatata, *majori* velocitate, applicant. Sunt igitur Medicamenta secundi generis suprà dicti, duplici nomine *Diuretica*; illa vero tertii generis, triplici nomine. (4) *Diuretica* sunt, quæ *fluxum* Sanguinis ad Renes magis quàm ad alias Corporis partes determinant, nihil mutatô in Vasis, nec in Liquidis, nec in Velocitate Motûs. (5) *Diuretica* tandem sunt illa, quæ Vasa in contractiones secretorias *stimulant*.

3. Ad has igitur *quinque* Classes reduci possunt *Diuretica*. Priusquàm verò de his sigillatim agamus, considerand a est ipsa *Urina*: quæ quidem constat, 1°. Ex Potulentis; & hæc pars *aquosa* est: 2°. Ex partibus quibusdam Chyli; hæc verò *cruda* est: 3°. Ex aqua Sanguinis; hæc autem est *cocta*: 4°. Ex partibus Solidorum nostri Corporis, per vim vitæ, abrasorum & attritorum, nec non Fluidorum, diuturnâ circulatione, eò usque solutorum ut acria fiant; & hæc est ordinariò *rubra*, *pauca*, *oleosa*, *acris*, & *terrestris*: 5°. Ex partibus Morbosis; hæc verò *crassa* & *varia* omnimodè excernitur. Pro diversâ igitur hâc Urinâ, *Diuretica* quòque variari debent.

4. Jam ſequuntur *Diureticorum* Claſſes; quæ verò ſunt quinque.

I. Claſſis continet omnia *Decocta*, *Emulſiones*, & *Olea*, quæ, tum ex Vegetabilibus, tum ex Animalibus, ſub titulo *Laxantium* & *Emollientium*, ſuperiùs recenſita ſunt; ut Decocta Parietariæ, Malvæ, Mercurialis; Olea Amygdalarum dulcium, Olivarum, Nucum Juglandium, aliaque ſimilia; Terebinthina, &c. Verùm iſta cum regimine adminiſtranda ſunt, ut ad Renes determinentur: ideòque 1°. Sumi debent *vacuô* Ventriculô, aëre *frigidiuſculô*, motu *leni* ſubſequente: 2°. Injicienda ſunt formâ *clyſmatis*, ut partes illas foveant & emolliant; hæc autem ſic adminiſtrata, quandoque, cæteris Remediis fruſtrà tentatis, mirificè proſunt: 3°. Renibus etiam applicari debent formâ *balnei*, & *fomenti*; ſiquidem experientia docet, homines balneis Pectore tenùs inditos copioſam Urinam reddere. Cæterùm uſus *Diureticorum* hujuſce Claſſis tantus eſt, ut iis primus detur locus; quippe ſi obſtructio adſit, hæc illam non augent, ut Stimulantia; ſed, Vaſa laxando, eam tollunt. Ad hanc etiam Claſſem pertinent illa quæ *Acre*, quod *ſpaſmos* excitat, corrigunt, aut expel-

l unt,

ſunt, qualecunque ſit iſtud Acre; ſic Infantibus, ſuppreſſione Urinæ ab aceſcente Lacte laborantibus, Terreſtria, ut & Alcalia fixa, ac volatilia, plurimùm proſunt, nec non Hyſtericis.

II. Claſſis complectitur ea omnia quæ Sanguinem *ſolvunt* & *diluunt*. Porrò unicum duntaxat novimus *Diluens*, nimirùm, Aquam; cætera quippe quæ diluunt, id faciunt quatenùs Aquam admixtam habent. *Solventia* verò duplicia ſunt; ſcilicet, vel ea quæ Liquido Sanguineo ingeſta, *moleculas* ejus diſſolvunt & dividunt, ſeſe interponendo; vel ea quæ, motum majorem excitando, Vaſorum *attritum* augent, atque ſic *comminutionem* Sanguinis promovent, ideòque ſunt vel Salina findentia & penetrantia, vel Stimulantia. Ad hanc ergo Claſſem ſpectant, 1°. *Aquoſa*; ut ſunt omnes Aquæ Minerales, Serum Lactis, Lac ebutyratum, Infuſiones Theæ & Caffé, Cereviſia tenuis, &c. quæ quidem omnia huc referuntur quatenùs Aquam continent. 2°. *Salina* cuncta nobis nota, nullô exceptô; ut (1) Sales quicunque Alcalini fixi, & volatiles: (2) Sales omnes Ammoniaci, qui ex Spiritu acido volatili & Sale alcalino volatili concreverunt: (3) Sales Compoſiti fixi,

ex Alcalino fixo quocunque cum Acido quovis (exceptô Vegetabili fermentatô) parati; qui verò quò ſubtiliores & acriores extant, eò meliores ſunt: (4) Saponacea, ex Alcalinis cum Oleo quolibet facta. Huc autem pertinent omnes Sales Volatiles Oleoſi: talis eſt *Offa* HELMONTIANA, quæ quidem à gran. vj ad ℈j dari ſolet; [hæc verò conſtat ex Sale quocunque Alcalino Volatili non oleoſo, v. gr., ex Spiritu Alcalino Salis Ammoniaci meraciſſimo, cui ſuperaffunditur, in Vaſe vitreo cylindrico, æqualis ferè copia Alcoholis Vini puriſſimi; quô factô, eâ parte quâ ſuperficies horum Liquorum ſe contingunt, mox fit coagulum; tunc autem ſi concutias, illicò, in formam glebæ, coagulantur (*a*) ambo Spiritus:] atque ſic talis Sal Oleoſus brevî obtinetur; ad quem verò præparandum STARKEYANA methodô, [ſcilicet affundendo Oleum Terebinthinæ æthereum Sali cuidam fixo Alcalino fortiſſimo puriſſimoque, & ad ſummum ignem fuſo

(*a*) Confer HELMONT. *Tract. de Lithiaſi*, Cap. 3. Sect. 5. item & BOERHAAVE, *Element. Chemiæ*, Tom. II. Proceſſ. CXXII. pag. m. 234.

atque liquefacto, &c. ut fiat (*a*) *Sapo* STARKEYANUS vocatus,] menſes aliquot requiruntur : Huc etiam ſpectant Sapones *fixi* dicti ; qualis conficitur ex Sale Tartari cum Oleo Olivarum aut Terebinthinæ diu cocto : (5) Animalium Salinæ partes ; ut eorum Succi Salini, v. gr., Succus recens Oſtreorum marinorum, Succus ex Mytulis marinis & Cancris expreſſus, atque Succus Millepedum, qui Borraginis ſaporem refert: (6) Succi Vegetabiles earum Plantarum è quibus parùm Olei, ſed multùm Salis Eſſentialis, ope Chemiæ educitur ; ut eſt Opium, quod verò, ea de cauſa, inter Diuretica numeratur ; ita & Succi Petroſelini, Acetoſæ, Fumariæ, Chærefolii, Eryngii, &c. quorum Sàles alii ad Tartarum, alii ad Nitrum, magis accedunt.

III. Claſſis includitr quatuor diverſa Medicamentorum genera ; qualia ſunt, 1°. *Acria* omnia quæ Vaſa, imprimiſque Renalia, *ſtimulant* : inter hæc autem præcipuum locum obtinent Inſecta quædam ; ut Apes, Cicadæ, Formicæ, Cantharides, Millepedes ; quæ verò Sangui-

(*a*) Vide STARKEY, *Pyrotechn.* atque BOERHAAVE, *ubi ſuprà*, Proceſſ. LXXIV. pag. 163 & 164.

nem etiam solvunt, ejusque motum accelerant, & febrem quasi artificialem excitant. 2°. *Salina* cuncta quæ Sanguinem *solvunt*, simul & *velocitatem* ejus adaugent. Huc porrò maximè pertinet unum & alterum *Salis* genus, quale novimus ex *Succino*, & Vegetabilibus, elicitum; *Sal* autem *Succini* est species Salis Volatilis Acidi rectificati, & antecellit omnes alios, si detur ad ℈ j. cum regimine. 3°. *Sales* omnes *Alcalini fixi*, & *volatiles*, sine discrimine. 4°. *Calor* & *Motus* Corporis moderatus, absque sudore.

IV. Classis continet *Diuretica* nonnulla quasi *specifica*: talia verò sunt Aromatica quædam balsamica, h. e., Sale subtili cum Oleo involvente constantia; ut Crocus, Rhabarbarum, Asparagus; Cassia fistula recens, Nux Moschata, Juniperus, Terebinthina, Balsama nativa omnia, &c. hæc enim assumpta Urinæ copiam adaugent, quin & hujus qualitates omnes, ut colorem, odorem, & saporem immutant; ita quippe *Crocus* & *Rhabarbarum* ipsi colorem flammeum inducunt; *Cassia*, in parva dosi sumpta, viridem ei dat colorem, in majori copia, fuscum, & in majori adhuc, atrum; sic etiam *Asparagus* Urinæ fœ-

forem tribuit; *Terebinthina* verò violaceum ipsi conciliat odorem (*a*). Cæterùm ejusmodi mutationes reliquis Liquidis nostris nunquam accidunt; unde est quòd hæc Diuretica *specifica* vocare soleamus.

V. Classis complectitur ea, quorum effectus circa *Renes* & *Vesicam* præcipuè & magis sensibiliter se produnt; utì sunt Cantharides, à quibus assumptis calor in Lumbis oritur, nec non urinæ stillicidium, sive stranguria. Huc etiam referenda sunt Insecta superiùs memorata; ut & Cerevisia in non assuetis; sic etiam Lac acescens aut vappescens stranguriam excitat. Tandem omnia Diuretica acria & solventia huc pertinent.

COROLLARIA Practica.

COROLL. I. Quali describuntur ordine, tali præscribi debent, ad Urinam ciendam, *Diuretica*; h. e., semper à prima Classe incipiendum est, deinde verò ad reliquas successivè progredi oportet.

(*a*) Ita quòque *Balsamum Copayba* Urinam sapore manifestè amarô imbuit, teste FULLERO, *Pharmacop. Extempor. Reform.* de *Mist. Balsam.* pag. m. 233.

COROLL. II. In Morbis *Acutis* locus est tantummodò *tribus* harum Classium; nempe, Laxantibus, Diluentibus, & Acre temperantibus.

COROLL. III. In Morbis *Chronicis*, si per Renes materies morbosa expellenda sit, primò vasa laxanda sunt, dein solvendus & diluendus est Sanguis, tum danda sunt Accelerantia, tandemque Stimulantia.

COROLL. IV. Hâc viâ magis *expurgatur* Sanguis, quàm omni per Alvum evacuatione; siquidem *Diuretica* in ipsum Sanguinem agunt, non autem *Purgantia* quæcunque; idcircò per illa Remedia, in Morbis violentis, Medicus qui ad singula ut par est attendit, *crisin* salutarem sæpenumerò procurare potest, absque notabili Corporis perturbatione. Prætereà Renes sunt optimum *depuratorium* Sanguinis; quoniam crassiores hujusce Liquidi partes per eos transire possunt.

COROLL. V. Diversæ dantur Urinæ *interceptæ* species, & quidem tot, quot sunt enumeratæ *Diureticorum* Classes; unde sequitur diversas etiam esse debere medendi Methodos. Jam verò variæ sunt Urinæ *interceptæ* Causæ; scilicet, 1°. Constrictio Viarum Urinaria-

rum : 2°. Obſtructio earumdem à Calculo, aut ab alia quadam materie : 3°. Siccitas illarum nimia, Liquidique defectus ; qui verò vel ab acrimonia oritur, ut in Morbis acutis ; vel à nimia Fluidorum craſſitie eorumque lentore, ut in ſedentariis hominibus, accidit ; vel tandem ex eo quòd Liquida in alias partes nimis deriventur : 4°. Denique partium Renalium Paralyſis ; hæc autem curationem vix admittit.



CAPUT XII.

De Sudoriferis.

1. SUdoriferum (Græcis Ἱδρωτικὸν dictum) vocatur illud omne *Medicamentum, cujus vi mador sensibilis per Cutim exhalat*, & consequenter quicquid per eam Cutis partem quæ Fistulis *Sudori* dicatis donatur, Liquida *sensibiliter* expellit. Hæ porrò Fistulæ sunt vel Emissaria Glandularum Subcutanearum, vel minima Vasa ex Arteriis Lymphaticis exorta, vel earum ultimi fines.

2. Inde igitur patet, materiem *Sudoris* ab Arterioso Sanguine derivari, non autem excrementitium Humorem esse, (ut vulgò putatur) sed Liquorem omninò necessarium ad flexilitatem nostræ Machinæ conservandam: ut enim Corpus flexile maneat, plurima debent esse inter partes illud componentes interstitia, *Pori* vocata; ne verò Pori isti, concretione partium Solidarum, evanescerent, unde Corpus inflexibile evaderet, Naturæ Author *Liquidum* SANCTORIANUM dictum, perpetuò per hosce

Poros

Poros effluere constituit: hoc autem Liquidum est ipsa *Sudoris* materies, atque pars mobilissima, subtilissima, & Nervis amicissima, quamdiù in statu naturali versatur; nec magis è Corpore debet educi quàm ipse Sanguis, nisi ab alicujus Morbi natura corrumpatur: & quidem ipse Sudor nunquam in statu sano Corpori suboritur; verùm simul ac applicatur Corpori aliqua causa, quæ inter Vasa & Fluida contenta æquilibrium tollit, ita ut vis Liquidorum resistentiam Vasorum exsuperet, simul & Functio quædam nimis augeatur, tum demùm Sudor se manifestat. *Sudor* igitur semper indicat Corpus *ægrotare*; & hoc ægrotare perseverabit, donec causa Sudorem excitans dimoveatur, ejusque corrigantur effectus.

3. *Sudoris* itaque materies, quæ quidem in statu naturali sub nomine *Perspirationis Insensibilis* exit, est valdè blanda, & summoperè ab Urina differt: *Sudor* verò *sensibilis*, si multùm urgeatur, ad Urinæ naturam propè accedit; quandoque crassus, oleosus, & fœtidus est, imò nonnunquam ferè sanguineus evadit; ut in Bajulis nonnullis videre est, quorum Sudor axillaris linteamina, Sanguinis ad instar, aliquando inficit.

4. *Sudor* autem, non secùs ac *Diuresis*, quinque modis promovetur; nempe, 1°. Emissaria *laxando*, omnibus Liquidis iisdem manentibus. 2°. Sanguinem *diluendo* & *solvendo*: Jam verò Sanguis *dilutus* dicitur, quum ejus pars subtilior & tenuior partem rubram excedit; *solutusque* vocatur, quando moleculæ rubræ resolvuntur in istas sex minores ex quibus constant, [ut alibi * dictum est.] 3°. Applicando (α) Sanguinem eundem manentem, ad Emissaria eadem quòque manentia, *majori* velocitate: (β) Sanguinem solutum & dilutum, ad laxata Emissaria, *acceleratâ* velocitate; quo in casu Sudor ingens suboritur. 4°. Sanguinem ad *extrema* Corporis determinando: unde quicquid mutat cursum Sanguinis ab interioribus versùs exteriora, Sudorem, derivando, excitabit; ut Animi Pathemata. 5°. *Spasmos* in *villis* ultimis Glandularum Subcutanearum excitando.

5. *Sudorifera* variari debent, pro diversa materiæ evacuandæ natura. *Sudor* enim est multiplex; & fit, 1°. Ex *aquosa* Potulentorum parte: 2°. Ex *crudo* Chylo; hinc etiam omnibus iis qui de-

* *Prolegom. Cap.* V. § I. pag. 37.

bilia habent Viſcera, eo tempore quo Chylus miſceri debet cum Sanguine, Sudor prorumpere ſolet; ut in Phthiſicis, & nonnunquam in Puerperis lactantibus, obſervatur: 3°. Ex Sanguine *cocto*; maximè verò in *obeſis* hominibus, quibus in dies imminuitur Inſenſibilis Perſpiratio, propter pinguedinem Vaſa obſtipantem; verùm iidem etiam in dies plùs ſudant. 4°. Ex Sanguine nimis *diſſoluto*, & Vaſis nimiùm *contritis*, producitur *Sudor* rubeſcens, pinguis, acer, terreſtris, & ſalinus, adeò ut ipſi Cuti quaſi infixus adhæreat. TACHENIUS accepit Lixivium illud in quo ſordida Induſia fuerant macerata & lota; tum hoc Lixivium (ex Sale alcalino ſolo conſtans) diſtillavit, indeque Salem habuit Sali Urinæ diſtillatæ ſimilem, [non tamen ita fœtentem] (*a*). Sic etiam in Equorum Sudore deterſo maxima copia Salis Volatilis invenitur (*b*). Hic autem Sudor plerùmque erumpit, ubi Sanguis violenter admodùm per Vaſa ſua movetur; ideòque in iis qui multùm defatigantur obſervari poteſt. 5°. *Sudor* eſt aliquando *morboſus*; & hic maximè va-

(*a*) Vide TACHEN. *Hippocr. Chym.* Cap. 12, pag. m. 54.

(*b*) IDEM, *ibid.* pag. 55.

rius eſt: interdùm enim planè aquoſus exiſtit, ut in Puerperis & Phthiſicis, in quorum Sudore vix odor, color, aut ſapor obſervantur; adeò ut videatur eſſe pars Sanguinis dilutiſſima: nonnunquam autem eſt viſcoſiſſimus, flaviſſimus, ruber: quandoque verò maximè fœtet; qualis eſt Sudor Peſte laborantium, qui ægros à morbo liberat.

6. Jam ſequuntur *Sudoriferorum* Claſſes; quæ verò ſunt quatuor.

I. Claſſis continet ea omnia quæ Vaſa *laxant*; ſuntque vel interna, vel externa. Porrò *interna Sudorifera Laxantia* ſunt omnia illa quæ memorantur inter *Diuretica*, iis exceptis quæ ſpecificè Renibus famulantur; ſic Aqua calida, Melle edulcorata, Sudorem copioſum excitat; ita quòque, in Febribus ardentibus, Decoctum Hordei, vel ſimile quid, egregium eſt Sudoriferum, quia Vaſa conſtricta relaxat. Huc pertinent etiam *ſpaſmum* Vaſorum *tollentia*, ſive Demulcentia & acrimoniam temperantia; ſicut Opium, Oculi Cancrorum, & Abſorbentia terreſtria. Jam verò *externa Laxantia* ſunt, 1°. Frictiones omnes. 2°. Vapores quicunque tepidi, & imprimis aquoſi. Huc etiam pertinent Balnea; verùm iſta Corpus nimis pre-

munt, unde sæpè suboritur animi deliquium. Huc referri quòque debent Inunctiones per olea blanda, pinguedines, medullas, &c. quæ Cutim laxam & mollem efficiunt: licèt per se Sudorem potiùs sistant; quemadmodùm patet ex antiquis Athletis, qui ante certamen oleô Corpus suum inungebant, scilicet ut Artus mobiles redderent; Sudor enim hoc pacto prohibitus erat. Huc denique spectat Corporis Lotio per aquam saponaceam.

Cæterùm usus horum *Sudoriferorum* convenit, 1°. In omni Morbo oriundo ex maximo *frigore*; quod quidem externam Cutim & Pulmones maximè lædit, eorum Vasa rigida reddens, & Fluida coagulans. 2°. In Morbo quolibet ubi *sordes*, *crustæ ulcerosæ*, aut *morbosæ* quævis, *scabies*, *ulcera*, *elephantiasis* vel *lepra* Cuti adhærent. 3°. Ubi Emissariorum *spasmus* adest; qui verò cognosci potest ex siccitate & duritie Cutis. 4°. Quotiescunque ab *Acri* quodam *externè* impacto Morbus accidit; ideòque cùm Pestis sit de natura Veneni externè applicati, ad eam profligandam hæc *Sudorifera* plurimùm conferunt. 5°. In Morbis *acutissimis*, ubi ad *interna* Viscera ve-

hementer tendit Sanguis, ut in Variolis; in quibus autem SYDENHAM provocationem Sudoris per *Cardiaca* & *Sudorifera* fortiora meritò damnat (*a*): verùm hâc primâ *Sudoriferorum* Classe feliciter tunc utuntur Medici, [ut & ipse clariss. AUCTOR noster (*b*);] quin etiam dubitari potest, an non Sudoris provocatio *Sudoriferis* hisce tentata, plurimùm valeret in Morbis Inflammatoriis quibuscunque curandis.

II. Classis complectitur *dissolventia* & *diluentia* Sanguinem, quæ recensentur in secunda *Diureticorum* Classe: porrò summum Diluens est *Aqua*, cujus facultas augetur per calorem; hinc Aqua calida maximum est Sudoriferum. Nonnulla autem *Solventia* dantur quæ Liquida immediatè solvunt; horumque unicum duntaxat in Acutis tutum est, scilicet, *Nitrum*, ejusque præparata: alia verò disponunt Vasa ut in Liquidum agant, idemque dissolvant; sic *Acetum*,

(*a*) Præsertim. *pag.* 139. 144. 145. 148. 149. 355. 363. 364. 590. & 591. *Edit. Lugd. Batav. ann.* 1726.

(*b*) Confer BOERHAAVE, *Aphorism.* §. 1399. N. 3. & §. 1402. nec non *Mater. Medic.* pag. m. 240, & 241.

Melle edulcoratum & in Aqua dilutum, optimum est *Sudoriferum* in Acutis: ex gr.

℞. *Aceti*,
Mellis ana ℥ j;
Macis q. s.

Diluantur in *Aquæ* ℥ xjj, vel xjv. Sumat æger, instar Theæ aut Caffè, & in Lecto Sudorem expectet.

Hoc est remedium HIPPOCRATICUM. Acetum autem simplex, modicè sumptum, non coagulat Sanguinem, nec ulla Acida fermentata diluta (*a*).

III. Classis cum tertia *Diureticorum* congruit, exceptis tantùm iis quæ Liquida determinant ad Renes: ideò quæcunque *fervida* assumpta, ut & *Aromatica calida*, *Opiata*, nec non *Motûs vehemens*, hîc maximè Sudorifera sunt.

IV. Classis includit ea quæ Liquores ad *exteriorem* Corporis *habitum* determinant; utì sunt, 1°. Omnia quæ *externa* laxant. 2°. Quæ diluunt, solvunt, & versùs *externa* movent. 3°. Quæ *pressionem* Aëris *externam* minuunt. 4°. Quæ *vim* Cordis, sive hujus *ictus* quoad numerum & robur, adaugent: hinc igitur omnia

(*a*) Vide suprà *Prolegom.* Cap. IX. pag. 104. ut & *Part.* II. *Cap.* VII. pag. 207.

Cardiaca ſunt Sudorifera ; ut Vinum Rhenanum, Succus Citri recens, Aromata penetrantia, Sales Volatiles, &c. 5°. Quæ *externè* ſtimulant ; ut *Acria* quæcunque Cuti applicata : qualia ſunt Acetum, & Zingiber, quod quidem ſubtile & penetrantiſſimum eſt, multùmque laudatur ab Helmontio (*a*). 6°. Denique poſſunt his accenſeri ea quæ *Motum impeditum* in *internis* reſtituunt ; ſic, ex. gr., Reſpirationem impeditam reſtituunt Animi Pathemata.

Cæterùm, quæ de *Sudoriferis Specificis* prædicantur, ea pro nugis habenda ſunt ; hæc enim omnia tum demùm Sudorifera evadunt, quando Corpus ad Sudorem diſpoſitum eſt, alioquin nihil præſtant : ita quippe Theriaca, licèt ad ℥ j ſumatur, niſi Corpus ad Sudorem diſpoſitum ſit, exſiccabit ſolummodò, Sudorem verò non ciebit : neque quidem ullum unquam Medicamentum Sudores *ſpecificè* movet ; ſed ea quæ iſtud præſtare putantur, hoc agunt ſolummodò, vel 1°. quatenùs materiam ad Sudorem ſuppeditant ; aut 2°. quatenùs impedimentum Sudoris auferunt ; vel

(*a*) In Tract. cui titulus eſt, Tartarus non in Potu, *Sect.* 9.

3°. quatenùs ad Corporis peripheriam Sanguinem determinant. Cæterùm, inter hæc *Specifica* ab AUCTORIBUS recensentur nonnulla; qualia sunt, *Terra Sigillata*, Folia *Scordii*, *Asclepiadis*, &c. nec non *Lapis Bezoar*, *Pedra del Porco*(a), & *Lapis de Goa*, qui ex Lapide Bezoar, Ambra, & Tragacantha constat (*b*); deinde *Trochisci de Viperis*, &c. AUC-

(*a*) *Lapidum* horum historiam, omnium optimè descriptam, vide sis apud ENGELBERT. KÆMPFER, *Amœnitat. Exotic.* Fascic. II. Sect. 3. pag. 391. ad 406. Quod verò pertinet ad *Lapidem Hystricis* Malacensem, sive *Pedra del Porco*, de eo jam superiùs, (PART. II CAP. IV. *pag.* 194. *& seq.*) satis fusè egimus.

(b) *Lapis* iste vocatur à Lusitanis *Pedra Cordial*, & conficitur *Goæ* in Indiis à RR. PP. SOCIET. JESU, ex Speciebus Cordialibus & Alexitericis, quas & Lapis Bezoar ingreditur. Confectus est primò à R. P. GASP. ANTONIO, unde quòque nomen sumpsit; dein à R. P. NICOL. MANUCHE, quem à priori dignoscimus literis N. M. in superficie impressis, & in opposito latere signô Capræ, vel aliûs quadrupedis. *Figura* ejus ovata, vel rotunda est. *Color* intùs cinereus; extùs nigricans, splendens, aureisque maculis distinctus, & nonnunquam totus deauratus. *Usus* frequens est & probatissimus inter Europæos Orientis. Venditur ad libram; & inde, pro varia magnitudine, pretium variat. Confer KÆMPFER, *ibidem*, pag. 397.

TOR verò testatur, se Lapidem Bezoar genuinum aliquando ad ʒj usque dedisse Infanti bienni, ad Sudores satis disposito, absque ullo tamen effectu; sic etiam à Trochiscis Viperarum ad ʒjjj exhibitis nullus commotus erat Sudor, eodem testante.

[Post enumeratas *Sudoriferorum* Classes, hæc adjicienda sunt *de Sudoriferis in genere THEOREMATA.*]

THEOR. I. Variæ & prorsùs oppositæ *Sudoris causæ* dantur; ut Tristitia & Lætitia summa, Metus & Spes, Aqua calida & frigida.

THEOR. II. Sudoris etiam *effectus* diversi sunt ac planè oppositi; Sudor enim aliquando Sanguinem dissolvit, quandoque verò illum incrassat, scilicet pro conditione subjecti ex quo elicitur: itaque de Sudoris *effectu* nihil universaliter dici potest.

THEOR. III. Sudoriferorum maxima *vis* consistit in *resolutione* quoad Liquida, & *deobstructione* quoad Vasa. Jam verò Liquida resolvuntur vel diluendo, vel dividendo; ubicunque igitur solvendum est, ibi *Sudorifera* requiruntur. Vis autem deobstruens *Sudoriferorum* in eo consistit, quòd hæc Medicamenta vel Vasa laxent, vel contenta dissolvant.

THEOR. IV. Sudoriferis in ſe conſideratis magna ineſt vis *coagulandi*, & *obſtruendi*: unde quidem fit ut illud quod remanet, craſſum, coagulatum, & nonnunquam lapidis inſtar durum evadat, nullâ dein arte reſolvendum; & hinc eſt quòd nulli Inflammatorii Morbi magis in Gangrænam abeant, quàm ii qui à violento exercitio oriuntur.

THEOR. V. Sudorifera dum *incraſſant*, ſimul etiam *obſtruunt*; dumque Liquidum conſumunt, Vaſa ſeſe contrahunt & coarctantur, eorumque Fibræ rigeſcunt.

THEOR. VI. Medicamenta ferè omnia in *Sudorifera* converti poſſunt: ita quippe ſi *Purgans* adminiſtretur, & homo ſtatim ad Sudorem diſponatur, egregia Sudoris orietur expulſio; & quò fortius Purgans fuerit, eò copioſior erit Sudatio: in Morbis autem Chronicis, Artis arcanum eſt *Sudoriferis* addere *Purgantia*, ut Trochiſcos Alhandal, &c. Par eſt etiam ratio *Emeticorum*, & *Diureticorum*, ſi ad Cutim determinentur.

Jam verò ex iis quæ de *Sudoriferis* huc uſque dicta ſunt, ſequentia inferuntur *COROLLARIA Practica.*

COROLL. I. Ad *Sudorem* eliciendum *applicationes* variæ fiunt; nam aliquando

totius Corporis lotione, interdum ejusdem calefactione, frictione, motu valido, nonnunquam diversorum remediorum internorum administratione, procuratur.

COROLL. II. Variæ sunt *Sudoris* eliciendi *necessitates*: sic, ex. gr., in Hydrope Anasarca stimulandum est, atque tardum & hærens expellendum; detur itaque, quolibet mane & vespere, sequens præscriptum:

℞. *Theriac.* ʒjj;
Spir. Juniperi ℥ j ß;
Oxymel. Scillit. ℥ jj.

Diluantur in *Vini*, vel *Cerevisiæ meracæ*, vel *Hydromelitis* ℥ jx, aut x. Sumat æger, & disponat Corpus ad Sudorem.

Idem fit cum successu in aliis Morbis *chronicis*, ut in Cachexia Virginea: sic etiam in Lepra, quoniam nutrimentum omne sistitur, ideò requiritur Sudoris procuratio; non autem per Aromatica quæ Corpus internè calefaciant, sed ita ut externè omnia caleant, internè verò abluantur omnia: dentur ergo tunc Pilulæ ex *Sapone Veneto*, singulis horis, adeò ut uno die ʒ jj adhibeantur; dein post usum earum, per tres dies, potest æger Decoctum aliquod Antiscorbuticum, v. gr., ex *Guajaco*, bibere; tum

lecto calido se immittat, ad Sudorem movendum. Porrò si resolvendum sit aliquid circa prima Vasa, ut in Morbis Pectoris, ac aliis *acutis*, & causa mali oriatur ex *alcali*, detur Potus copiosus ex *Melle*, *Aceto*, aut *Vino Rhenano*, cum Aqua; simul & externè *laxetur* Cutis: in medio autem Sudore potest dari Decoctum cum *Nitro*. Cæterùm, si causa mali sit ex *acido*, dentur *alcalina*; & sic administrentur semper ea quæ causæ Morbi sunt opposita.

COROLL. III. Diversæ sunt *Sudorem* movendi *opportunitates* sive *occasiones*; quibusdam enim temporibus Sudor multò promptiùs & feliciùs succedit, quàm aliis: horum autem temporum cognitio ab observationibus Medicorum omninò pendet; sic in Variolis, à primo die usque ad octavum, elicitur Sudor, & hoc tempus ad Sudorem satis opportunum videtur; atque curari potest æger Sudore continuo, cum hoc tamen regimine, ut semper Humores copiosè diluantur, & Vasa laxentur: Calida enim Exsiccantia minimè tunc adhiberi debent, utpotè valdè perniciosa. Porrò in Morbis Acutis, plurimi Medici, cum vulgo, *Sudorifera* dari volunt; quoniam observant, Naturam 14 die semet per Sudores sæpè

exonerare; indeque in pessimam hanc praxin administrandi Calida & Exsiccantia incidunt, sed hâc methodô plurimos interficiunt. Verùm si, Sudoriferis omnibus calidis ablegatis, ea solummodò propinarent Sudorifera quæ Sanguinem *diluunt* ac Vasa *laxant*, tunc ægri commodissimè inde sudarent, crisisque laudabilis 7, vel 14 die fieret: sic enim in *Sudore Anglico*, plurimi ope Sudoris, per interna Diluentia & externa Laxantia, ad 24 horas continuati, curabantur; cùm è contrario omnes ii quibus Diluentia interna non fuerant administrata, morerentur.

COROLL. IV. Pro varia Morbi *causa*, varianda sunt *Sudorifera*: sic, in Morbis ex *alcali*, supponamus, v. gr., juvenem, æstivo tempore, Febre ardentissimâ corripi; ad quam verò profligandam remedium velocissimum requiritur, nempe, *Sudoriferum*; tunc ergo, priusquàm istud propinetur, indaganda est hujus Morbi causa; hæc autem quùm sit siccitas nimia, & inflammatio, manifestum est, in hocce casu, requiri *Diluentia*, simul & *Stimulantia*, propter defectum Virium, & Obstructionem; quæ quidem ambo *stimulum* indicant. Itaque, quò *Diluentia* meliùs agant, detur Medicamen-

tum liquidum, cujus basis sit aliquod *Acidum dissolvens*; &, pro *stimulo*, adjiciatur Vinum Rhenanum, largâ Aquæ copiâ dilutum; dein accedat vis *antiphlogistica*, ope Nitri: ex. gr.

℞. *Vini Rhen.* ℥ vjjj
Nitri ʒ jj;
Succ. Limon. recent. expressi ℥ j;
Syrup. Violar. q. s. vel ad ℥ jj.

Diluantur hæc cum *Aquæ communis* libr. jv.

Singulis horis capiat æger ℥ jj calidè, cum determinatione ad Sudorem: si verò leviter tantùm sudet, plùs *Vini* addatur; si nimis, plùs *Aquæ*.

Verùm si causa Morbi sit ex *acido*, tunc, locô Vini Rhenani, sumendus est alius Liquor, ut Sal Volatilis Oleosus; si verò causa sit *tenax*, addantur Salia solventia.

COROLL. V. Pro diversa Morbi *natura*, varianda sunt etiam *Sudorifera*. Porrò natura Morbi pendet (α) ex materia peccante; (β) ex causa efficiente sive applicante, h. e., vi vitali: sic igitur, si materia sit tenax, dentur valida *Solventia*, ut Alcalina; si autem sit de indole Luïs Venereæ, tunc optimum Remedium est *Mercurius* ad Sudores determinatus.

COROLL. VI. Pro varia Morbi *ſede*, variari debent *Sudorifera.*

COROLL. VII. In diverſis Morbi *gradibus*, varia requiruntur *Sudorifera*: ſic, initiô Variolarum, Sudoriferum inflammationi reſiſtens requiritur; die autem 14, ut plurimùm, indicantur Saponacea, & Decocta Aromatica ſiccantia.

CAPUT XIII.

De Diaphoreticis.

1. D*Iaphoretica* ſunt Medicamenta; *quæ materiem morboſam, ſub ſpecie Perſpirabilis* SANCTORIANI, *è Corpore amandant*, ſive potiùs omnia illa *quæ Perſpirationem* SANCTORIANAM *augent*. Horum itaque naturam quò meliùs intelligamus, conſiderandum eſt quot modis, aut quibus à cauſis, *augeatur* Perſpiratio.

2. Cauſæ igitur Perſpirationis *auctæ* ſunt ſequentes: 1°. Viſcerum vis *aucta*; quæ quidem Liquida noſtra in minutias dirimit. 2°. Illa omnia quæ Liquida, modô dictô ſoluta, ad partes *externas* determinant: per partes autem *externas* intelligimus

telligimus omnes illas quæ ab Aëre pos-
sunt attingi; quales sunt Cutis, Os, Pulmones. 3°. Quæ Cutim externam ita disponunt, ut Liquida sub forma *insensibili*, eaque *promptè*, transmittat, non verò sub forma crassa & sensibili; quod quidem ut fiat, Cutis neque nimis laxa, neque nimis stricta debet esse. 4°. Ea quæ *tria* supra dicta simul agunt: hujus autem generis cùm nulla nobis cognita sint Medicamenta, inde concludimus, nulla dari *Diaphoretica propria*, i. e., quæ certò & indubitanter talem effectum assequantur.

3. Itaque *Diaphoretica*, pro 3 prioribus Perspirationis *auctæ* causis, in *tres* Classes sequentes dividimus.

I. Classis *Diaphoreticorum* complectitur ea quæ *vim* Viscerum, i. e., Vasorum *elasticitatem* augent: hæc autem augetur quotiescunque Vasorum Fibræ rigidiores & duriores evadunt. Ad hanc igitur Classem pertinent, 1°. Quæcunque astringunt, seu potiùs contrahunt *Solida*, h. e., quæ sese intra *ultimarum Partium* interstitia insinuando, ibique hærendo, Partes istas minùs flexiles sive magis rigidas efficiunt: talia verò sunt Opium, Cortex Peruvianus, Radices omnes Astringentes, Vinum austerum, &c. Porrò quum *Diaphoretica* constringant, non

autem laxent, inde constat, quicquid Excretiones *sensibiles* adauget, minuere *Diaphoresin*; quod quidem planè congruit SANCTORIANIS experimentis. 2°. *Exercitia* Corporis; ut Ambulatio, Equitatio, Vectio in Curru, &c. quorum ope Excretionem SANCTORIANAM promoveri experientia nos docet. 3°. *Stimulantia* admodùm *lenia*, vel *fortia* paululùm *enervata*: sic enim Colocynthis, parvâ quantitate in Vino infusa, *Diaphoreticum* optimum evadit; ita quòque Mercurius Sublimatus Corrosivus, ad gran. j, vel jj, in ℥ jj, vel jjj Rob. Sambuci permistus, & ad $\frac{1}{20}$ partem grani sic exhibitus pro unâ dosi, plurimùm confert in Morbis Chronicis; quin & pari ratione quælibet Acria ita mitigari possunt, ut *Diaphoretica* fiant.

II. Classis includit omnia illa quæ materiem *perspirabilem* ad Cutim determinant: talia verò sunt, 1°. Aër mediocriter *calidus*. 2°. Exercitia *temperata*. 3°. Circulatio Liquidorum *æqualis*; quæ verò talis fit, quum omnes Corporis partes vel æquabiliter quiescunt, vel æquabiliter moventur.

III. Classis continet ea quæ Cuti *delitam temperiem* conciliant, ita ut neque nimis laxa sit, nec magis stricta quàm

par eſt. Hoc autem præſtant *Frictiones*, *Lotiones*, & *Deterſiones*.

CAPUT XIV.

De Uterinis.

1. AD *Uterina* referuntur *Emmenagoga*, *Ariſtolochica*, & *Ecbolica*; ſive quæ *Menſes*, *Lochia*, & *Uteri contenta* expellunt.

2. Porrò *Emmenagoga* propriè ſunt ea, *quæ Menſtrui Sanguinis ſecretionem & excretionem promovent*. Secretio autem fit ex tota Sanguinis maſſa in Uterina Vaſa; verùm Excretio fit ex Utero per Vaſa partim in ejus Cavitatem hiantia, partim infra Orificium ejus internum, in Vagina ſcilicet, poſita.

3. Jam verò *derivatio* hæc in Uterum, & *excretio* inde fiunt, quòd Vaſa prædicta abundanti Sanguine repleta, eò uſque vi Cordis diſtendantur, ut Arteriolarum oſcula tandem dilatentur, unde ſequitur Sanguinis eruptio; ceſſante verò vi Cordis, & Plethorâ levatâ, eadem ſeſe rurſùs contrahunt. Sanguinem autem Uterinum à vi Cordis premi inde conſtat, quòd ſi Mulieri Gravidæ abrupta ſit

Placenta, Fœtu interim in Utero manente, tanta ſubſequatur hæmorrhagia, ut, niſi Fœtus extrahatur, Mater pereat; quia nempe Sanguis à vi Cordis urgetur, & Uterus à Fœtu contento ita diſtenditur, ut Vaſorum oſcula ſeſe contrahere nequeant. Idem quòque quod de *Menſtruis* modò diximus, ex *Lochiorum* fluxu colligi poteſt.

4. Si autem quæratur, cur non ex Arteriis iſtis ſemper fiat Sanguinis effluxus, ſed ſtatis tantummodò temporibus? conſiderandum eſt, Arteriarum fines eſſe quaſi trifidos, ſive in tres ramos diviſos, quorum medius abit in Venam, laterales autem duo in Cavitates hiant, unus ſcilicet in Glandulam, alter verò in Vaſa Lymphatica: primus itaque ramus Sanguinem craſſiorem tranſmittit; & reliqui duo, quia teneriores ſunt exilioreſque, partem ejus duntaxat ſubtiliorem traducunt. Jam ergo ſupponamus dari obſtaculum in Venis (ex. gr. à Plethora), ſive preſſio ſolitô major in Arteriis, tunc Lateralia Vaſa eò uſque dilatari inde debent, ut quæ priùs non niſi Lympham, nunc Sanguinem rubrum admittant; quia tenuioris ſtructuræ ſunt, & hiant in Cavitates ubi nullum datur obſtaculum impetui reſiſtens: verùm aliter ſe res habet

respectu rami medii. Quàm primùm au-autem obstaculum illud in Venis aufertur, sive pressio & vis Cordis imminuitur, (quando scilicet copia Sanguinis, ope fluxûs, imminuta est) tum hæc Vasa Lateralia sese denuò contrahunt, & Sanguis in Venas abit. Hoc argumentum illustrari potest exemplo Tunicæ Oculi *Conjunctivæ* dictæ; quæ quidem in statu naturali prorsùs albescit, solis ferè Arteriarum lateralibus Vasculis ad eam adeuntibus; at verò si obstaculum aliquod ponatur in tractu ad Venam, v. gr., si illa comprimatur, aut si finis Arteriæ obstruatur, vel contrahatur, ita ut Sanguis ex Arteria in Venam promptè fluere nequeat, ex. gr., si arctè constringatur collum, tunc ista Tunicæ Conjunctivæ Vasa, priùs inconspicua, jam rubescent, & conspicua fient, ab hac nempe pressione; quia Sanguis in Venas fluere impeditus urgetur in Lateralia: verùm, obstaculô demptô, rubor hic evanescit. Par est ratio in Vasis Uterinis, ubi dantur Vasa Lymphatica, sive minimæ Arteriarum extremitates in Uteri cavitatem hiantes. Effluere verò Sanguinem hunc ex illis Lateralibus Vasis dilatatis, (quæ quidem, in suo naturali statu, non Sanguinem, sed tenuiorem Humorem, pro partium lubricatio-

ne, recipiunt) ſat clarè patet ex fluxu *Lochiorum*; hæc enim colorem ſuum ſanguineum ſenſim remittunt.

5. Jam videndum eſt, quænam ſit cauſa primæ eruptionis *Menſtruorum* in Puellis. Hæc autem (ut unô verbô rem expediam) nihil aliud eſt quàm *Plethora*; quæ verò oritur, quoniam in Virgine, à nativitate uſque ad pubertatem, Sanguinis vi Viſcerum conferti copia creſcit; tale enim augmentum omninò neceſſarium eſt ad Vaſorum majorem diſtenſionem, Virginiſque incrementum: at verò poſtquàm hæc ad limites incremento ſuo præſtitutos pervenerit, ita ut Vaſa dilatari ac diſtendi ampliùs non poſſint, neceſſe eſt ut oriatur *Plethora*, nimirùm ab iſto Sanguinis augmento quod adhuc manet: quippe nulla eſt ratio cur illud ceſſet; quandoquidem Viſcerum vis, quâ conficitur, adeò non minuatur, ut potiùs augeatur. Sanguis itaque ſuperfluus expelli debet per Vaſa minùs reſiſtentia, qualia ſunt Uterina; alioquin Virgo ægrotabit.

6. Cæterùm, ſi quæratur unde fiat ut *Fluxus* iſte *Menſtruus* non ſit Viris cum Fœminis communis? Ratio eſt, quòd Viri limites incrementi ſui ſeriùs attingant quàm Fœminæ; ſimul ac autem eò

pervenerunt, etiam in iis Excretio aliqua statis temporibus augetur: siquidem constat, ex Observatis SANCTORII, quòd singulis mensibus in Viris *Plethora* contingat; quæ verò, vel largiori Sudore, vel Urinâ, vel aliâ Excretione, tollitur (*a*). Simile quid Mulieribus iis quibus Menstrua non fluunt, quandòque accidit; indeque sanæ conservantur. Quin etiam notandum est, Fœminas in genere *minori* Diaphoresi gaudere quàm Viros; quibus autem Fœminis Diaphoresis valdè *copiosa* fit, utì Viraginibus, iis non omninò, aut saltem parcè admodùm, Menstrua fluunt; illæ verò quæ laxo & frigido Corporis habitu donantur, vitamque degunt otiosam, Menstrua copiosa ut plurimùm habent.

THEOR. Quò sumus *origini* nostræ propiores, eò *vis premens* Cordis magis prævalet *resistentiæ* Vasorum Corporis omnium simul: hoc autem patet ex Animalium incremento, quæ majori proportione crescunt in teneris annis, quàm in ætate provectiori. Sic igitur Corpus illud cujus Incrementi terminus *origini* suæ propior est, debet, cæteris paribus, laxiora & molliora habere Vasa, quàm

(*a*) Confer SANCTORII *Med. Static.* Sect. I. Aphor. 65.

illud cujus Incrementi terminus ab *origine* remotior est: Itaque quum Fœminæ citiùs ad ἀκμὴν Incrementi sui perveniant, quàm Viri, necesse est etiam ut Vasa sint ipsis magis explicabilia & mollia.

7. Porrò jam examinandum est, quare Sanguinis in Mulieribus superflui determinatio fiat ad Uterum. Hoc verò inde contingit, quoniam in Fœmina, ad Incrementi sui terminum appropinquante, nullibi in Vasis *minor* est *resistentia* quàm in Abdomine, hinc etiam nullibi *minor* quàm in Pelvi, & in hoc loco nullibi *minor* quàm in Utero: quippe Mulieres, pro ratione suæ magnitudinis, Abdomen longè magis amplum & expansile habent, quàm Viri; nam in horum Pelvi continentur solummodò Vesica & Intestinum Rectum, præter quæ in Pelvi Mulierum adest etiam Uterus; adde quòd earum Pelvis ordinariò capacior sit, quàm respectu contentorum requireretur. Prætereà, quum Vesica, quôlibet momentô, liquidum suum recipiat, & Intestinum Rectum pariter suum, Uterus autem nihil ejusmodi, hinc patet, in Utero *minimam* dari *resistentiam*. Porrò nulla pars est, in Corpore Muliebri nota, in quam Sanguis ex tam

variis

variis influat locis, ac in Uterum; à multis enim diversis fontibus (*a*) variæ Arteriarum extremitates ibi loci simul coëunt. Accedit huc quòd in toto Uterino tractu Venæ destituantur Valvulis, nec iste Valvularum defectus suppleatur per Musculorum compressionem Sanguinem Venosum propellentem; nulla quippe Corporis est pars, quæ (*b*) Musculis paucioribus circumpositis donetur: omnis ergo Sanguis in Venis con-

(*a*) Confer AUCTORIS nostri *Institut. Med.* §. 664.

(*b*) Clarissimus Anatomicus FREDERICUS RUYSCHIUS, jam ab aliquot annis perhibuit, se detexisse in Uteri Fundo *Musculum* novum, quem *Orbicularem* vocavit, utpotè fibris *circularibus* constantem; eumque dixit, Placentæ Uterinæ separationi & depulsioni, post Fœtûs exitum, inservire. Confer hujus AUCTORIS *Tractationem Anatomic. de Musculo in Fundo Uteri observato*, Latinè editam *Amstelodami* ann. 1726. Sed hoc Inventum ab omnibus æquè Anatomicis non admittitur: Sunt enim, hîc *Lutetiæ*, quidam magni nominis Profectores, in re Anatomica versatissimi, qui (sicut ab uno ex iis accepi) tres simul huncce Musculum in *Puerpera mortua*, & *prolem*, post solitum gestationis tempus, *jam enixa*, (has enim requiri circumstantias RUYSCHIUS ipse monet, *ibid.* pag. 9) anxiè perquisiverunt, at incassùm. Itaque de hoc Invento RUYS-

tentus resistit Sanguini ex Arteriis advenienti; atque sic ubi primùm paulò majori copiâ adest, statim versùs loca minùs resistentia urgetur.

8. *Tria* jam cognoscimus Causarum genera, quibus *Menstrui Sanguinis*, in Muliere sana, debetur excretio; nimirùm, 1°. *Plethoram*: 2°. Sanguinis *superflui* determinationem ad Uterum, utpotè partem minùs resistentem: 3°. Vasorum Uterinorum aptitudinem ad *excretionem*. Medicamenta igitur *Emmenagoga* ad 3 Classes etiam reduci possunt; quarum prima continet ea quæ *Plethoram* inducunt: secunda complectitur illa quæ eandem ad *Uterum* determinant: tertia demùm includit *Topica Uterina aperientia*. Mulierem itaque Menstruis suppressis laborantem curaturo primùm quidem inquirendum est, an materies adsit excernenda, sive an detur Sanguinis superfluitas; quippe si hæc deficiat, Medicamenta *secundæ* ac *tertiæ* Classis plùs afferent damni, quàm commodi.

9. *Plethora* verò inducitur, 1°. Ab omni Medicamento quod facit, ut ex

CHIANO, non abs re, dubitandum esse videtur, donec uberiori experientiâ confirmatum sit; quamvis tamen raró detur occasio talem Musculum inveniendi.

Cibo & Potu, vi primorum Viſcerum, plùs *Chyli* in Venas recipiatur, quàm requiritur ad incrementum aut nutrimentum Corporis, & ad jacturam reſarciendam. 2°. Ab omni Medicamento quod Viſcera ſecunda, quæ *Sanguifica* vel *Hæmatopœa* dicuntur, ita roborat & afficit, ut Chylum in bonum Sanguinem vertant. 3°. Remotione *Cauſarum* quæ Sanguinem confectum attenuant & difflant. *Tria* igitur habemus diverſa Medicamentorum genera ſub prima *Emmenagogorum* Claſſe, ſcilicet, *Plethoram* inducentium, comprehenſa.

(1) Primum autem horum generum continet illa, quæ *vim* Viſcerum primorum, ſive Chylificationi dicatorum, adaugent: quibus etiam annumeranda ſunt 1°. Ea quæ Fæces inertes *ſolvunt*; 2°. Quæ ſolutas *expurgant* per ſtimulum. Siquidem notum eſt, Inteſtinorum cavitates Muco quodam, à Glandulis ibidem ſecreto, ſemper oblini; qui verò ſi ſpiſſus fiat & adhæreat, oſcula Vaſorum minimorum obſtruit, atque ſic in Vaſa Lactea tranſitum Chyli impedit; unde tunc oritur *inanitio* ſive *atrophia*, quæ quidem eſt *Plethoræ* contraria. Itaque, ſi talis Mucus adſit, ut inducatur Plethora, debet iſte primò *ſolvi*, ac deinde *expelli*:

quapropter de iis quæ Mucum hunc *solvunt* & *expellunt* priùs agemus; posteà verò de iis quæ *vim* primorum Viscerum adaugent.

Ea quæ dictum Mucum *solvunt*, sunt sequentia. 1°. *Gummi* quælibet aromatica fœtida, *Uterina* dicta; hæc enim, ob suam viscositatem, adhærent, atque, vi suâ saponaceâ, sese Pituitæ immiscent & eam solvunt, simulque stimulant, ac ejus propulsionem promovent. Ideòque Gummi Ammoniacum, Asa-fœtida, Bdellium, Galbanum, Myrrha, Sagapenum, & Opopanax ab omnibus *Uterina* dicta sunt; siquidem hæc ingesta facilè Corporis nostri calore solvuntur, dumque soluta hærent, Acre quod in eis continetur, exhalat, Viscera stimulat & deterget lenissimè: non agunt igitur vi quâdam Utero directè dicatâ, sed suâ qualitate dissolvendi, nempe saponaceâ & aromaticâ, Nervis amicâ. Medicus itaque curaturus Fœminam, cui, ex Plethoræ defectu, *Menstrua* supprimuntur, hunc in modum præscribat.

℞. *Gummi Ammoniaci*,
Galbani,
Sagapeni,
Myrrhæ, ana ℈j;
Olei stillat. Succini rectif. q. s.
M.

Fiant inde *Pilulæ*, singulæ gran. jjj, vel jv; quæ verò conveniunt ubicunque Chyli, ob dictam causam, impeditur ingressus, utì quidem in Hypochondriacis & Hystericis contingit. Præterea Mucum suprà memoratum solvunt 2o. *Sales* omnes *Fixi*, sive sint more TACHENIANO parati, sive Alcalini; qui porrò istud habent peculiare, quòd citò præterlabantur; unde, pro tempore, magnus est eorum effectus, sed brevî cessat. Huc verò pertinent *Sales Fixi compositi*; ut Borax, Sal Ammoniacus, Vitriolum, Tartarus, Sal Polychrestus, Sal Regeneratus SENNERTI, &c. Sic igitur ℞. *Salis* hujus, vel illius, ʒ j. Solvatur in *Aquæ Rutæ* ℥ jv. Capiat ægra cochl. j post Pilulas. Ita quidem sese mutuò juvabunt. 3°. *Sales* omnes *Volatiles Alcalini*; utì sunt Sales Volatiles Oleosi, Spiritus Cornu Cervi, Urinæ, Sanguinis, &c. Denique 4°. *Sapones* omnes, qualescunque fuerint; etenim ad Gummi naturam accedunt; quapropter *Sapo* ad Abortum & Menstrua procuranda adeò decantatur. Itaque, ad Mucum suprà dictum solvendum,

℞. *Saponis Venet.* ʒ jv;
Bulb. recent. Ari ʒ j;
Asæ-fœtidæ ʒ ß.
M.

Fiant *Pilulæ*, ſingulæ gran. jjj. Sumat ægra ſingulis bihoriis unam.

Hæc ſunt primarum viarum *Deterſiva*. Sequuntur jam ea quæ Mucum ſolutum *expellunt:* talia verò ſunt Aloë, Rhabarbarum, Colocynthis, Jalappa, Sagapenum, Opopanax, & imprimis Bryonia alba. Medici nomen *Uterinorum*, ab effectu, hiſce dedêre; quoniam ſolvunt ſimul & expellunt. In hunc igitur ſcopum exhibendum eſt hujuſmodi Præſcriptum.

℞. *Aloës opt.* ℥ j;
Reſin. Jalapp. gr. xv;
Colocynth. gr. v (pro ſtimulo.)
M.

Fiant *Pilulæ*, ſingulæ gr. jjj, quæ deaurentur. Ægra capiat ex iis tres vel quatuor, quotidie ſub Aurora, ubi adſunt ſigna ſolutæ Pituitæ, & dormiat per horam unam vel alteram.

Nunc verò videndum eſt, quænam Viſceribus primis majorem *vim* concilient, ita ut bonum conficiant *Chylum*, eumque in Vaſa Lactea propellant. Vim igitur primorum Viſcerum augent (ipſorum nempe vim contractilem adaugendo) omnia quæ Fibras magis *rigidas* efficiunt: talia ſunt autem (*a*) *Aſtringen-*

tia Medicamenta : ut 1°. *Chalybs* ; nihil enim in hocce casu plùs conducit, præsertim si sub ea forma detur ut Sanguini non admisceatur, sed in Solida agat, Fibras corroborando ; quippe si Sanguini permiscetur, summum evadit Coagulans : verùm, supràdicto regimine sumptus, optimè quidem agit, & Fibras roborat ; sicut hoc inde constat, quòd, post ejus usum, color pallidus Virginum brevi mutetur in rutilum, & pulsus anteà languidus, in febrilem ferè. Cæterùm ejusdem usus obtinet, quando debita rigiditas Viscerum deficit, & adest Pituitæ copia : porrò si *acidum* abundet, tunc sumi debet Chalybs in substantia sive limatura ; si verò Mucus *iners* & non acidus prædominetur, exhibendum est hoc Medicamentum in Vino Rhenano, vel in Aceto ; præparationes aliæ non sunt æquè bonæ. Præterea pertinet huc 2°. *Cortex Peruvianus*, quâcunque formâ datus ; hic autem locum à Chalybe proximum obtinet. 3°. *Rheum*, tàm *Ponticum*, quàm *Barbarum*. 4°. *Tamariscus*, & imprimis ejus Radicis Cortex. 5°. *Capparis :* & ex iisdem varia composita. Hinc ergo patet, Astringentia summa evadere posse *Emmenagoga*.

Jam sequuntur Exempla pro Formulis.

Si *acidum* prædominetur, cognoſci poterit ex Appetitu rerum incongruarum & inſolitarum, Ructibus acidis, Ventris Torminibus cum ſenſu Frigoris, [Morſu Ventriculi, Flatibus, Spaſmis, Alvi Fæcibus acidum ſpirantibus, Bilis inertiâ, &c.] Itaque, in hocce caſu,

℞. *Limat. Ferri* (ſupra Porphyritim diu trit.) ʒ jj;
Extract. Rhei ʒ j ß;
Cort. Peruv. ʒ ß.
M.

Fiant *Pilulæ*, ſingulæ gran. v, quarum unam ægra capiat omni bihoriô.

Si autem *acidum* non abundet, tunc Chalybs, in ſubſtantia datus, plerùmque angores, vomitus, diarrhœas, tormina excitat; quippe qui non diſſolvitur, ſed ſtimulando tantùm agit. Hoc igitur in caſu,

℞. *Vini Rhen.* libr. jv;
Chalybis (groſſô modô triti) ℥ jj;
Cort. Peruv. (groſsè pulver.) ℥ j.

Leni tepore macerentur per 24 horas; deinde, vacuô Stomachô, ter de die, unâ horâ ante paſtum, ſumatur ex hoc Infuſo ℥ j ß.

Huc pertinent (β) *Aromatica* illa calida & ſtimulantia, quæ plurimùm Olei

acerrimi inter diſtillandum præbent: talia ſunt Thuya ſive Arbor Vitæ, Sabina, Ruta, imprimis montana, Roſmarinus, Pulegium, Majorana, Matricaria, &c.

(2) Secundum genus Medicamentorum *Plethoram* inducentium continet ea, quæ *Vim Hæmatopœam* in Corde & Vaſis Sanguiferis augent. *Vis* autem iſta non alia eſt quàm Vaſorum Oſcillatoria Vis: hæc verò iiſdem augetur Medicamentis, quæ ad Vaſa primi generis, ſive Chylificationi inſervientia, jam præſcripta fuerunt: omnia igitur quæ Chylificationem promovent, Sanguificationi quòque promovendæ ſufficiunt; eſt enim impoſſibile primas emendari *vias*, quin ſimul emendentur ſecundæ; nec emendari queunt ſecundæ, niſi primis emendatis. Cæterùm huc etiam accedit *Motus* Corporis in Aëre libero.

(3) Tertium genus dictorum Medicamentorum includit ea, quæ Sanguinis confecti nimiam *conſumptionem* & *difflationem* impediunt. Itaque vitandum eſt quicquid Sudores aut nimiam Perſpirationem excitat.

10. *Secunda* Claſſis *Emmenagogorum* ea continet, quæ Sanguinem *plethoricum* ad Uterum determinant: taliaque ſunt omnia quæ *reſiſtentiam* in Vaſis Uterinis

minuunt, ſimulque in aliis augent. Porrò *reſiſtentia* Vaſorum Uterinorum dupliciter minuitur: 1°. Vaſa iſta *laxando:* 2°. Sanguinis *refluxum* à Venis Inferioribus versùs Cor *accelerando*. Medicamenta igitur hujuſce ſecundæ Claſſis in *duo* quòque genera dividimus.

(1) Prius complectitur ea quæ Vaſa Uterina *laxant:* qualia ſunt, 1°. *Balnea* cuncta *tepida*, ad Umbilicum uſque applicata; hâc enim ratione Vaſa partium inferiorum Corporis laxantur, dum ſuperiorum Vaſa ab Aëris frigore conſtringuntur, præſertim ſi partes iſtæ ſuperiores in Aëre frigidiuſculo collocentur. 2°. *Calor* quilibet *externus*, partibus inferioribus applicatus. 3°. *Unguenta* quæ conſtant ex pinguibus Aromaticis, Oleoſis & Salinis: qualia ſunt *Unguentum Martiatum*, *Nervinum*, *Arthriticum* &c. taliâ quippe Pedibus, Cruribus, Inguini illita, plurimùm proſunt. Huc etiam pertinent *Emplaſtra* laxantia & calefacientia, imprimis autem ex Gummi fœtidis parata; hæc enim Vaſa laxant, ſimul & Humorem perſpirabilem coërcent; unde ſequitur major calor ſub ſpecie Balnei perpetui. Inſuper huc ſpectant *Plantæ Uterinæ* dictæ; inter quas verò præſtantiores ſunt Ruta, Sabina, Juni-

perus, Thuya, Majorana, Pulegium: ex quibus fieri possunt Balnea, Cataplasmata, Unguenta, & Emplastra.

(2) Posterius Medicamentorum *secundæ* Classis genus includit ea, quæ Sanguinis *refluxum* à Venis Inferioribus versùs Cor *accelerant*: talia verò sunt sequentia. 1°. *Frictiones* omnes ab imis Pedibus usque ad Inguina continuatæ, idque calidis ac siccis linteis, per semihoram singulis vicibus. 2°. *Motus Ambulatorius*; quippe Musculi Tibiales, Crurales, Femorales, actione frequenti, Venas suas multùm comprimunt, & Sanguinem versùs superiora propellunt. 3°. *Saltationis Motus*; qui verò tanti est momenti, ut HIPPOCRATES dicat, eum *Abortum* procurare (*a*). Hæc autem

(*a*) Libr. *de Natura Pueri*, Sect. IV. vers. 9. ad 22. *Edit.* LIND. Quem verò locum, utpotè notatu valdè dignum, lubet integrum hîc loci jam attexere; sic igitur se habet *Latina versio*: "Mulieris nobis familiaris „ *Famula Cantrix* magnæ existimationis, ex „ Virorum consuetudine erat, quam in „ Ventre concipere non conveniebat, ne „ minoris existimationis redderetur. Au„ dierat autem *Cantrix* ipsa, qualia Mulie„ res inter se dicunt, quòd quando Mulier „ conceptura est in Ventre, *genitura* non „ egreditur, sed intùs manet. Auditis au„ tem his atque intellectis, hoc semper ob-

omnia *Menstruorum* effluxum provocant, auferendo *resistentiam* in Venis: hâc etenim sublatâ, Sanguis majori copiâ fluit versùs eas partes; unde major fit pressio Sanguinis in Vasa Lateralia; & hinc sequitur ejus excretio.

11. *Tertia* Classis *Emmenagogorum* complectitur ea, quæ Vasa Uterina ad *excretionem* disponunt: utì sunt, 1°. *Va-*

„servavit; & quum quandoque sentiret „*genituram* non exeuntem, Dominæ exposuit, & sermo statim ad me pervenit. „Ego verò, quum audiissem, jussi ipsam „ad terram *saltare*; & postquàm *exiliisset* „jam septies, *genitura* in terram profluxit, „& strepitus factus est, atque illa conspecta, ipsa admirata est, &c." Unde profectò clarè patet, Hippocratem, in hocce casu, planè se gessisse contra suum *Jusjurandum*; in quo quidem exigebat à Discipulis ut *jurarent*, se nullum unquam Medicamentum ad Fœtum vel Conceptum *corrumpendum* Mulieri propinaturos, οὐδὲ Γυναικὶ Πεσσὸν Φθόριον δώσω. Nec sanè ullatenùs excusari posse videtur; nisi, cum aliquot Auctoribus, dicamus, Librum hunc *de Natura Pueri* non esse Hippocratis, sed Polybi, vel (ut censet Andreas Cæsalpinus, *Artis Medicæ* Libr. vjjj. Cap. 1.) Alcmæonis *Crotoniatæ*. Jam verò, super hac re, conferri omninò meretur egregius doctissimusque Joann. Henr. Meibomii *Commentarius in Jusjurandum* Hippocratis, Cap. xv. pag. m. 144.

pores Aquæ calidæ ſimplicis, inferioribus Corporis partibus applicati. 2°. *Fotus laxantes*, ope ſpongiarum aut linteaminum, applicati Inguini, Perinæo, Vaginæ, Hypogaſtrio: huc etiam pertinent *Cataplaſmata*, *Emplaſtra*, *Peſſaria*; ſimiliaque conſtantia ex Laxantibus; quorum verò materies ex ſuperiori de *Laxantibus* doctrinâ petatur. 3°. Hîc admodùm commendatur *Vapor* ex quibuſdam *Acribus*, ut ex *Salibus alcalinis urinoſis*, in Uterum receptus; qui tamen periculo non caret, vehementer enim irritat, ſummamque contractionem Fibris Uterinis inducit: prudenter itaque Vapor ejuſmodi debet applicari, quippe qui ſæpe ſterilem reddit Uterum, & horrendas contractiones ſpaſmoſque producit: nam iſte Vapor eſt acerrimus, & Uterum inflammat; unde quidem facilè ſuboriturGangræna, vel Skirrhus; quin &, Uterô violenter inflammatô, totum Genus Nervoſum ſpaſmis afficitur: quapropter, ſi talis Vapor in uſum vocetur, ſumma cautio debet adhiberi, ne nimis acer ſit; ſufficiat ergo Vapor ille qui ex pauxillo Spiritûs Salis Ammoniaci & Aquâ multâ commiſtis & tepefactis exhalat; nequaquàm verò uſurpetur Vapor acerrimus quem Empiricus quidam

excitare solebat in hunc usum, commiscendo scilicet Urinam & Calcem Vivam, iisque ignem supponendo.

COROLLARIA.

COROLL. I. Hinc patet, *Aristolochica* esse *Uterina* tertiæ Classis; ibi quippe supponitur Plethora jam præsens, & determinatio ad Uterum; etenim alioqui non opus est *Lochia* movere.

COROLL. II. Ecbolica sunt eadem; sed fortiora; quibus autem si jungantur *Sternutatoria*, tunc equidem validissimè agunt.

COROLL. III. Abortiva sunt ea quæ Uterum *aperiunt*, Fœtumque & Placentam *expellunt*: talia verò sunt, 1°. *Copia nimia* Sanguinis. 2°. Omnia quæ *fortiter* ad Uterum *determinant*. 3°. Ea quæ *violenter* Uterum *constringunt*: Huc autem referendus est Vapor *Salis Ammoniaci*, Utero *gravidæ* mulieris exceptus; quô non datur potentius *Abortivum*: attamen inde periculum est ingens, ut suprà monuimus.

COROLL. IV. Ecbolica & *Abortiva* quæcunque cautè admodùm adhibenda sunt; omnia quippe Corpori noxam inferunt, atque non solummodò Fœtûs, sed etiam Matris cum periculo propinantur.



TERTIA CLASSIS.

De quibusdam aliis Medicamentis in Solida et Fluida simul operantibus.

CAPUT PRIMUM.

De Aperientibus.

1. A*Perientia* ſunt illa Medicamenta, *quæ Meatus obſtructos aperiunt.* Horum autem *tres* dantur Claſſes, quarum *Prima* continet omnia quæ Vaſa laxant; de quibus anteà diximus: *Secunda* complectitur ea quæ Liquida attenuant, reſolvunt, ac diluunt; de quibus etiam ſuperiùs actum eſt: *Tertia* demùm includit quæcunque, poſtquàm Vaſa laxata ſunt, & Liquidum attenuatum eſt, utraque in motum agunt, & Circulationem promovent.

2. Enimverò ad *aperiendum* Vas aliquod obſtructum, hæc *tria* neceſſariò requiruntur; 1°. ut Vaſa laxentur; 2°. ut materies impacta reſolvatur, aut ſaltem

diluatur; 3°. tandem ut in hoc Vaſe promoveatur Circulatio.

COROLL. Inde patet igitur, quàm temerè nonnulli aſſerant *Aperientia* dari *Specifica*; qualia eſſe dicunt Scordium, Marrubium album, Spiritum Salis Ammoniaci, &c.

CAPUT II.

De Diſcutientibus.

1. DIſcutientia ſunt ea, *quæ Liquidum, vel in Vaſis, vel extravaſatum, ſtagnans aut coagulatum, diſſipant; ſine ſenſibili Continui ſolutione in externis.* Hæc verò tot ſunt, quot diverſæ dantur Stagnationis, aut Extravaſationis cauſæ.

2. Liquidum autem ſtagnat in Vaſis, fitque tumor, 1°. A *plethora*; tumque tumor ruber apparet: quo quidem in caſu ſummum *Diſcutiens* eſt evacuatio Liquidi à quo Stagnans à tergo urgetur; hinc igitur Venæ-ſectio tumores hoſce rubros tollere valet. 2°. Tumor iſtiuſmodi oritur ab *inflammatione*: tunc autem verum *Diſcutiens* eſt, (1) quicquid Vaſa laxat; (2) omne quod Vas laxatum variè movet, applicando nimirùm potentias

tentias motrices valdè contrahentes & dilatantes: hoc ergo fit mittendo Sanguinem, & per Frictiones externas; (3) quicquid, Vasa deplendo, Liquida revellit, resolvit, attenuat, & diluit. 3°. Tumor ortum ducit ex crassitie coacti sive coagulati Liquidi: hunc verò *discutit* tantummodò Medicamentum Aperiens.

3. Liquida porrò extravasata *discutiuntur*, quando in Vasa sua rursùs adiguntur: istud verò obtinetur, 1°. Vasa Absorbentia liberando, quantùm fieri potest, à Liquidis distendentibus: (hæc autem Absorbentia Vasa, [de quibus jam actum est in PROLEG. CAP. V. §. I.] à VIEUSSENS (*a*), in plurimis Visceribus, ope Microscopii, detecta sunt, & terminantur in Venas eôdem modô ac Vascula Excretoria oriuntur ab Arteriis.) Hoc verò fit per summam Sanguinis missionem, vel per Hydragogorum usum, ubi Venæ-sectio non est licita: quæ quidem duo non debilitant in hoc casu, sed potiùs reficiunt; unde tunc temporis plurimùm prosunt, dummodò simul adhiberi queant. 2°. Idem obtinetur om-

(*a*) Confer hujus AUCTORIS *Novum Vasorum Corporis Humani Systema*, pag. m. 23. & seq.

nium Aperientium ope. 3°. Per vim externam, sive prementem, sive siccantem, Corpori applicatam. Porrò notandum est, *Discutientia* contra Skirrhos nequaquàm valere.

CAPUT III.

De Emollientibus.

1. E*Molliens* est illud omne, *quod Partem nostri Corporis, induratam & in unam molem compactam, in priorem statum Liquidi contenti & Solidi continentis reducit.* Cæterùm *Induratio* fit in Corpore nostro 3 præcipuè modis; nimirùm, 1°. A nimia Liquidorum *coctione* & *pressione*: hôc enim pactô fluidissimæ partes exprimuntur, & crassiores in molem compactiorem adiguntur; unde quidem accidit, ut Vasa partim inanita, brevissimô temporis spatiô, in unum coalescant atque solidescant, vel Crassa stagnantia seu impacta cum suis Vasis concrescant. 2°. A *coagulo* quod ex propria Liquidorum natura oritur: jam verò tale dari *coagulum* patet ex Albumine Ovi, quod ab Igne coagulatur, licèt testâ maneat inclusum. 3°. A *coagulo* superindu-

cto per misturam corporis alicujus coagulantis.

2. *Emollientia* sunt vel *interna*, vel *externa*. Ea verò dicimus *interna*, 1°. Quæ usurpantur specie Halitûs, aut Suffumigii hausti, vel injecti: talis autem est *Aqua* in *vaporem* soluta, quâ nihil magis emollit; sed non debet esse nimis fervida, tunc enim constringit, sed moderatè calida, tumque maximum est *Emolliens*; utì patet in Ossibus & Cornibus *philosophicè calcinatis*, quæ plùs emolliuntur à Vapore, quàm à Coctione. *Emollientia* quæ intùs assumuntur, sunt 2°. *Juscula* ex omnibus Animalium partibus, ac præsertim ex Mesenterio & Intestinis, parata. 3°. *Ovorum Vitelli* crudi; qui licèt nullam habeant acredinem, attamen Resinas & Gummi solvunt. 4°. *Decocta* quælibet ex Farinaceis blandis, imprimisque Frumentaceis, quæ quidem expressa dant Oleum blandissimum, benignitate Oleum Amygdalarum dulcium referens: talia sunt Secale, Triticum, Avena, Hordeum, Milium, Pistaciæ; præcipuè verò horum omnium Farinæ; nec non Semina quatuor Frigida majora, & minora. 5°. *Decocta* ex Herbis mucilaginosis & farinosis, ferè insipidis: tales autem Herbæ sunt om-

nes Malvarum ſpecies, Branca-Urſina; Verbaſcum, Parietaria, Mercurialis, Violaria, Glycyrrhiza, Papaver erraticum, Saponaria, &c. quæ verò omnes cognoſcuntur ex lentore ſui ſucci. 6°. *Decocta* ex ſimilibus Fructibus mucilaginoſis dulcibus: ut ſunt Ficus, Sebeſten, Paſſulæ majores, Uvæ Corinthiacæ. 7°. *Succi* non acres Plantarum: utì ſunt Mel, Saccharum, Caſſia, Manna. 8°. *Olea expreſſa* ferè inſipida: ſicut Olea Amygdalarum dulcium, Nucum Coquo, Piſtaciarum, Seminis Papaveris albi, Hyoſcyami, Olivarum, Lini, Nucum Juglandium. 9°. *Cremor* Lactis dulcis, & *Butyrum* recens.

3. *Emollientia* porrò *externa* eadem ſunt; ſed applicantur forma Litûs, Unguenti, Fotûs, Balnei, Vaporis, Cataplaſmatis, Emplaſtri, Embrochationis.

Litus fiunt ex materia pingui, chyloſa, medulloſa, compacta, Corpori *illita*; ut ex Medulla Oſſium, &c.

Unguenta ſunt *Litus* craſſiores, conſtantque ex Oleis quibuſdam & Pinguedine.

Fotus ſunt Decocta, per corpora ſpongioſa, Membris calidè applicata.

Cataplaſmata ſunt ipſa *Emollientia* in Aqua cocta, & applicata Corpori.

Emplastrum est simile quid, in consistentiam spissiorem redactum.


[*Embrochatio*, sive *Embroche*, *Impluvium*, *Irrigatio*, *Instillatio*, *Stillicidium*, est Fomentationis genus, quum Liquor fomentans *stillatim* seu *guttatim* in partem fomentandam funditur.]

Horum autem omnium *Emollientium* nullum est præstantius, quàm Vapor calidus Animalis *recèns mactati*; v. gr., si Brachium, aut aliud Membrum, nudum immittatur in corpus Animalis recenter occisi; quod quidem Remedium nullibi plùs vocatur in usum quàm in Italia. (*a*)

(*a*) AUCTOR noster, dubio procul, alludit ad memorabilem hunc casum, quem referunt Historici de ALEXANDRO VI. *Pontif. Max.* & CÆSARE VALENTINO BORGIA, hujus Filio Notho; qui quum in convivio *Cardinales* aliquot, quorum opibus inhiabant, paratô *Toxicô* de medio tollere voluissent, accidit, errore Pocillatoris, ut *venenatum* Falernum ipsis propinaretur *Veneficis*; quô quidem epotô, brevì pòst ad plures abiit ALEXANDER; at verò CÆSAREM, qui dilutiùs biberat, Orci faucibus eripuêre Medici, opportunorum scilicet administratione Remediorum, ac imprimis ipsum in Abdomine *Mulæ recèns exenteratæ* nudum includendo: siquidem hujuscemodi *fomentô* adeò fuit emollita Cutis, & promota simul Diaphoresis, ut *Venenum*,

Cæterùm hæc omnia in eo optima ſunt, quòd, licèt ad loca applicentur *indurata*, nunquàm tamen noxia ſint; cùm Aperientia, &c. ſæpè Inflammationem augeant, Skirrhoſque & Cancros generent.

per undiquaque patentia Spiraculorum Cutaneorum oſcula, difflatum exiverit, atque ſic mortem evaſerit iſte Princeps, expilatus tamen, & Cute perditus, quin & exinde diuturno ac importuno morbo vexatus. Confer Oldoinum, in *Addit. ad* Ciaconium, *Hiſtor. Pontif. Rom. & Cardin.* Tom. III. pag. m. 161. & 162. De hac re poſſunt etiam conſuli alii complures, ut Guicciardinus, Auberius, Mariana, &c. Vide ſis quòque Marc. Aurel. Severinum, in *Trimembr. Chirurg.* Cap. *de Medela ex diſſectis vivis Animantibus*, pag. m. 221. Similem verò caſum refert Rhodius, (*Obſerv. Medic.* Centur. III. Obſ. 37.) de Franc. Alvaroto, *Falcini Marchione*, qui Vinum *Sublimato Corroſivo* infectum hauſerat, & eôdem modô ſervatus fuit (ſi fides Auctori) ac Cæsar Borgia.



CAPUT IV.

De Astringentibus, & Indurantibus.

1. DE hisce Medicamentis, nec non de *Corroborantibus*, in historia Remediorum quæ operantur in Solida jam actum est, sub titulo nempè *Contrahentium*; in historia verò eorum quæ agunt in Fluida, sub titulo *Condensantium*, *Incrassantium*, & *Coagulantium*. Hîc autem loci considerantur *Astringentia* quatenùs *vim* Vasorum *contractilem* adaugent, simul & Liquida *inspissant*: hujusmodi verò sunt Fructus omnes immaturi; hi quippe Fibras accurtant, & Liquida condensant.

2. Ea porrò quæ vocantur *Indurantia* cum *Astringentibus* omninò congruunt, ejusdemque sunt indolis; ac proinde necesse non est ut de iis aliquid ampliùs dicamus. Verùm de *Detergentibus*, *Emundantibus*, & *Erodentibus* nunc est agendum.

CAPUT V.

De Detergentibus, Emundantibus, & Erodentibus.

1. D*Etergentia* ſunt ea, *quæ, Corpori applicata, Alienum aliquid adhærens removere poſſunt, abſque læſione Corporis cui adhæret.* Illud autem *Alienum* vocamus quod nequit unum corpus cum eo cui adhæret conſtituere; ſicut eſt Sanguinis grumus lateribus Vulneris adhærens: Cæterùm, hæc adhæſio debet à *tenacitate* pendere; telum enim aut ſpina parti cuidam inhærens huc minimè pertinet.

Detergentis itaque Medicamenti objectum nullum eſt niſi *Tenax*; quod quidem neceſſariò conſtat ex Oleo indurato; nam alia Indurata ſive Coagulata non adhærent propter viſcoſitatem & tenacitatem. Sic igitur *Detergens* debet primò dividere Tenax illud, tum idem in hunc reducere ſtatum, ut ab Aqua ſolvi & ablui poſſit; quum autem Oleum ſit, hinc Aquæ ſolìus ope nequaquàm abluitur; verùm ſi priùs Ovi Vitello fricetur,

cetur, deinde cum Aqua facilè miſceri poterit, ac educi.

Huc igitur faciunt omnia *Saponacea*, & *Lixivia* ſummè alcalina; quippe duo iſta Tenax diſponunt ut Aquæ commiſceatur. *Saponacea* porrò ſunt Olea quæcunque Salibus commiſta; hæc autem ſi adhibeantur internè, tum lenia debent eſſe, nam alioquin erodent: dantur verò duplicia; ſcilicet, 1°. *Nativa*: inter quæ primas tenent Mel, Aloë, Manna, Caſſia, Saccharum, Lac omne blandum Vegetabilium, ut Lactucæ, Cichorii, Taraxaci, Scorzoneræ, & Succus Saponariæ. Pertinet huc etiam Animalium Bilis; quæ in Ulceribus glutinoſis & ſordidis detergendis apprimè convenit. Huc ſpectat quòque Vitellus Ovi; qui verò optimus eſt, modò cum pauxillo Bilis admiſceatur. 2°. *Artificialia*: ut ſunt Sapo Venetus, & Niger, Sal Volatilis Oleoſus, Sal Regeneratus SENNERTI, Tinctura Tartari ex Sale fixo cum Spiritu Vini, nec non Elixiria cum Salibus alcalinis & Aqua compoſita.

2. *Emundantia* ſunt ea, *quæ detergent & abluunt ſimul per Vehiculum Aquoſum.* Huc ergo referuntur omnia quæ *vi* propriâ eliquant id quod *adhæret*, idemque, per Vehiculum Aquoſum, diluunt & expellunt.

3. *Erodentia* dici debent illa, *quæ non modò Tenax adhærens, sed etiam semi-corrupta Vasorum Ramenta, ad vivam Carnem usque, resolvunt*: oportet autem ut Carnem vivam intactam relinquant; alioqui *Caustica* propriè forent.

Erodentia sunt itaque sequentia. 1°. Omnia *Dolorem excitantia*, quæ verò superiùs descripta fuêre. 2°. *Attenuantia*, *Resolventia*, *Putrefacientia*. Cæterùm, si quædam mali moris Ulcera (quæ semper in Pinguedine hærent, ibi quippe facilè serpunt, & *phagedænica* dicuntur) curanda sint, nihil in iis proficere poterimus, nisi Liquida per *interna* Medicamenta valdè moveantur & expellantur, atque separatio fiat per *Corrodentia externa*; inter quæ verò præcipuum obtinent locum Mercurialia Præcipitata, superimposítô Emplastrô Calefaciente; sequenti die tollatur quod putrefactum est, atque de novo applicetur Mercurius Præcipitatus, usque dum omnia quæ consumi debent, consumpta sint, i. e., donec omnes infectæ Glandulæ sint ablatæ. Si autem, propter fœtorem inde ortum, aliquis abhorreat ab usu Mercurii, tunc adhiberi possunt Spiritus Urinosi Volatiles cum Cupro in iisdem soluto: hâc igitur Solutione, quæ optima est, tan-

gatur Ulcus; vel, ejus locô, ſumatur Elixir Proprietatis cum Sale Tartari & Aquâ purâ præparatum.

CAPUT VI.

De Calefacientibus.

1. C*Alefaciens* eſt illud, *quod Corporis Calorem auget.* Quò meliùs autem hujus operandi ratio nobis innoteſcat, nonnulla de *Calore in genere* præmittenda ſunt.

2. Quicquid ex Frigido fit Calidum, ideò *incaleſcit*, vel quia *Ignis* actu applicatur ipſi, vel quia motus inducitur ei per *Attritum.* Ad Calorem verò producendum per *Attritum*, tria ſunt neceſſaria; ſcilicet, 1°. Corporum *contactus*: 2°. Corporum *motus*: 3°. Corporum ad ſe invicem *preſſio.* Hæc autem tria niſi ſimul concurrant, Calor nequaquàm producetur; contactus enim corporum, abſque motu & preſſione ſive attritu, non facit Calorem; attritus quòque levis, i. e., ſine notabili corporum ad ſe invicem preſſione, nullum excitat Calorem, ſaltem qui ſenſibilem ſe præbeat.

3. Hinc itaque sequuntur hæcce quatuor *AXIOMATA*.

AXIOM. I. Quò pluribus in *punctis* sese mutuò contingunt *atterentia* corpora, sive, quod idem est, quò majores sunt eorum *superficies* secundùm quas se mutuò tangunt, eò, cæteris paribus, major est Calor per *attritum* excitatus.

AXIOM. II. Quò motus corporum *atterentium* est violentior, [ex brevioribus intervallis repetitus, & diutiùs protractus,] eò quòque, cæteris paribus, major est eorum Calor.

[*AXIOM. III.* Quò *vis*, quâ sibi invicem applicantur hæc *atterentia* corpora, est major, eò pariter magis increscit Calor ipsorum.]

AXIOM. IV. Quo corpus aliquod *solidius* est, [*durius*, magis *elasticum*,] eò, cæteris paribus, ex actuali *Ignis* applicatione, vel alterius corporis *attritu*, validiùs incalescit.

4. Corpus autem nostrum *calefieri* potest, vel *externè*, vel *internè*. In Corpore nostro Calor excitatur *externè*, 1°. Ignis aut corporis alicujus calidi applicatione: 2°. Frictione & attritu. Potest verò *internè* Calor excitari, 1°. Ab externo excitato Calore. 2°. Solidorum ad se

invicem attritu, item & simili Fluidorum attritu ad se mutuò. Porrò Solidæ partes ad se invicem *atteri* possunt in omnibus Juncturis; quum autem in iis, præter partes ligatas & ligantes, dentur quòque Liquida lubricantia, quæ inter hasce partes adsunt; hinc omninò constat, quòd quamdiù Liquidum illud præstò est, Calor non possit ita ab attritu augeri, ut morbosus evadat: quàm primùm verò Liquor iste deficit, tùm, ab attritu partium Solidarum, Calor nimis increscit; ut in Arthritide, Podagra, Scorbuto, &c. 3°. Excitari potest Calor à mutua Solidorum & Fluidorum in se invicem actione.

THEOREMATA.

THEOR. I. Si *velocitas* Motûs Projectilis augeatur in Corpore nostro, Vasis & Liquidis iisdem manentibus, augebitur etiam & Calor, per *AXIOM. II.* & *III.* Hinc ergo quicquid Circulationis *velocitatem* adauget, est *Calefaciens*; ac proinde Prima Classis *internorum Calefacientium* continet omnia quæ, vel Solida stimulando, vel Liquida movendo, Circulationem *augent*: qualia sunt *Acria* quælibet; hinc, ex. gr., Spiritus

Vini, quatenùs stimulat, *Calefaciens* est.

THEOR. II. In Corpore nostro, Vasis & Motu Projectili manentibus iisdem, si Liquidi *densitas* augeatur, Calor etiam augebitur, per *AXIOM. II. III.* & *IV.* Secunda itaque Classis *internorum Calefacientium* continet ea quæ Fluida *condensant*: hinc etiam Frigus eò plùs *calefacit*, quò plùs agit, si modò non supprimat omnem motum; Liquida quippe nostra condensat: ideò post ingens Frigus externum, semper major subsequitur Calor internus; & Hippocrates observavit, *Ventres* (sive *Cavitates* Liquida continentes) *calidiores esse Hyeme & Vere, quàm Æstate.* (a)

THEOR. III. In Corpore nostro, Liquidis & Motu Projectili manentibus iisdem, si Vasa *coarctentur*, Calor augebitur, per *AXIOMA I.* Hinc etiam tertia Classis *Calefacientium* continet, 1°. Omnia quæ Vasa *comprimunt*; ut sunt Vestes arctæ, Stragula densa, Aër gravis, Aqua frigida ambiens, & Frigus: Ergo quicunque Hæmorrhagiis obnoxius est, ista, quantùm fieri potest, evitare debet. 2°. Quæ Vasa *contrahunt*: (vide *Contrahentia.*) 3°. Quæ Vasa ex-

(a) *Aphorism.* Sect. I. Aphor. 15.

ternè obstipant; dummodò Sanguinis motum non impediant.

COROLLARIA.

COROLL. I. Si Calor augeatur in Corpore nostro, Vasis & Liquidis iisdem manentibus, planè indicat, *Motum Projectilem* auctum esse.

COROLL. II. Si Calor augeatur, Vasis & Motu Projectili manentibus iisdem, omninò indicat, *Liquidorum densitatem* auctam esse. Remedia igitur tunc idonea sunt *Rarefacientia*.

COROLL. III. Si, Liquidis & Motu Projectili manentibus iisdem, Calor augeatur, Vasa *arctiora* fiant necesse est: hinc valdè imminutis Liquidis, Calor tamen perstare potest in aliquot Morbis, ut in *Tabe*; omnes enim Hectici, ob Calorem, exsiccantur; hinc etiam eorum Fibræ rigidissimæ & contractissimæ fiunt, atque, propter *marasmum*, plurima Vasa in ipsis concidunt; & ideò in reliquis Vasis, Fluidum (licèt hoc quòque imminutum sit) valdè coarctatur.

COROLL. IV. Si *velocitas* Liquidi ejusque *moles* simul augeantur, reliquis iisdem manentibus, tunc erit Calor in *ratione composita* utriusque; &, in gene-

re, si suprà dictorum *duo* quævis augeantur, *tertiô* interim eôdem manente, tum Calor increscet in *ratione composita* duorum auctorum.

COROLL. V. Si *velocitas* & *moles* Liquidi, nec non *arctatio* Vasorum simul augeantur, summus Calor orietur.

CAPUT VII.

De Frigefacientibus.

1. Frigus excitatur in Corpore per causas oppositas *Calefacientibus*. Ergo Frigus *externum* fit, 1°. Corporum *frigidorum* applicatione: hæc verò, ut experientia docet, eò magis frigefaciunt, quò solidiora sunt; sic enim Aqua frigida plùs frigefacit, quàm Aër frigidus; & Balnea ex Aquâ simplici minùs frigefaciunt, quàm illa quæ constant ex Aqua salina. Huc porrò referuntur *Venti*, & *Ventilabra*; quæ Corpus frigefaciunt quatenùs Atmosphæræ partem nos proximè ambientem removent, aliamque substituunt; etenim Atmosphæræ pars quæ Corpus aliquod calidum proximè ambit, semper calidior est partibus ejusdem remotioribus. 2°. Externorum omnium in nostrum Corpus *attritum* auferendo.

2. Jam verò Frigus *internum* fit, 1°. Ab *externo* Frigore. 2°. Tollendo, vel minuendo, partium internarum Solidarum & Fluidarum *attritum* inter se; ideòque Frigus non potest Corpori conciliari majus (demptis causis externis) quàm illud quod à Morte producitur.

THEOREMATA.

THEOR. I. In Corpore nostro, Vasis & Liquidis iisdem manentibus, si Motus Projectilis minuatur, Calor etiam minuetur, sive augebitur Frigus, per *AXIOMA* II. CAPIT. *præcedentis.* Hinc ergo Prima Classis *Frigefacientium* continet ea quæ Motum Projectilem *minuunt:* hic autem pendet à Solidorum *vi contractili*, hæc verò à *stimulo* Solidis applicato: etenim quò major est iste *stimulus*, eò quòque major fit Solidorum *vis*, & è contrario. Quicquid igitur Stimulantium vires destruit, pro Refrigerante habendum est. Itaque frigefaciunt, 1°. Omnia *Diluentia*; qualia sunt Serum Lactis, Aqua, Hydrogala, &c. quæ verò cuncta si calidè sumantur, meliùs agunt, penetrando scilicet, & laxando. 2°. *Obtundentia*, sive quæ *stimulum acrem* infringunt; utì sunt *Acida*

quævis *Alcalinorum* reſpectu, & *Alcalina* reſpectu *Acidorum*: Hinc ſi Calor ab *Acido* fiat, (ut ſæpè contingit in Hypochondriacis) tunc *Alcalia* erunt Refrigerantia: ſi autem *Acre Oleoſum* ſit cauſa Caloris, tum *Acida Saponacea* convenient ad refrigerandum; talia verò ſunt Fructuum horæorum Succi recenter expreſſi; quin etiam Calx ſoluta in aquâ, Refrigerans eſt Alcalinorum Oleoſorum reſpectu. 3°. *Involventia*; nimirùm ea quæ *Acre ſtimulans* involvunt: hujuſmodi porrò ſunt omnia *Oleoſa* blanda gelatinoſa, farinacea, terreſtria, pinguia Vegetabilium; hinc Ptiſanæ [ex ſimilibus paratæ] optimè refrigerant. 4°. *Expellentia*; ſcilicet ea quæ *Stimulans impactum* excutiunt, & extra Corpus derivant: Itaque hoc in caſu *Frigefacientia* ſunt illa, quæ tamen in ſe conſiderata *calefaciunt*; ut Purgantia, Vomitoria, Diuretica, & Diaphoretica.

THEOR. II. In Corpore noſtro, cæteris paribus, ſi Vaſa *minùs elaſtica* fiant, orietur Refrigeratio, per *AXIOM. II. III.* & *IV.* CAPIT. *præcedentis*. Secunda igitur Claſſis *Refrigerantium* continet *Laxantia*; quin & inde reddi poteſt ratio, quare Balnea *refrigerent*.

THEOR. III. In Corpore noſtro,

reliquis iisdem manentibus, si minuatur Liquidi *densitas*, minuetur etiam Calor, per *AXIOM. II. III.* & *IV.* Jam verò Liquidi *densitas* minuitur attenuando, & diluendo. *Refrigerantium* itaque tertia Classis includit *Attenuantia*, & *Diluentia*; qualia sunt Aquosa quæcunque; simul & Nitrum, quod maximè attenuat, hinc omnes Plantæ Nitrosæ hîc loci optimæ sunt. Inde patet, cur in Morbis Inflammatoriis, ubi quidem densissimus est Sanguis, adeò laudentur Attenuantia.

THEOR. IV. In Corpore nostro, reliquis omnibus iisdem manentibus, si Vasa *capaciora* reddantur, minuetur Calor, per *AXIOMA I.* Quarta igitur Classis *Refrigerantium* continet omnia illa quæ Vasorum *capacitatem* augent; utì sunt Humectantia, Laxantia, Aperientia, Deobstruentia. Hinc autem patet, cur tempestas *tonitruosa*, quæ levem reddit Aërem, *frigore* statim semper excipiatur. Inde quòque fit manifestum, quare vestibus *laxis* induti, aut sub stragulis *levibus* in lecto jacentes, *frigidi* simus; nec non cur Homines Vasa *laxa* habentes, ut Obesi & Mulieres, plerùmque magis quàm alii *frigescant*.

CAPUT VIII.

De Attrahentibus.

1. A*Trahentia* ſunt ea, *quæ aliquid in Corpore noſtro hærens*, *è loco ubi hæret*, *in alium attrahendo traducunt.* Hoc autem ut fiat, *tria* neceſſaria ſunt; nimirùm, 1°. Ut materia *meabilis*, ſive ad *motum apta*, reddatur. 2°. Requiruntur cauſæ quæ materiam meabilem redditam *pellant* in locum deſtinatum, vel quæ loco deſtinato applicatæ, materiem ad eundem locum *attrahant.* 3°. Requiritur ut intermedia via *libera* ſit, per quam materies attracta ſive impulſa, ad locum deſtinatum, ſine impedimento, pervenire queat.

2. Hinc igitur *tres* ſunt ſequentes Medicamentorum *Attrahentium* Claſſes.

I. Claſſis continet illa omnia quæ materiam *meabilem* efficiunt: ut 1°. Quæcunque Solida *ſtimulant*; de quibus hactenùs. 2°. Omnia quæ materiam *mobilem* reddunt: qualia ſunt Attenuantia, Reſolventia, & Diluentia; de quibus etiam ſuperiùs actum eſt.

II. Claſſis complectitur ea omnia

quæ materiæ meabilis redditæ *motum* & *translationem* producunt: talia verò sunt, 1°. Quæcunque materiam, è loco unde erat movenda, *pellunt* in locum determinatum: ut (α) Cordis & Arteriarum vis: (β) Frictionis & Compressionis motus in Vasis quæ Valvulis destituta sunt; ita, constrictionis ope, Tumores de loco in locum transferuntur. 2°. Omnia quæ *resistentiam* minuunt in loco in quem materies est movenda: ut sunt, (1) Venæ-sectio, & Arteriotome; sic, per unam Arteriam, integram Sanguinis massam evacuare possumus: porrò, Scarificationes, Fonticuli, Setacea, Fistulæ, Cauteria, & omnia hujuscemodi Erodentia Remedia huc etiam faciunt, resistentiam scilicet auferendo: (2) Frictio; quæ quidem resistentiam tollit quatenùs per Venas motum Sanguinis promovet: (3) Quæcunque Aëris externi pressionem in loco tollunt; ut Cucurbitulæ, & Suctio; hinc HIPPOCRATES, in Pleuritide, voluit latas & amplas applicandas esse Cucurbitas, scilicet ut omnis inflammatio derivaretur in Cutem. (4) Emollientia, & Laxantia; de quibus hactenùs. 3°. Omnia *Attrahentia Specifica*: qualia sunt Animalia Venenosa quæ, Corpori applicata,

ſive viva ſive mortua, ad ſe *trahere* dicuntur ſuæ indolis Venenum. Ita *Scorpio* ſuper vulnus quod inflixit contritus, ut & *Bufo*, vivens aut mortuus admotus, proprium eliciunt Venenum. Sic *Rabidi Canis* Caro vulneri ab eodem inflicto applicata, priuſquàm radices nimis altas virus egerit, nonnullos ſanaſſe dicitur. Ita quòque *Lapis de Serpente*, ſi vulneri à Beſtia Venenoſa facto applicetur, ibidem hærere donec totum exhauſerit Venenum, tum ſponte ſuâ decidere dicitur: narrant etiam, quòd ſi, poſtquàm deciderit, immittatur Lacti, hôc pactô iterùm depuretur, virtutemque ſuam recuperet. (*a*)

(a) *Specifica* profectò iſtiuſmodi nuſquàm hactenùs adeò certa confirmavit experientia, ut ſubleſtæ fidei non habeantur ab emunctioribus quibuſque Medicis: unde quidem hæc, (ſi modò contritum, ſuper vulnus inflictum recentiſſimè, *Scorpionem* exceperis) non tantùm incerta eſſe, ſed etiam vana haud ita temerè quis dixerit; eapropter hiſce ſolis confidere, dum & probatiora & efficaciora proſtant, inconſultiſſimum eſſet ædepol! ac omnino temerarium. Quod enim pertinet ad *Bufonem* vulneri ab ipſo inflicto admotum, & *Canis Rabidi* Carnem ſimiliter applicatam, hæc anilia eſſe commenta meraſque nugas agnoſcunt Phyſici prudentiores bene multi: nec

III. Classis continet illa quæ viam mediam *præparant*: qualia sunt, 1°. Ea

etiam hocce posterius *Specificum Attrahens* ad curam Hydrophobiæ proponit, in aureis suis *Aphorismis*, præstantissimus AUCTOR noster; sed potiùs quælibet huc usque decantata in eo Morbo *Specifica* meritò refellit ac evertit, *parag.* 1147. Verùm enimverò quid dicemus de *Lapide Serpentis*, cujus vim (in *Textu* memoratam) tantis extollunt encomiis, totque experimentis, ut aiunt, assertam suffulcire pro virili conantur Auctores quàm-plurimi; inter quos verò bini potissimùm eminent maximi nominis Philosophi, ATH. KIRCHER (*in China illustrata*), & ROB. BOYLE (*in Tract. de Medic. Specif.*)? Huic sanè quæstioni jam diù satisfecit FRANC. REDI, in sua ad KIRCHERUM *Epistola de Experimentis Naturalibus*, pag. 3. & seq. luculentisquè, apud Aulam Etruscam, captis experimentis evicit, vanas esse penitùs, utut adeò jactatas, Lapidis hujusce vires. Eodem super argumento consuli quòque meretur imprimis ENGELB. KÆMPFER, *Amœnitat. Exotic.* Fasc. III. Observ. X. Sect. 2. Cæterùm, qui plura de hac re voluerit, conferat adhuc DALE, *Pharmacolog.* pag. 395. *Edit. Londin.* in-4°. *ann.* 1737; ubi quidem variæ Auctorum sententiæ, cùm de natura, tùm de viribus istius Lapidis, collectæ reperiuntur. Conferri etiam potest, super hac re, FRIDER. HOFFMANNUS, in *Clav. Pharmaceut.* SCHROD. Lib. V. Sect. I. §. XXXIII. pag. 685. & 686. Porrò, quoad naturam hujusmodi Lapidum, qui *Serpentini* dicuntur, notum est

quæ Vasa laxant: 2°. Quæ Liquida meabilia reddunt: 3°. Quæ, Suppurationem procurando, viam apertam efficiunt.

hodie, plerosque (ac forsàn omnes) esse factitios, utpotè qui, in hanc formam, ex Ossibus quibusdam calcinatis, in India Orientali, effingantur. Hinc ergò patet, dubium admodùm esse quod de hoc Lapide apud Auctores passim invenitur, scilicet, illum extrahi è corpore cujusdam Serpentis, quem Lusitani *Cobra de Capelo*, Galli verò *Serpent au Châperon* vocitant. Vide Lemery, *Dictionnaire Universel des Drogues Simples*, pag. 481. *Edit. Parisin. ann.* 1733.

CAPUT IX.

De Repercutientibus.

1. Repercutientia sunt illa, *quæ materiam hærentem in aliqua Corporis interna Parte, magis adhuc versùs interiora propellunt.* Horum autem actio eadem est cum *Attrahentium* operatione, mutatis solummodò terminis *à quo* & *ad quem*.

2. Hinc etiam *tres* dantur Medicamentorum istorum Classes.

I. Classis *Repercutientium* non differt ab *Attrahentium* prima.

II.

II. Classis continet (locô *Attrahentium*, quæ commodè nequeunt internè applicari) *Evacuationes* varias : quales sunt *Purgationes* per *Hydragoga*, *Venæsectio*, *Ptyalismus*, &c. quæ verò operantur quatenùs materiam è loco revellunt.

III. Classis includit 1°. Omnia *actu Frigida*; siquidem Fibræ à *frigore* constrictæ, materiam versùs *interiora* propellunt : sic igitur Aqua frigida, Acetum frigidum, &c. hîc loci conducunt; quin etiam quò densius & compactius est corpus frigidum, eò meliùs agit. 2°. Omnia *Styptica*, *Contrahentia*, & *Constipantia*, externè applicata.



CAPUT X.

De Suppurantibus, & Maturantibus.

1. S*Uppurantia* ſunt ea, *quæ Corporis vivi Partem aliquam in Pus convertunt:* Corporis, inquam, *vivi*; quia nemo hactenùs uſquàm Solida vel Liquida Cadaveris in Pus convertere potuit. *Pus* autem eſt materia ſpiſſa, utcunque pinguis, cum Aqua tamen miſcibilis, coloris ſubalbidi, odoris & ſaporis nullius, modò laudabilis ſit.

2. *Suppuratio* nulla fit unquam niſi fracta ſint Vaſa, ita ut Liquidum effluat; ſiquidem à nemine *Pus* obſervatum eſt unquam ex aliquo rupto Vaſe effluere ſtatim ab ejus ruptura; verùm enimverò Liquidum illud tunc effluens, poſt aliquod temporis ſpatium, ſtagnando, *Pus* evadit; prout hoc inde patet, quòd ſi Vulnus indeſinenter abſtergeatur, Pus in eo nequaquàm inveniatur: ergo Liquidum extravaſatum ſtagnando convertitur in Pus ope caloris; pars etenim liquidiſſima tum exhalat, viſcoſior verò remanens *Pus* conſtituit: & hoc quidem quamdiù blandum exiſtit, optimum eſt

balſamum; diutiùs autem commorando, per eundem calorem vertitur in Liquidum tenuiſſimum, flavum, cineritium, rubellum, tandemque nigrum, acre, erodens, Nervis inimicum.

3. Medicamentum ergo *Suppurans* eſt quicquid Vaſcula *rumpit*, Liquidumque *effundit*, effuſum cum Solidis fractis *commiſcet*, deinde quod maximè liquidum eſt *diſſipat*, tandemque reliqua *movet* & *coquit*.

4. *Suppuratio* requiritur ubi materies impacta *reſolvi*, & extravaſata *reſorberi* non poteſt. Hæc itaque vitetur ubi materia peccans in Pus converti nequit, ut in Skirrho, Cancro, Exoſtoſi: vitetur etiam in locis unde Pus factum educi non poteſt, ut in partibus internis.

5. Omnia *Suppurantia* ad *tres* Claſſes ſequentes reduci poſſunt.

I. Claſſis continet ea quæ Vaſa, leniter ſtimulando, *diſſolvunt*: qualia ſunt, 1°. *Gummi* partes aromaticas & mobiles habentia; ut Gummi Ammoniacum, Elemi, Bdellium, Galbanum, Opopanax, Sagapenum, Myrrha, Tacamahaca, &c. 2°. *Cepæ aſſatæ* cum Farina & Oleo junctæ. 3°. *Mel* cum aliis miſtum. 4°. Quædam *Plantæ*; ut Laurus, Chamæmelum, Crocus, Melilotus, Sambucus, &c.

II. Classis includit ea quæ partes anteà stagnantes & alias separatas inter se *jungunt* per Vim Vitæ superstitem: istud autem fit ope *Attrahentium*, quæ mobiles Liquidorum partes *determinant* ad locum ubi Pus fieri debet. Huc igitur pertinent, 1°. *Aquosa* omnia tepida, quæ Vasa *laxant*; unde major oritur motus ad locum supràdictum. 2°. *Humectantia*, sive *Aquosa viscosa*; ut Anagallis, Lens Palustris, Nymphæa, Parietaria, &c. quæ verò cuncta partes aquosas & glutinosas continent.

III. Classis complectitur ea quæ Liquida in locum determinatum mota *coërcendo*, impediunt ne, perCorporis calorem, nimis *dissipentur*. Huc itaque spectant omnia quæ *Poros* sic occludunt, ut materia ibidem retineatur, moveatur interim, nec tamen exhalari possit: hæc autem sunt Emplastica; utì 1°. *Gummi aromatica*, respectu partis glutinosæ & inertis; at verò respectu partis acris & volatilis stimulando agunt. 2°. *Mel* coctione tenax redditum. 3°. *Farinæ* omnes ex *Fabis*, *Pisis*, *Ciceribus*, *Lino*, *Frumento*, &c. 4°. *Ficus*, præsertim si pars acrior igne leni expulsa sit. 5°. *Cera.* 6°. *Ovorum Vitelli.* 7°. *Butyrum* recens. 8°. *Pinguedines* omnium Animalium. 9°.

Olea blanda expreſſa. 10°. *Herbæ Emollientes* dictæ.

COROLLARIA.

COROLL. I. Quum *tria* ſint ad *Suppurationem* neceſſariò concurrentia, hinc patet, quantus ſit illorum error, qui Medicamenta quædam, *abſolutè* & *in ſe* conſiderata, ſemper habent pro *Suppurantibus*; quandoquidem talia reverâ non ſint, niſi quatenùs cum aliis *conjunctim* applicantur.

COROLL. II. Formulæ *Suppurantium* variæ præſcribi poſſunt, atque debent, prout materia ſuppuranda magis minùs-ve mobilis eſt, magis minùs-ve ſub Cute profunda, prout exiſtit in parte magis minùs-ve glanduloſa. Itaque ſi ſuppuranda ſit *ingens* Inflammatio, tunc omiſſis primæ Claſſis Medicamentis, ea ſolummodò ſecundæ ac tertiæ debent adhiberi; ſi verò materies adſit *lenta*, & Vis Vitæ *debilis*, tum primæ Claſſis *Suppurantibus* opus eſt.

6. Jam ſequuntur *Suppurantium* Formulæ, pro *tribus* diverſis Claſſibus.

(1) Ad ſuppurandam Inflammationem valdè *calidam*,

℞ *Acetoſæ recent.* M. jv;

Butyr. recent. ℥ ij;
Farin. Secal. q. s.

M. F. Cataplasma igne lenissimo.

Acetosa resistit *alcalinis*, & *Farina Secalis* in calore omnium facillimè *acescit*; in Inflammationibus autem valdè calidis Liquida semper tendunt ad *alcalinam* naturam; eapropter hæcce Formula optima est ad Bubones in Peste: porrò non major additur *Butyri* quantitas, quia gravius Emplastrum non est adhibendum, ob Gangrænæ metum.

(2) In *frigido* casu, sive Tumore *frigido*, cum *inertia* Vitæ ac hærentis Liquidi,

℞ *Flor. Chamæmeli*,
Sambuci,
Meliloti, ana ℥ jj;
Croci ʒ ß;
Gummi Galbani (in Vitello Ovi soluti)
Olei Chamæm. ana ℥ j;
Farin. Orob. q. s.

M. F. Cataplasma.

Methodus ista *Gummi* solvendi, maximè convènit in casibus ubi *aperiendum* est. Hæc autem Formula est optima ubi Skirrhi metus adest.

(3) Ad Glandulas skirrhosas in Pus convertendas,

℞ *Mellis ad tenacitatem cocti*,


Ficuum recent. contuſ. ana ℥ jj;
Ceparum ſub ciner. aſſat. ℥ jv;
Ol. Lilior. Alb. q. ſ.

M. F. Cataplaſma.

Hæc Formula *Suppurationem*, abſque magna inflammatione, eleganter promovet: ſi verò Tumor adſit *lentus*, ut in Bubone Venereo, tunc aliâ opus eſt Formulâ.

7. *Maturantia* propriè ſunt illa, *quæ Suppuranda ita ſolvunt, ut tota materies in unum locum coëat, ſine diviſione aliqua aut ſeparatione per cellulas facta, eô ſcilicet fine, ut Emiſſariô factô, omne Suppuratum unâ vice expellatur.* Quum autem *Suppuranda* nihil aliud ſint, quàm Solida ſemi-fracta & Liquida ſtagnantia, hinc etiam *Maturans* aliud non eſt, quàm *Suppurans* tamdiù applicatum, donec omnia *reſoluta* fiant.

8. Cæterùm, factam eſſe novimus *Maturationem*, ex ſumma Partis mollitie & fluctuatione. Quò verò diutiùs materia ſuppuranda clauſa manet, eò faciliùs coquitur: & quidem ſummoperè curandum eſt, ut omnes partes induratæ circumquàque molles evadant, antequàm aperiatur Cutis; hâc enim ſemel apertâ, haud facilè poteſt ad *Suppurationem* duci quod priùs ſuppuratum non erat.



QUARTA CLASSIS.

De Medicamentis Topicis.

CAPUT PRIMUM.

De Topicis in genere.

THEOREMATA.

THEOR. I. T*Opicum* eſt *Medicamentum locale*, *quod ſingulari Corporis Parti medetur*, *actione ſeu vi quâdam ei Parti propriâ & dicatâ.*

THEOR. II. Topicum igitur omne debet habere talem actionem ſive vim, quæ *ſpecificè* emendet Solida & Liquida Partis illius cui dicatur.

THEOR. III. Hoc verò præſtat, vel quia *mole* ſuâ tendit ad eam Partem; vel quoniam eò itura ſic *præparat*, ut, quando ad hunc locum delata fuerunt, *topicè* agant. Hinc etiam duplex datur *Topicum*; ſcilicet, vel quod ſuâ mole atque ſubſtantiâ Parti applicatur, & ibi agit; vel quod

quod præparat alia quæ ad Partem mittuntur. Sic, ex. gr., *Cephalicum* dicitur illud quod Stomacho receptum, & ad Caput delatum, in idem operatur; vel quod Sanguinem, aliàs ineptum, ita præparat & disponit, ut Capiti prosit ac medeatur.

THEOR. IV. Quicquid ad Partem aliquam vadit, vel eò tendit lege *Circulationis* universalis, vel per aliam *vim* quandam eò determinatur.

THEOR. V. Lege *Circulationis* universalis nullum dari potest *Topicum*, nisi eidem insint conditiones aliquæ *mechanicæ*, ut universali Motu magis in hunc, quàm in alium locum eat. Sic, v. gr., si Globulus unus ex *Mercurio* & alter ex *Cera* constans è Corde simul projicerentur, hisce Globulis tales insunt conditiones, ut prior versùs superiora, posterior versùs inferiora feratur: quippe *Mercurii* Globulus, cùm sit gravissimus & solidissimus, motum suum in linea recta diù conservabit, ideòque in Caput feretur: *Cereus* interim Globulus, cùm sit levissimus, motum suum sursùm & in linea recta citò amittet, ac versùs inferiora detrudetur. Hujus autem Asserti veritas evinci potest ex doctrina Projectionis Liquidorum per Fistulas: patet

ergo talia Medicamenta dari posse. (*a*)

THEOR. VI. Determinatio ad *locum* obtinetur Medicamentis *Attrahentibus*; de quibus verò superiùs actum est.

THEOR. VII. Topica Specifica vocata, quæ operantur (utì jam dictum est) aut ipsi Parti *applicata*, aut eò itura *præparando*, omnia agunt vel laxando, vel stimulando, vel contrahendo, vel condensando, vel movendo, vel attenuando, &c. juxta doctrinam hactenùs expositam de Medicamentorum Operatione.

THEOR. VIII. Hinc igitur clarè patet, vim *Topicorum* in *determinatione* ad certum *locum* consistere.

THEOR. IX. Adeòque tota *Topicorum* doctrina consistit in descriptione Causarum *determinantium*.

THEOR. X. Topica omnia, ab Effectu suo, in *calida* & *frigida* dividi solent.

[Hisce porrò præmissis THEOREMATIBUS *de Topicis in genere*, superest ut de iisdem *in specie* jam agamus.]

(*a*) Confer ROBERTI BOYLEI Tractatum de *Medicina Hydrostatica*.



CAPUT II.

De Cephalicis.

1. C*Ephalica* dicuntur ea, *quæ Cerebrum peculiariter ſpectant, non autem alias Capitis partes.* Jam verò *Cerebri* Functiones duæ ſunt; nimirùm, (α) Spiritus animales *ſecernere*, ac (β) eoſdem poſteà *diſtribuere*: verùm ut hæ Functiones rectè procedant, requiritur Vaſorum adaptatio, & Liquidorum debita ſolutio; hinc ergo quicquid Vaſa adaptat, & Liquida debitè diſſolvit, *Cephalicum* eſt.

2. *Cephalica* ſunt autem duplicia; nempè, 1°. *Calida*, ſcilicet ea quæ tenui oleo, ſale, ſpirituque abundant: omnia igitur *Attenuantia* huc pertinent, imprimis verò quæ ſimul odore & ſapore grata ſunt; ut Abrotanum tenuifolium, Betonica, Chamædrys, Calamintha, Lavandula, Majorana, Meliſſa, Mentha, Origanum, Roſmarinus, Salvia, &c. Huc etiam ſpectant Inſecta quædam, ut Aſelli; item Spiritus Caſtorei; nec non Sal Volatile Oleoſum, Olea Aromatica, &c. 2°., *Frigida*, nimirùm illa quæ odo-

re grato nares afficiunt absque calore; qualia sunt Lilium vulgare, Lilium Convallium, Rosæ, Violæ, &c.

CAPUT III.

De Ophthalmicis, Odontalgicis, Otalgicis; & Stomaticis.

1. OCuli Functio est *videre*; & quicquid hanc impedit dicitur *Oculi* Morbus: ut sunt *Palpebrarum* Vitia ex paralysi vel tumore oriunda (quæ verò non differunt à Morbis ejusdem nominis in aliis Partibus); læsio vel inflammatio *Corneæ*, ejusdem phlyctænæ, hydatides, color non naturalis, opacitas, exulceratio, cicatrix, corpus ei internè accrescens; quæ quidem omnia non aliâ ratione consideranda sunt, quàm si Partem aliam quandam infestarent. *Oculus* porrò non videt, qui in suis Humoribus aliquid habet mali, v. gr. Suffusionem seu Cataractam, &c. vel propter Optici Nervi Vitia; vel quando Lymphatica, per Tunicam Retinam largissimè (utì demonstravit (*a*) RIDLEYUS)

(*a*) In sua *Anatomia Cerebri*, Londini *an-*

disperſa, tument: in his autem ultimis caſibus, cùm nihil externè poſſit applicari, præcipuum Remedium eſt *Mercurius*, ad Salivationem excitandam, ut par eſt, exhibitus; non tamen quòd in Oculum *ſpecificè* agat, ſed univerſali in totum Corpus operatione. *Oculus* etiam peccat immobilitate; peccat quòque ſi Vaſcula Humorem Aqueum reſorbentia, eundem reducere non poſſint.

Cæterùm, in his omnibus omittendi ſunt *Specificorum* tituli; ſed inquirendum eſt, quid vitii in Solidis & Fluidis hæreat; atque medela ex Indicationibus generalibus inſtitui debet: hoc verò maximè videtur inculcandum; quoniam vel optimi Medici *Specificorum* titulos nondùm omittere poſſunt, at ſemper exiſtimant aliquid *ſpecificè* requiri; cùm tamen reverâ nulla ſit propriè differentia, an hæreat Inflammatio in Oculo, an autem in Manu, &c.

Hinc igitur *Ophthalmica* dicenda ſunt ea, *quæ ſanguineas, ſeroſas ſeu lymphaticas, & nervoſas Inflammationes tollunt.* In omnibus enim par ubique ratio datur.

glicè ap ipſo edita *in*-8°. ann. 1695, deinde verò in *latinum ſermonem* ab alio tranſlata, & impreſſa Lugduni-Batavorum, anno 1725. *in*-8°.

2. *Odontalgica* ſunt illa, *quæ Inflammationes ſanguineas arterioſas, Inflammationeſque in Vaſis Lymphaticis, vel in Nervis, auferunt, & hôc pactô Dentium Dolorem compeſcunt*. Hinc etiam Purgantia laxantia, ut & Opiata, quandòque *Odontalgica* fiunt.

3. *Otalgica* ſunt ea, *quæ Dolores Aurium ſedant*. Hæc autem rursùs includunt omnia illa quæ tollunt Inflammationes iſtas triplices ſuprà memoratas.

4. *Stomatica* vocantur illa, *quæ Morbos Oris curant*. Hi verò Morbi communes ſunt Ori cum aliis Partibus; adeòque Medicamenta nihil *ſpecifici* ad hoſce Morbos habent.

CAPUT IV.

De Arteriacis.

1. ARteriæ nomen Veteres dedêre Laryngi, [ſeu propriè Canalibus illis durioribus qui Pulmonem ingrediuntur (*a*), quos Recentiores Aſperam-Arteriam appellant;] & vocârunt

(*a*) Confer Galenum, Libr. 6. *de* Hippocr. & Plat. *Decr.* Cap. 9.

Arteriaca illa Remedia, *quæ Morbos Laryngis & Bronchiorum tollunt* (a), *in specie verò eorum Asperitatem:* qualis in *Tussi* frequens est, oriturque à penuria vel defectu Liquidi quod ibidem secernitur; unde fit ut Filamenta Nervosa nuda & arida remaneant.

2. *Arteriaca* igitur Medicamenta sunt ea quæ simile Liquidum suppeditant: ut 1°. *Oleosa* omnia *blanda*, lentè deglutita. 2°. Omnia quæ, specie *blandi Vaporis*, in Pulmones cum Aëre recipi possunt; ut Decocta Farinacea & Emollientia: huc etiam referuntur Emulsiones, Linctus, Syrupi, Succi inspissati; imprimis verò talia parata ex Amygdalis dulcibus, Seminibus Papaveris albi, Seminibus quatuor Frigidis majoribus, & minoribus, Nucibus Coquo, Juglandibus, Avellanisque recentissimis, & Pistaciis; ex quibus Oleum, vel expressione, vel in Emulsionibus, educitur. 3°. *Arteriacorum* omnium princeps est *Opium*; quod quidem, titillationis sensum auferendo, Tussim sedat: hâc autem sedatâ, Liquores in Arteria-Trachea & Bronchiis se-

(a) Idem, Libr. 7. *de Compos. Medicam. sec. Loc.* Cap. 1. Vide sis etiam Casp. Hoffmann. *Instit. Med.* Libr. 2. Cap. 13. Sect. 2.

creti, ibidem commorantur, eademque lubricantes, acrimoniam tollunt. *Arteriaca* proinde ſunt omnia illa quæ *Tuſſim* compeſcunt.

CAPUT V.

De Thoracicis.

1. PUlmonum Functio duplex eſt; ſcilicet *Reſpiratio*, & Sanguinis *propulſio* in Ventriculum Cordis ſiniſtrum. Quæcunque porrò duas haſce Functiones promovent, *Thoracica* ſolent appellari: ſed reverâ vix ulla dantur *Thoracica Specifica* propriè ſic dicenda; ea quippe omnia quæ hoc nomine donantur, ſimili planè ritu agunt ac alia Medicamenta, nimirùm, attenuando, inſpiſſando, ſtimulando, &c. Sic enim Hyſſopus, Majorana, Pulegium, Scordium, Sulphur, &c. quæ *Thoracica* vocantur, attenuando ſolùm operantur; tùm verò pro *Thoracicis* habenda ſunt, quum Sanguis Venoſus adeò viſcidus eſt, ut per Pulmones vix fluere poſſit: ita quòque Pulmonaria optimum eſt Remedium *Pulmonicum*, quando Sanguis nimis acer & velox demulceri ac inſpiſſari debet.

2. Si quicquam autem pro vero *Thoracico* ſit habendum, *Aër* ipſe eſt illud, quatenùs ſcilicet *Vaporibus* quibuſdam imprægnatus intra Pulmones recipitur: itaque, 1°. Quando Lympha nimis tenuis & acris ex Vaſis Lymphaticis nimiùm laxatis in Pulmones dilabitur, ut in Coryza, tum *Suffumigia* ex Maſtiche, Thure, Benzoë, ſunt optima Pulmonica. 2°. Si adſit Exhalatio quædam alcalina, & calefacientis acrimoniæ, ut in Peſte, Variolis, ac Febribus malignis, tunc verum Pulmonicum eſt *Vapor* Aceti Vini Rhenani, vel Pulveris Pyrii, per Arteriam-Aſperam exceptus. Ubi Spiritus Vitrioli, aut Aquæ-Fortis effluvia Pulmones invadunt, (unde ſæpenumerò Peripneumoniæ graves, & Aſthmata fiunt) optimum Pulmonicum eſt Urinæ putrefactæ *Vapor* ſtatim Ore receptus; à quo quidem Vapore ipſum acidum Pulmones infeſtans convertitur in Sal Volatile innoxium. 4°. Si materia ſpiſſa & acris Pulmones occupet, eorumque meatus infarciat, optimum Pulmonicum eſt *Vapor* Aquæ calidæ cum pauxillo Salis Tartari & Urinæ admiſto, ut & cum Herbis laxantibus & ſtimulantibus. 5°. Quando nimia Siccitas atque lenta Craſſities ineſt, tunc temporis di-

luendum est per *Vaporem* Aquæ tepidæ; applicando nimirùm ægri Naso Spongiam eâdem Aquâ madefactam; simul & ipsi præcipiendo, ut inspiret per Nasum, expiret verò per Os.

CAPUT VI.

De Cardiacis.

1. *Cardiacorum* historia difficilis est admodùm; quoniam imprimis id quod uni Cardiacum est, idem sit alteri Venenum. Jam verò *Cardiacum* vocamus illud quod Vires *Corporis* potiùs quàm *Cordis* auget: hanc autem distinctionem facimus, quia augeri possunt Vires Cordis in sanitatis detrimentum; etenim in Febre inflammatoria si Vis Cordis augeatur, inde sequetur Corporis debilitas, cui succedere poterit mors ipsa.

2. Per *Vires* autem intelligimus Potentias Corporeas, quæ Musculos & Liquida movent: hinc *Vires* sunt duplices, nempe, *animales*, & *naturales*. Itaque *Cardiacum* est propriè *quicquid auget Vim animalem movendi Musculos, & Vim naturalem movendi Liquida.*

3. Vis animalis movendi Musculos omninò pendet à Spirituum Animalium in Cerebro debitâ secretione; atque hæc à debito Liquidorum per Vasa motu. Ad hunc verò motum requiritur, 1°. Ut Cordis *vis contractilis* Liquidum ita pellat, ut ejusdem adsit *copia* sufficiens in qualibet Corporis parte. 2°. Ut Vasa *apta* sint ad Liquidum transmittendum. 3°. Ut Liquida sint *meabilia*, sive ad fluendum idonea.

4. Hinc etiam ad *tres* Classes sequentes *Cardiaca* reducimus.

I. Classis continet ea quæ in *Spiritus Animales* agunt, 1°. Materiam iis producendis *aptam* præbendo: hæc autem materia proximè accedit ab Albumen Ovi (*a*); siquidem homines ii observantur esse robustissimi, quorum Serum ad Albumen Ovi proximè accedit: unde quidem patet, originem Spirituum Animalium esse ab Alimentis ita mutatis, ut proximè ad Albumen Ovi accedant,

(*a*) Confer GUILIELMI HARVEI Exercitationes *de Generatione Animalium*, Exercitat. XII, XXXVII, & LX, ubi agitur de *Albumine Ovi*, nec non Exercit. LVIII, ubi sermo est de *Nutritione Pulli in Ovo*; simulque MARCELLI MALPIGHII Tractatum *de Ovo Incubato*, ut & Tractat. *de Formatione Pulli in Ovo*.

ita verò per Circulationem attenuatis, ut ad Ignem concrescant. Porrò materiam Spirituum præbent maximam Cibi Potusque leves ac nutrientes, sapore vel ipsis infantibus grato, similique odore præditi: ut sunt Lac, Juscula Animalium sanorum diluta, Vina imprimis odorata, Cerevisiæ bene fermentatæ, Fructus Horæi maturi, grati & odorati; sicut Uvæ maturæ, Ribesia, Cerasa, præcipuè nigra, Mora, Poma, Melones, Mala Persica, Aurantia, &c. 2°. Spiritus in hunc illum-ve Musculum divagantes *determinando* in Cerebrum ac Cerebellum: istud verò faciunt omnia Antispasmodica, suffocationes hystericas & hypochondriacas tollentia; quæ quidem omnia operantur vel stimulando, vel attrahendo, vel laxando. 3°. Spiritus quiescentes *exsuscitando*: hoc præstant cuncta sapore & odore grato donata; ut Aromata quævis, præsertim Orientalia balsamica; scilicet, Cinnamomum, Nux Moschata, & Macis, Caryophylli, Zedoaria, Galanga, &c. item Cortex Aurantiorum, Citri Chinenses, gratus odor Pomorum Granatorum, Abrotanum, Melissa, Thymus, Lavandula, Rosæ, Jasminum, Lilium Convallium, Lilium album, Grana Kermes, Crocus,

&c. Huc etiam pertinet Opium (*a*); item huc ſpectant omnia Vina generoſa, Spiritus Vini, Sales Volatiles Alcalini Oleoſi, aromatici, & omnes Compoſitiones ex his factæ; Olea cuncta aromatica Eſſentialia, Tincturæ, Elæoſacchara, Syrupi, & Confectiones hujuſmodi.

II. Claſſis continet illa quæ in *Vaſa* agunt, ea nimirùm tranſmiſſioni Liquidorum apta reddendo: talia verò ſunt 1°. Quæ Vaſa plùs æquo ſtricta *laxant*; ſicut Balnea, quæ quidem hoc ſenſu *Cardiaca* dici merentur. 2°. Quæ Vaſa nimis laxa *roborant*, iiſque elaſticam vim deperditam reſtituunt; qualia ſunt Auſtera omnia: itaque Cortex Peruvianus, Poma Cydonia, Chalybs, Vinum auſterum, &c. munus *Cardiacorum* obeunt in iis quibus Vaſa inertia & flaccida ſunt; iis autem qui ſtrictis donantur Vaſis lethalia evadunt: ſic igitur, in Morbis laxiſſimis Virginum, Chalybs optimè

(*a*) Quatenùs ſcilicet *attenuando* Sanguinem, modò rectè adminiſtretur, Spiritus animales quieſcentes *exſuſcitat*. De hac autem *Opii* attenuatrice virtute, conferri omninò merentur Argumenta & Experimenta clariſſimi FREIND, *Emmenolog.* Cap. ult.

conducit; verùm idem in Morbis Acutis, ubi Vasa sunt constricta, skirrhos insanabiles aut mortem arcessit.

III. Classis includit illa quæ in *Liquida* circulantia operantur, scilicet ea vel *diluendo*, vel *incrassando*, prout nimis crassa, nimiùm-ve diluta sunt: jam verò si Liquida diluenda sint, vix melius datur *Cardiacum*, quàm Aqua moderatè calida.

CAPUT VII.

De Carminantibus.

1. C*Arminare* significat demulcere *Carminibus*: Veteres enim existimabant, Poëtas, ope suorum *Carminum*, demulcere posse Dolores & Motus nimis vehementes; hinc *Poëseos* æquè ac *Medicinæ* inventor habitus est Apollo.

2. *Carminans* autem propriè est illud, *quod Flatus unà cum Doloribus Intestinorum tollit.* Quapropter explicaturo vim Medicamenti *Carminantis* inquirendum est, quomodo *Dolor* & *Flatus* in Intestinis simul occurrant, ac unde generentur.

3. *Dolor* in genere oritur à *distractione*

nimiâ Fibræ ſenſilis (*a*): *Flatus* verò ſupponit hærere in Inteſtinis materiem liquidam *elaſticam*, calore rarefactam, & per *vim* aliquam ibi retentam, quæ tandem, hâc *vi* ſuperatâ, magno cum impetu erumpit.

4. Materies hæc liquida *elaſtica* eſt *Aër* ipſe, qui quidem erumpit vel ſupernè, vel infernè, atque ruit per Inteſtina nunc in hanc, nunc in illam partem; unde fiunt Borborygmi: adeòque *Flatus* in Morbis dantur triplices, nempe *Ructus*, *Crepitus*, & *Borborygmi*.

5. Hæc autem materies *elaſtica*, ſcilicet Aër, ingreditur in Corpus per Oeſophagum, & per Inteſtina tranſit, unde, modò ibidem non coërceatur nec calore rarefiat, abſque Doloris & Flatuum productione per Anum exit; ſi verò coërceatur, tunc horrenda creat ſymptomata: porrò coërcetur, vel ab externa vi comprimente, prout in Virginibus Abdomen ſibi valdè comprimentibus ſæpiùs obſervatur; vel à Fibrarum contractione, ut in ſpaſmis Fibrarum Inteſtinalium ſive primarum Viarum contingit: ita Sphincter Oeſophagi ſeu Gu-

(*a*) Super hac re vide plura in PARTE I. CAP. VI. *de Solventibus, ſive Dolorem cientibus.*

læ ſæpe contrahitur ſpaſmodicè, ut in Hyſtericis; hinc Aër ibidem includitur, rarefactus verò Oeſophagum vehementer extendit; unde tunc Aſpera-Arteria comprimitur, atque ſic oritur ſuffocationis metus; imò reverâ, pro momento, quandoque ſuffocantur Hyſtericæ Mulieres: & hinc facilè ſatis explicatur, undenam in eis procedat Abdominis tumor. Hujuſcemodi conſtrictio nonnunquàm accidit circa Ventriculi Orificium utrumque, unde Stomachus admodùm diſtenditur: tale quid etiam fit, ſi ſpaſmus aliquis ſucceſſivè nunc hanc, nunc illam partem Oeſophagi occupet; indeque perfectiſſimus ſenſus *globuli* ad Gulam aſcendentis excitatur: idem quòque contingit, ſi Inteſtinalis Fiſtulæ pars aliquando conſtringatur. His autem omnibus Doloribus medetur *Flatus* expulſio.

6. *Carminativa* ſunt igitur ea quæ *ſpaſmos* ejuſmodi tollunt; unde fit ut *Carminantia* ſint Medicamenta Laxantia & Aperientia: hinc igitur Aqua moderatè calida, affatim epota, Olea ſimiliter calida, Spiritus Volatiles Oleoſi, Antiſpaſmodica omnia, Motus externi, Balnea, & Fomenta huc pertinent; omnium verò ſummum eſt Opium.

7.

7. *Spasmorum* autem dictorum in primis Viis *causæ* sunt, 1°. Morbi nonnulli qui Liquidum Nervosum magis ad unam quàm ad aliam partem determinant. 2°. Venena, sive acria Ingesta; quæ quidem tormina, flatus, & tumores violentissimos frequenter excitant, eosque sæpe tantos, ut Intestina inde crepent: etenim si vis caustica sese applicuerit alicui parti Intestinalis Fistulæ, illa se contrahet & constringet; unde Liquidum elasticum includetur, calore rarefiet, atque Dolores excitabit, Spiritibus interim ingenti copiâ ad locum dolentem (ut in omni Dolore fieri solet) ruentibus; hinc orietur contractio violentior. Hoc igitur in casu *Carminantia* sunt ea quæ vel *Venenum* extinguunt, vel *pressionem* & *fluxum* Nervosi Liquidi versùs affectam Partem imminuunt; ut Opium, omniaque Opiata, quæ verò tunc temporis eâdem ferè ratione operantur ac Venæ-sectio in Inflammatione, impetum scilicet minuendo.

8. *Carminantia* porrò *calida* agunt quatenùs stimulant, motumque excitant per totum Intestinorum tractum; unde quidem contractio, & Aëris interceptio tolluntur.

CAPUT VIII.

De Anthelminthicis.

1. Vermes græcè dicuntur Ἕλμινθες; hinc *Anthelminthica* vocantur ea Medicamenta, *quæ Vermes seu Lumbricos, aut necant, aut expellunt.*

2. Loci verò in quibus præcipuè nidulantur ac repunt Vermes, sunt Ventriculus & Intestina omnia (rarò tamen adsunt in Colo, nisi dùm per hoc Intestinum transeunt): hos autem locos *Lumbricorum* esse latebras probat titillatio quam ipsi excitant in Stomacho & Intestinis, eorumque per Vomitum & sedes rejectio. (*a*)

(a) *Vermes* sunt Animalcula diversi generis, in Humano Corpore, ex Ovulis Insectorum genita. Quum enim varii generis Muscæ & Insecta, post fœcundum inter se coïtum, Ovula sua *spermatica*, plùs minùs-ve copiosè, in Edulia quàm-plurima, v. gr., Herbas, Flores, Fructus, alias-ve res esculentas aut potulentas deponunt; & hæ deinde res, dictis sordibus *spermatico-verminosis* inquinatæ, sive ab Hominibus immediatè comeduntur, sive à Brutis in Hominum escam cedentibus devorantur, tum

3. *Anthelminthica* porrò Medicamenta ad *binas* Classes sequentes reduci possunt.

simul hujusmodi Ovula in Hominum Corpora transmittuntur. Adde quòd Aërem ipsum, quem respiramus ac deglutimus, Insectorum Ovulis ubertim etiam scatere, Physicorum recentiorum experimentis jam satis innotuerit; unde quidem fit, ut id genus Ovula, tum simul cum Cibis & Potulentis, tum etiam cum Aëre deglutita, quinimò quandoque forsitàn cum aliis quòque *Vermibus*, qui in rebus continentur antèdictis, Corpori nostro ingesta, ibique blando Ventriculi, Intestinorum, aut aliarum partium fotu & calore vivificata, in Reptilia Animalcula convertuntur (quemadmodùm extra Corpus hoc etiam evenit), idque longè magis & frequentiùs in tenellis Puerorum, quàm robustioribus Adultorum *stomachis* & *visceribus*. Ejusmodi porrò *Vermes* in diversis hinc Corporis Humani partibus gigni observantur: quippe deprehensi sunt profectò non tantùm in Ventriculo, & Intestinis, sed quòque sat frequenter in Hepate, Renibus, Vesica, Pulmonibus, Pericardio, Cerebro, Dentibus cavis, &c. Quin etiam, in imis Ossium Cavitatibus, Chrysalidum seu Nympharum exuvias detexit celeberrimus RUYSCHIUS: (confer ejus *Adversar. Anatom.* Dec. III. pag. 18. & seq.) Idem porrò clarissimus AUCTOR notandum esse dicit alibi, (scil. in *Adversar. Anat.* Dec. I. pag. 18.) " quòd in Humano " Corpore generentur *Vermes* tam diversâ

I. Classis continet ea quæ, utì docet experientia, *Vermes necant*: qualia sunt,

,, formâ discrepantes inter se, ita tamen ,, differentes ab omnibus aliis in Natura ,, rerum unquàm repertis, ut nusquàm iis ,, similem ullum conspicere detur extra ,, Corpus Hominis; quorum interim non- ,, nulli in plurimarum exporriguntur ulna- ,, rum longitudinem. Hos igitur non ex ,, Ovulis *deglutitis* originem ducere, sed po- ,, tiùs in eodem Corpore natos, ex Ovis simul ,, in nobis *generatis* cum reliquis Corporis ,, nostri partibus, verisimile admodùm esse ,, putat.,, Istud verò quadrat ad sententiam Hippocratis, compluriumque magni nominis Physicorum, ac imprimis expertissimi Medici Parisiensis Nicol. Andry, qui de *Vermibus in Humano Corpore genitis* egregium Tractatum idiomate Gallico conscripsit. Jam verò quomodòcunque nascantur *Vermes* in nobis, omnium frequentissimè deprehenduntur illi de quibus sermo hîc loci habendus est, qui quidem in Intestinis sæpissimè, & in Ventriculo nonnunquàm latitant. Horum autem à Medicis *tres* vulgò distinguuntur species; nimirùm (1) *Lumbrici Teretes*, græcè Ἕλμινθες Στρογγύλαι. (2) *Lati*, græcè Πλατεῖαι, aliquando Κειρίαι, item Ταινίαι, i. e., *Fasciæ*; unde & *Fasciati* quòque nuncupantur, ex eo quod *fasciolam* seu *vittam tenuem* exactè referant, exceptis Capite & Caudâ, quæ in acutum desinunt. (3) *Minuti*, græcè Ἀσκαρίδες, quod nomen iis unicè tribuit Galenus in *Exegesi*. Porrò *Lumbrici Teretes* omnium frequentissimi

10. *Olea* cuncta immediatè *Lumbricis* applicata; quæ quidem, omnes eorum

sunt ac notissimi, & in tenuibus potissimùm Intestinis, copiosô plerùmque numerô, generari solent, unde sæpe in Ventriculum ascendunt, & per Os quandoque, ac etiam per Nares, rejiciuntur, quanquàm sæpiùs per vias inferiores, modò vivi, modò extincti, deturbentur: Infantibus autem admodùm sunt familiares. Cæterùm *præsentiam* Animalculorum hujusmodi in Pueris haud ita facilè semper cognoscere datur; quandoquidem Signa & Symptomata, quæ ab eis producuntur, plerùmque sint cum aliis Morbis communia. Verùm tamen *Morsicationes*, *Rosiones*, atque *subita & intermittentia Tormina Ventris*, *præsertim jejunô Stomachô*; aliqualis dein *Macies*, *Faciei Pallor*, *Cavitas circa Oculos*, *Inquietudines nocturnæ*, & *Insomnia gravia*, *Fricationes* Narium *frequentes*, *Fœtor ex Ore prodiens*, *Tussicula sicca*, quandoque cum *Dyspnœa*; subinde etiam *Febricula Lenta non sine Siti*, *Horrores*, *Cephalalgiæ*, *Cardialgiæ*; interdùm *Animi Deliquia*, *Tumor & Tensio Abdominis*; *Singultus*, *Nauseæ*, *Vomitus*, *frequens ad Ventrem Manuum admotio*, *Cessatio Torminum post Cibi ingestionem*, *Voracitas nimia*, *Dejectiones colore griseo infectæ & argillæ dissolutæ similes*, *Urina* denique *cruda & turbida*, *ferè instar Lactis*, Signa solent esse horum *Vermium* latentium: quamvis tamen hæc omnia quandòque varia admodùm existant; nullum est enim adeò peregrinum Symptoma, quod à *Lumbricis* interdùm non

Tracheas obstruendo, brevî eosdem interimunt: hinc ergo bibatur Oleum,

oriatur, uti quidem testantur Practicorum Observata. Jam verò si *Prognosin* spectemus, *Vermes* aliquando diutissimè in Humano Corpore possunt hospitari, sine notabili noxa aut molestia: verùm tamen sæpe contingit, ut inde sævissima producantur Symptomata; sicuti *Fames Canina, Sopor, Delirium, Febres Continuæ, Lentæ*, atque *Hecticæ*, imò non rarò illæ quas *Malignas* appellitant, unà cum *Motibus Convulsivis* & *Epilepticis lethalibus*; vel Intestina aut Stomachus *perterebrantur* à *Lumbricis*, indeque *mors* subsequitur: verbô dixerim, gravissima quæque Symptomata hinc oriri possunt. *Vermes Lati* omnium rarissimè occurrunt; siquando verò, tunc temporis hoc Signum est *peculiare* cum aliis *communibus*, quòd simul cum Fæcibus Alvinis prodeant corpuscula *Cucurbitæ Seminibus* analoga (quæ quidem *Lumbricorum Latorum* videntur Excrementa esse): horum autem longitudo ad plures ulnas sæpiùs extenditur; nec etiam numerosi in Intestinis adsunt, sed unicus ut plurimùm (qui verò proptereà *Solium* audit), vel bini quandoque ibidem hospitantur. Cæterùm, si quis de hisce *Vermibus* plura voluerit, adeat AUTHORES qui de hoc expressè egerunt argumento, præsertimque DAN. LE CLERC, *Histor. Latorum Lumbricorum.* Ultimò breves illi ac minuti *Vermiculi*, quos *Ascarides* vocitant, numerosissimi & acervatim in Intestino Recto gigni & congregari solent;

vel ſpecie Clyſmatis injiciatur ; ita quippe[clariſſimus AUCTOR noſter]ho-

atque, magnitudine & craſſitie, imò totâ ferè figurâ ſuâ, *acubus* ſimiles exiſtunt: hi porrò ſimul cum Excrementis vivi ex Ano protruduntur ; Infantibus verò Puerisque valdè ſunt familiares, & Adultis etiam aliquando: Signum autem pathognomonicum infeſtantium *Aſcaridum*, eſt *Pruritus in Podice vix tolerabilis, cum frequenti moleſtoque Teneſmo* ſeu *deſidendi cupiditate* ; quin & interdùm ita vehementer Ægros torquent iſti puſilli Carnifices, ut *Syncopen* inducant; etiamſi tamen gravia Symptomata, ut alii, vixdum creare ſoleant: Cæterùm de methodo hujuſcemodi *Vermes* enecandi & expellendi, conferendus eſt imprimis FULLER, in *Pharmacop. Extempor. Reform.* titulô de *Enem. Amar.* pag. m. 101. 102. 103. Hæc verò de *Lumbricis* hactenùs dicta ſufficiant. Qui plura cupiet, conſulat (præter NICOL. ANDRY, & DAN. LE CLERC, in Tractat. ſuprà laudatis) AUCTORES varios, qui quidem de hoc argumento egerunt quàm-plurimi: ſcilicet, (α) Hiſtoriæ Naturalis Scriptores; ut imprimis ULYSS. ALDROVANDUS, (Libr. VI. *de Inſectis*, Cap. 2.) FRANC. REDI, (in *Obſervat. de Animalculis vivis quæ in Corporibus vivorum Animalium reperiuntur.*) &c. tùm (β) Hiſtoriarum Medicarum & & Obſervationum Collectores; præſertimque SCHENCKIUS, BARTHOLINUS, STALP. VAN DER WIEL, PAULLINUS, (in *Diſquiſit. de Morte Verminoſa*, licèt hic tamen aliena & inutilia multa, pro more ſuo, conſarci-


minem quemdam *Aſcaridibus* laborantem, omnibus aliis Anthelminthicis fruſtrà tentatis, ſolo Clyſmate ex Oleo diu retento, curavit, expurgatâ priùs leniter Alvô; quod quidem ſemper fieri debet. 2°. *Mellita* omnia; quæ verò agunt eâdem ratione: ſic igitur, poſt aſſumptum lene Purgans, jejunô Stomachô, (ut nihil obſtet) *Mel* epotum optimum eſt Anthelminthicum, ac imprimis pro Infantibus. 3°. Quæ, vulnerando, contundendo, pungendo, *Vermes* occidunt: ut Oſſicula Piſcium deglutita, Cornu Cervinum, Limatura Martis, & ſimilia *ſpiculorum* inſtar agentia; ſed hæc rarò Inteſtina tenera relinquunt intacta. 4°. *Venena* Inſectis hiſce dicata: ſicut Mercurius ita præparatus, ut per Inteſtina ſolummodò tranſeat, non autem in Vaſa Lactea penetret; talis præparatio eſt Æthiops Mineralis pulveriſatus, & cum leni Purgante datus: item Vitriola Metallorum, ut Martis, Veneris, Lunæ, ſi, Pilularum ſpecie, additô le-

net), Hildanus, Forestus, Tulpius, &c. quibus addenda ſunt *Acta Regia Pariſina*, & *Londinenſia*, *Ephemerides Naturæ Curioſorum*, &c. (γ) Denique de *Morbis* qui à *Lumbricis* oriuntur cognoſcendis & curandis, conſulantur optimi quique Practici.

ni

ni Purgante, ſumantur, ac per Alvum determinentur.

II. Claſſis complectitur ea quæ *Lumbricos expellunt*: qualia ſunt omnia *Purgantia* & *Vomitoria*, quæcunque fuerint ſine ullo diſcrimine, dummodò vacuô Ventriculô ſumantur. *Amara* autem illa quæ tanquàm *Anthelminthica* commendari ſolent, & hoc inſigniuntur nomine, caſu tantummodò proſunt; quando ſcilicet Inteſtinales Fibræ debiliores ſunt, quàm ut *Vermium* nidos expellant; Lumbricos verò neutiquàm occidunt hæc Amara. Notandum eſt porrò, non parùm eos hallucinari qui dicunt, neminem à *Vermibus* liberari poſſe, niſi per Anum expellantur eo tempore quo necantur; cùm tamen, ſi modò necati ſint, brevî putreſcant, atque, ſpecie muci, exeant, adeò teneræ texturæ ſunt.



CAPUT IX.

De Anodynis.

1. ANodyna sunt ea Medicamenta; *quæ Dolorem in genere tollunt.* Hæc autem sub se complectuntur, 1°. *Paregorica*; quæ Dolorem auferunt demulcendo. 2°. *Hypnotica*; quæ Dolorem tollunt, Somnum conciliando. 3°. *Narcotica*; quæ Dolorem adimunt, Stuporem inducendo. 4°. *Nepenthes*; quod propriè significat Medicamentum *Dolorem auferens.* (a)

(*a*) Hoc igitur sensu *Nepenthes* Synonymon est *Anodyni*; ac proinde non videtur debere Classem peculiarem constituere. Porrò quid propriè fuerit *Nepenthes* illud de quo quidem tanta prædicat HOMERUS, *Libr. IV. Odyss.* pag. m. 47. non parùm profectò disceptatum est inter AUTHORES; quorum verò sententias afferre neutiquàm est hujus loci: sufficiat impræsentiarum pauca duntaxat hoc super argumento dissferere. Vox ista Νηπενθὲς componitur ex *particula privativa* νὴ, & πένθος, *luctus*; quoniam scilicet hoc Medicamentum *tristitiam* discutit, ac hilaritatem inducit; quippe quod (HOMERO teste) *Vino* Convivarum MENELAI, ad hunc producendum ef-

Cùm autem *Anodynum* ſit nomen generale, quatuor antèdictas Medicamen-

fectum, immixtum fuerit ab HELENA; quæ verò hujuſcemodi Pharmacum à POLYDAMNA Ægyptia, THONIS Conjuge, dono acceperat: hâc autem virtute præditum eſſe *Nepenthes* aſſerit POETA, *locô citatô*, ut quicunque deglutierit illud, malorum penitùs obliviſcatur, neque totâ illâ die flere poſſit, etiamſi Pater & Mater ei mortui fuerint, vel coram ipſo Filius trucidaretur aut Frater. Unde quidem conjicere licet, quòd per iſtud adeò decantatum HOMERICUM *Nepenthes* intelligendum ſit *Opium* ipſum, vel ex eo Compoſitio quædam; quum & hoc imprimis naſcatur in Ægypto (ubi dono datum fuerat HELENÆ); ac etiam facultate polleat Homines ipſi aſſuefàctos exhilarandi, & ex eornm animo metum diſcutiendi, prout exemplô TURCARUM, aliorumque Populorum Orientis abundè patet. Hinc porrò videntur CHYMICI vocem iſtam tranſtuliſſe ad Compoſitionem quandam Opiatam, quæ dicitur *Nepenthes Aureum* ANGELI SALÆ, & ab hoc AUCTORE deſcribitur in *Opiolog.* pag. m. 610; quin & ideò Laudanum Opiatum vulgare, *Nepenthes* audire ſolet in aliquot Medicorum Præſcriptis. Cæterùm, ſi quis de hac voce ipſiuſque ſignificationibus plura voluerit, conſulat imprimis Diſſertationem integram à CONRAD. BARCHUSEN habitam ſuper hoc argumento, quam verò ſuæ *Hiſtoriæ Medicinæ* annexuit; itemque CASP. à REJES, *Elyſ. Jucund. Quæſtionum Camp.*

torum Dolorem tollentium *species* complectens, hinc omnium primò præmit-

Quæst. II. N. 12. & Quæst. LXXXVIII. N. 13; nec non LANG. *Epist. Medic.* Libr. I. Epist. 56. ac Libr. III. Epist. 6; ut & Lexicographos, aliosque passim. Porrò de *Nepenthe Indorum* hodierno vide sis ENGELB. KÆMPFER, *Amœnitat. Exotic.* pag. 652. Hoc verò *Indicum Nepenthes* jam anteà descripserant GARCIAS AB HORTO, *Histor. Aromat.* &c. Libr. II, Cap. 25, & CHRISTOPHORUS ACOSTA, *ibid.* Libr. III, Cap. 53; qui dicunt, Pharmacum istud parari potissimùm ex specie quâdam Cannabis Indicæ, quæ (referente ACOSTA) dicitur ab Arabibus *Axis*, & à Turcis *Asarath*, à Persis autem, ut & ab Incolis Regionis Decan, plurimarumque aliarum Regionum, *Bangue* vocitatur. Planta verò hæcce videtur CLUSIO magnam habere affinitatem cum Turcarum Constantinopoli degentium *Maslac*; de quo conferatur WEDELIUS, *Opiolog.* Libr. II. f. 4. P. I. pag. 168. "Indi (inquit ACOSTA) „ foliis & semine vescuntur, cùm ut validiores in re Venerea fiant, tùm ad excitandam Cibi appetentiam. Fit ex hoc *Bangue* Compositio quædam, vulgaris admodùm usûs in iis Regionibus ad varios effectus: Etenim Magnates & Militiæ Præfecti, ut, laborum obliti, securiùs & liberiùs dormiant, seminis & foliorum, in pulverem redactorum, quantùm videtur, sumunt, illique addunt *Arecam* sive Avellanam Indicam viridem, & *Opii* nonnihil, pro arbitrio, ac omnia hæc *Sac-*

tenda ſunt quædam *de Dolore in genere* *THEOREMATA.*

THEOR. I. Corporis noſtri *fluidæ* partes non *dolent*, ſed *ſolidæ* tantùm; hæ verò quatenùs ex Nervis conflantur, & non aliter: Nervi porrò alii ſunt *aperti* cavique, alii *conſolidati*; prioris autem duntaxat generis Nervi Doloribus afficiuntur.

THEOR. II. In omni Nervo adhuc *vitali*, ſi conſideretur ejus *ultimum* Componens, occurrit ſolummodò Membrana *tenuiſſima*, ſimul & Liquidum in ea detentum coërcitumque: omnis autem Membrana *ultima* Nervoſa cujuſcunque Nervi, conſtat ex Fibris ſolidis & non cavis; quæ verò componuntur ex partibus incredibiliter exiguis ac minimis, ad ignem aut aquam vix mutabilibus; (ut iſtud in PROLEGOMENIS, CAP. IV, & CAP. V. §. I., explicatum eſt.) Porrò Liquidum ibidem contentum, eſt

„ *charo* excepta devorant: Si verò, in Somno, varias rerum ſpecies ſibi obverſari
„ cupiunt, his adjiciunt ſeleƈtiſſimam *Camphoram*, *Caryophyllos*, *Nucem Moſchatam*,
„ & *Macim*: Si autem hilares eſſe volunt
„ & faceti, ac præſertim in Venerem procliviores, tunc, *Ambrâ-griſeâ* & *Moſchô*
„ additis, omnia *Saccharô* excipiunt, & Eleƈtuarium faciunt.„

omnium tenuiſſimum, videlicèt, [ſi ulla quidem comparatio poſſit inſtitui] aquæ ex Liquido Albuminis Ovi productæ quodammodò ſimile

THEOR. III. Omnis igitur Dolor eſt *affectio* quædam vel ſolidæ Membranæ, vel oriunda ex Fluido contento, vel ex utroque.

THEOR. IV. *Cauſæ* omnes quæ Dolorem producunt, utut in Liquida agant, eaque mutent, nunquam Dolorem creare poterunt, niſi pro *effectu* talem habeant Liquidorum *mutationem*, quæ Solida afficiat.

THEOR. V. Omnis ergo Dolor pendet à *mutatione* quâdam *contactuum* in Solido *ultimi* Nervi, quatenùs adhuc Liquidum continet.

THEOR. VI. Dolor omnis fit ab actione quæ in *ultima* Fibra talem excitat *motum*, qui, ſi continuetur, vel augeatur, neceſſariò deſtruet iſtius Fibræ continuitatem; idque docent omnes quorumcunque Dolorum hiſtoriæ: hinc & omnis Dolor ingens, diu durans, habet, pro fine ſuo, rupturam Vaſorum deſtructionemque Partis; ſic ab Inflammatione *ſuppuratio* & *gangræna*, & à Dolore Nervoſo *inſenſibilitas* tandem oriuntur: *motu* itaque illô ſublatô, tollitur quòque Dolor.

THEOR. VII. Omnis *Causa* Doloris, quatenùs agit in *unam* Fibram, agit duntaxat vel trahendo, vel premendo, vel vulnerando; si verò in *plures* Tubum constituentes agat, tunc temporis considerari potest ut inflans & distendens huncce Tubum: quicquid igitur Dolorem creat, id operatur vel trahendo, vel premendo, vel distendendo, vel vulnerando.

THEOR. VIII. Tractio omnis, in Corpore sanissimo, Dolorem excitat *elongando* Fibras; utì quidem docent Carnificum torturæ.

THEOR. IX. Magnam à contentis Liquidis Vasorum distentionem, Fibras *elongando*, Dolorem inducere docet Historia Medica; hoc enim patet ex Tumoribus dolentibus, ubi, sublatô Tumore, cessat Dolor: notandum est verò quòd, licèt Vas distentum idem remaneat quoad longitudinem, attamen Fibræ laterum ab ista distentione *elongari* possint.

THEOR. X. Omnia *Vulnerantia*, propriè sic dicta, operantur vel pungendo, vel terebrando, vel secando: quamdiù autem agunt, Dolorem excitant *elongando* Fibras; simul ac verò effectum pro-

duxêre, cessat Dolor: hinc etiam *Nervus abscissus* nequaquàm dolet.

THEOR. XI. Ignem, & omnia *Acria* invisibilia, simili planè ritu, ac enumeratas Causas, agere, in *Acrium* historia probatum fuit.

THEOR. XII. Dolor in aliqua parte excitatus tollitur, 1°. Nervô *destructô* in parte ubi Dolor est: destruitur verò Nervus, quando Liquidum per eum ampliùs fluere nequit. 2°. Motûs Dolorem excitantis *interceptâ* communicatione cum Sensorio Communi. 3°. Cerebrô *ineptô* redditô ad communicationem Causæ *dolorificæ* recipiendam; utì patet ex Apoplecticis, & omnibus iis quibus Cerebrum, aliqua de causa, compressum est.

THEOR. XIII. Fibrillæ unius *ultimæ* Dolor *infimus* & *mitissimus* oritur à Motu, aliquantulùm majori *solitô*, Fibrillæ superinducto; cujus finis est Perceptio *gratissima*: quæ verò, quatenùs à miti vellicatione fit, dicitur *Titillatio*; quatenùs autem à rosione Liquidi contenti, vocatur *Pruritus*. Sic Odor gratissimus & Sapor, si diù ac vehementer percipiantur, Dolorem excitant: idem etiam in Sonis accidit.

THEOR. XIV. Fibrillæ unius *ultimæ* Dolor *summus* & *vehementissimus* oritur à diù continuata ejus *elongatione*, quàm proxima dissolutioni, sed tamen absque dissolutione.

THEOR. XV. Augmentum verò Doloris *summum* oritur à *numero* Fibrillarum simul affectarum; etenim duæ Fibrillæ sic affectæ non tantum excitant Dolorem, ac si plures simul affectæ essent.

2. Ex dictis igitur manifestum est, quòd omnis Dolor oriatur à *distractione* sive nimia Fibrarum *elongatione*: quæ quidem, si ab externa Causa procedat, tolli potest ablatione istius Causæ; [si verò ab interna Causa fiat, examinandum est priùs qualis hæc sit, ut Dolorem tollere valeamus.] Jam verò nimiæ *distractionis* Causæ internæ ad 5 reducuntur; ac proinde totidem sunt Classes Medicamentorum *Anodynorum* ejusmodi Causas tollentium.

3. Hæ porrò Causæ sunt, 1°. Nervi alicujus *semi-laceratio*: etenim pars illa Nervi *semi-lacerati*, quæ manet illæsa, multò majorem impetum seu contractionem sustinet, quàm in statu sano Nervi; unde sequitur ejusdem *distractio*

ſeu *elongatio*. Supponamus, ex. gr., A B Nervum eſſe con-



ſtantem ex *tribus* Fibris, quæ, dum integræ & illæſæ ſunt, ſuſtinent ſimul omnem illam vim quâ Nervus conatur ſe contrahere, ac versùs puncta A B, quibus affigitur, reſilire: Si jam *una* ex iſtis Fibris rumpatur ad C, reliquæ *duæ* totam vim ſuſtinebunt, quæ quidem à *tribus* anteà ſuſtenta fuerat: hinc verò Diſtractionem & Dolorem neceſſariò patientur. 2°. *Inflatio* nimia à Spaſmo. 3°. *Diſtentio* nimia ab aliquo Obſtruente, & Vi Vitali urgente. 4°. *Diſtentio* nimia ab Acri impacto, & Vi Vitali urgente. 5°. *Diſtractio* Nervorum ab Elatere proprio ſupra corpus aliquod durum & impactum, ut ſupra Calculum in Uretere.

4. Cauſam primam auferunt, 1°. Integra *diſciſſio*, vel *uſtio* Nervi *ſemi-lacerati*: hoc igitur ſenſu, Cultelli, Ignis, & Cauſtica Potentialia ſunt magna *Anodyna*. 2°. Partium *laceratarum* ad ſe mutuò *adductio*: nam in ſummis Doloribus hæc ſæpenumerò mirè juvat, utì docet experientia. Muſculus enim *vulneratus* dolet quamdiù hiat; partibus verò

ad ſe invicem adductis, ceſſat Dolor: huc ergo pertinent Suctiones, Ligaturæ, Suturæ. 3°. Nervi totius *emollitio* & *laxatio*; quæ quidem efficit, ut partes illæſæ Nervi, abſque Dolore, in longum protendantur: huc itaque ſpectant omnia *Laxantia* & *Emollientia*; qualia ſunt, (1) Aqua calida. (2) Poſca levis, ſcilicet ex una Aceti & tribus Aquæ partibus. (3) Decocta Emollientia farinacea, ſuboleoſa, eaque, ſpecie Emplaſtri, Fomenti, Vaporis, Cataplaſmatis, aut Balnei, applicata. (4) Hauſtus largus ex ſimilibus paratus. (5) Balſamica omnia leniſſima; ut Balſamum Peruvianum, Gummi Elemi, Terebinthina, &c., Ovi Vitellô ſoluta, & applicata ut ad locum affectum penetrent. (6) Animalium recèns occiſorum partes calidæ applicatæ; ita quippe ſummum habetur *Anodynum*, ſi, v. gr., Brachium læſum indatur in Abdomen Animalis recenter mactati. 4°. Denique prima Cauſa tollitur, ſi partes Vulneri vicinæ ita mutentur ab aliqua re, ut *dureſcant* atque *reſiliant*, & hôc pactô minutas partes *ſemi-laceratas* perfectè *ſolvant*: talem verò partibus Vulneri vicinis mutationem inducunt Oleum Terebinthinæ & Alcohol Vini calidè affuſa, & ſimilia;

quæ quidem, inter agendum, maximum semper Dolorem pariunt. Porrò si alicubi, profundè in Corpore, oriatur Dolor à *semi-laceratione*, nulla spes est curæ, nisi, auctô Dolore, tandem integrè *solvantur* Nervi læsi: sic enim, si talis Dolor in Ligamentis hæreat, auferri nequit, nisi destruatur Nervus, quô peractô, statim cessat Dolor; hinc in Podagra *tophacea* nullus ferè Dolor adest.

5. Causam secundam auferunt ea quæ *Spasmi* causam tollunt: *Spasmi* verò causa, vel in Cerebro, vel in Nervo, vel in Villo Musculoso, hæret; eaque semper est vel Acre *irritans*, vel Spirituum Animalium *inæqualis* determinatio: summa proinde in hisce casibus Remedia sunt, 1°. Potus attenuantes & diluentes, huic Acri quod *irritat* oppositi, copiosè quidem assumpti. 2°. Motûs Liquidorum augmentum.

6. Tertiam Causam tollunt, 1°. Ea quæ *Acre impactum* corrigunt; mutando scilicet figuram ejus acutam in obtusam: istud verò fit, (α) Acre cum aliis particulis componendo; (β) ejus acumen, vel Coctione, vel Suppuratione, frangendo; (γ) idem per Demulcentia involvendo. 2°. Illa quæ *Acre impactum* educunt: qualia sunt, (1) Quæ vias la-

xant; hinc dixit HIPPOCRATES, omne Dolens ab Acri laxandum esse. (2) Quæ diluunt Liquida. (3) Quæ determinant foràs: Confer PART. III. CL. III. CAP. VIII. *de Attrahentibus.* (4) Quæ *Acre impactum* ad quietem deducunt: id autem 4 modis ad quietem componitur; scilicet, (α) Liquidorum circulantium, & Solidorum contractilium impetum minuendo; nisi enim à vi contractili Solidorum, & à vi projectili Fluidorum comprimeretur *Acre infixum*, Dolorem utìque non produceret: Contractio autem in Solidis minuitur laxando: Impetus verò minuitur in Fluidis, propiùs ad statum mortis ducendo, sive ad mortem appropinquando; hinc etiam omnis Dolor paulò ante mortem desinit: Vide PART. II. CAP. IX. *de Sistentibus.* (ϐ) Impetum aliorsùm determinando: Confer CAP. *de Attrahentibus.* (γ) Animi Deliquia excitando. (δ) Causas externas *Acre* per se iners, actione suâ, excitantes (quales sunt calor & motus Partis) tollendo.

7. Quartam Causam auferunt ea quæ *Vasa* laxant, *infarctum* resolvunt, & *vim projectilem* Liquidorum imminuunt: huc itaque pertinent Venæ-sectio, Evacuatio quæcunque magna, nec non Re-

media Incidentia, Attenuantia, Refolventia, & Diluentia; utì Balnea, Fotus, &c.

8. Quintam Caufam tollunt, 1°. Omnia illa quæ *primam* auferunt. 2°. Quæ, leniter lubricando, refolvendo, & ftimulando, *impactum* movent, & propellunt. 3°. Quæ iftud *impactum* determinant ad locum ubi minimè nocere poffit: Vide Cap. *de Attrahentibus.*

9. Porrò fi Dolor fit *ingens*, ejus verò caufam tollere non valeamus, tum Dolor fui ipfius medela fit, fcilicet Hominem deftruendo: verùm tamen quædam extant quæ, licèt Doloris caufam non auferant, nihilominùs ejus fenfum imminuunt; talia verò funt *Hypnotica* five *Soporifera.*

10. *Hypnotica* autem omnia ad *duas* Claffes fequentes reduci poffunt.

I. Claffis continet quæcunque *Somnum* conciliant, Somni impedimenta tollendo: hæc verò impedimenta plerùmque funt Objecta externa, Dolores, Calores, Sudores, Corporis Morbi varii, Animique Pathemata; quibus fublatis, fponte fuâ fequitur *Somnus*: hâc itaque ratione omnia ferè Medicamenta, ut Diluentia, Refolventia, Incraffantia, Humectantia, Exficcantia, Calefacien-

tia, Refrigerantia, Acida, Alcalina, cæteraque innumera, & planè contraria, fiunt *Hypnotica*; prout hoc illud-ve Symptoma, quô impeditur *Somnus*, vel auferunt, vel mitigant: ſic enim Abſorbentia Terreſtria in Infantibus, propter Acidum, (quod in eorum Ventriculo ac Inteſtinis continetur) doloribus inter vigilandum affectis, ſæpenumerò Somnum producunt: ita quòque Roſa, Salix, Lactuca, Taraxacum, Endivia, Acetoſa, Melones, Pepones, Cucumeres, &c. extrinſecùs & intrinſecùs adhibita, in Morbis calidis *Somnifera* ſunt.

II. Claſſ. includit ea quæ *Somnum* producunt, ſupprimendo cauſas naturales *vigiliarum*, & imprimis impediendo fluxum Liquidi per Nervos: hæc autem ſunt triplicia; ſcilicet, 1°. *Mitia* & tuta. 2°. *Fortia* & periculoſa. 3°. *Mala* & ferè lethalia. *Somnifera Mitia* ſunt illa quæ Somnum naturalem, levem, & facilè ſolvendum conciliant: talia ſunt Crocus, Papaveris Rhœados omnes partes, utì ſemen, folia, capita, ſuccus; itemque Papaver album, Cynogloſſum in omnibus ſuis partibus, Solanum Officinale, ac *Somniferum* illud blandum Herba Paris dictum, &c. *Fortia* ſunt illa quæ Somnum inducunt coactum, pro-

fundum, & vix excutiendum, unà cum summo stupore; [hæc verò, ut & sequentia, propriè *Narcotica* dicuntur:] huc autem pertinent Opium, Hyoscyami semen, &c. *Mala* sunt ea quæ producunt Somnum profundissimum, morte plerùmque terminandum; si verò excuti contingat, sequitur omnium Animi Facultatum depravatio: huc porrò spectant Hyoscyami utriusque folia, flores, fructus, radices, ac succus; nec non Stramonii semen, quod, ad ʒ ß sumptum, insaniam creat, & ad ʒ j est lethale (*a*); item Lolii

(a) *Stramonii fructu spinoso*, sive *Daturæ*, Semen in pulverem redactum, &, ad drach. ſs, in Potu exhibitum, *mentem* turbat ac alienat, *insaniam* quandam viginti quatuor horas durantem inducens. Miser qui Semen istud hausit, diù velutì *mente* alienatus remanet, aut ridens, aut ejulans, aut dormiens, plerùmque etiam cum altero colloquens, & ei respondens; ut interdùm quòque sanâ mente ipsum credas, tametsi mentis non sit compos, neque eum agnoscat cum quo sermones confert, & habiti colloquii planè sit immemor postquàm ad se rediit. Hinc etiam (ut refert Garc. ab Horto) Flos aut Semen *Daturæ* injicitur à Furibus in Cibos eorum quos deprædari volunt: quum enim *mente* alienentur, per aliquod tempus, quicunque Pharmacum hoc assumpserunt, hi sanè, magna cum libertate, sinunt quicquid libitum est desarina,

farina, Oxyſchœni ſemen (*a*), Solanum lethale Melanoceraſos aut Belladona dictum, Solani Pomiferi fructu rotundo C. B. ſeu Lycoperſici GAL. & ANGUILL. Fructus, ſive Aurea Mala (*b*),

prædari. Narrat quòque CHR. ACOSTA, Fœminas quaſdam Indicas hujuſcemodi Toxicum ita præparare noviſſe, ut *mentem* turbare poſſint ad certum horarum ſpatium, plùs minùs-ve, prout ipſis lubet: quin etiam (ut aſſerunt Itinerariorum Scriptores nonnulli) Mulieres adulteræ hôc dolò paſſim utuntur in Indiis, ut Maritos fallant. Plura vide apud GARC. AB HORTO, Libr. II. Cap. 24. & CHR. ACOST. pag. m. 301, & ſeq. vel. apud RAIUM, *Hiſt. Plant.* pag. 749. Vide ſis denique KÆMPFER, de quodam, apud Indos, *Electuario Magico* (utì vocat) ex *ſemine Daturæ, Opio, polline Cannabis Perſicæ*, aliiſque rebus confecto; de quo quidem ſe mira admodùm experientiâ didiciſſe narrat, *Amœnit. Exotic.* Faſc. III. Obſervat. XV. Sect. 3. pag. 650. Porrò ſimilis *Electuarii* Compoſitionem (at ſine *Daturæ* ſemine) refert CHRIST. ACOSTA, quam vide ſuperiùs in hoc CAP. pag. 460, & 461.

(a) *Oxyſchœnos* eſt *Juncus acutus capitulis Sorghi*, C. B. P. De viribus autem *Seminis* ejus confer DIOSCORID. & MATTHIOL. Libr. IV. pag. 732. *Edit.* BAUH.

(*b*) Verùm tamen hæcce *Poma*, Aceto, Sale & Pipere condita, hodie comedunt Itali ac Hiſpani: quin etiam *Mandragoræ* atque *Melongenæ* Fructus, licèt à multis

Nicotianæ Fumus nimiâ copiâ sumptus in non assuetis; Vinum etiam nimis copiosum, Spiritus ex eo producti, &c. (*a*)

Auctoribus ad istam classem referantur, impunè comedi posse asserunt nonnulli, ut Hernandez, Bellonius, &c.

(a) *Narcoticis* hujuscemodi validioribus accensenda supersunt adhuc aliquot *Venena*, quæ tùm *Narcosin*, tùm horrendas Convulsiones excitant; ut *Cicuta Major*, *Minor Petroselino similis*, & *Aquatica* Gesneri, (de quibus consulatur omninò Wepfer) aliaque id genus. Vim quòque maximè narcoticam, imò & deleteriam, habet *Croci* gravissimus diuque perceptus Odor; utpotè qui Cerebro adeò infestus sit, ut ipsam mortem arcessere valeat: cujus quidem rei memorabile tradit exemplum Petrus Borellus, *Observat.* Centur. IV. Observ. XXXV. pag. m. 303. Denique *Somnifera* Numeri *secundi* ad hunc *tertium* etiam pertinent, si nimiâ dosi sumantur, ut *Opium*, &c.





QUINTA CLASSIS

Medicamentorum in Solida et Fluida simul operantium.

CAPUT UNICUM.

De Antidotis.

1. *Antidotus* vel *Antidotum*, *Alexipharmacum*, *Alexicacum*, *Alexiterion*, & *Theriaca* idem denotant Medicamentum, ſcilicet illud *quod contra Venenum valet.*

[Jam verò priuſquàm de *Antidotis* agamus, quædam de *Venenis in genere* præmittenda ſunt *THEOREMATA.*]

THEOR. I. Venenum propriè vocatur id *quod Mortem* [*citiùs lentiùs-ve*] *inducit*, *vi quâdam ſingulari.*

THEOR. II. Mors inducitur *tollendo* Circulationem Sanguinis à Corde in Pulmones & Cerebellum, & ex iis rurſùs in Cor.

THEOR. III. Hæc autem Circulatio *tolli* poteſt, 1°. Vires motrices auferen-

do: 2°. Liquida corrumpendo: 3°. Vasa destruendo: 4°. Tria prædicta simul agendo.

THEOR. IV. Vires motrices *tolli* nequeunt, nisi Solida & Fluida *corrupta* sint. Liquida verò per se considerata peccare non possunt, (ita scilicet ut Vires motrices inde pereant) nisi in *coagulum* abeundo: Coagulum autem fit vel in Venis, per *assumpta*; vel in Vasis Pulmonalibus, per *inspirata*: Vide Part. II. Cap. VII. *de Coagulantibus.* Vasa porrò destruuntur, vel quatenùs ab acrimoniâ (contentis Liquidis per *Venena* superinductâ) *eroduntur*, vel quatenùs nimis *coarctantur*; qualis quidem coarctatio Vasis Pulmonalibus inducta contingit à Fumo Sulphuris, &c.

THEOR. V. Sic igitur quæcunque Vasa *minima* valdè *constringunt*, vel *erodunt*, externè aut internè applicata, vel quæ Liquida *coagulant*, sunt *Venena*: hæc autem si effectus hosce subitò producant, *Venena* dicuntur *celerrima*; si verò lentè operentur, tum etiam *lenta* audiunt. Quin & ex his plurima vim suam exerunt *perturbando* Motum Circulatorium, ut & Secretorium, Excretoriumque, nec non Spirituum Motum, Spasmos scilicet inducendo.

THEOR. VI. Hinc omnia *Venena ſimplicia* ad tres claſſes reduci poſſunt; nimirùm, (1) Ad ea quæ Vaſa *conſtringunt*, aut *erodunt:* (2) Ad ea quæ Liquida *coagulant:* (3) Ad ea quæ Motus antèdictos *perturbant*. Cæterùm, ex hiſce *ſimplicibus* Venenis facilè poſſunt erui *compoſita*.

2. Ex dictis igitur patet, quòd *Antidota* talia debeant eſſe quæ quidem vel Venenum *corrigant*, vel idem *expellant*, vel Vaſa *muniant*, vel Spaſmos *compeſcant*.

3. Jam verò *Antidota* quæ Venena *corrigunt*, operantur vel demulcendo, vel Coaguli vim tollendo, vel reſolvendo. Quæ *expellunt*, id agunt vel ope Circulatorii Motûs, (atque ſic Aqua calida, cum Aceto & Sale epota, propter Motum auctum & Sudores excitatos, antiquiſſimum eſt *Alexipharmacum*), vel attrahendo extra Corpus: vide PART. III. CL. III. CAP. VIII. *de Attrahentibus*. Vaſa porrò *muniuntur* per Blanda, Glutinoſa, Oleoſa, Saponacea: confer PART. I. CAP. III. *de Laxantibus*, nec non PART. II. CAP. IV. *de Demulcentibus*, ut & PART. III. CL. III. CAP. III. *de Emollientibus*. Impetum denique in Genere Nervoſo, ſive Spaſmos *com-*

pescunt omnia quæ recensuimus, simul & Opiata; hinc etiam *Theriaca*, *Diascordium*, cæteraque *Alexipharmaca* confici solent ex fortibus Sudoriferis, Gelatinosis, Demulcentibus, &c. ac Opiatis simul commixtis.

4. *Antidota* autem omnia ad *binas* Classes sequentes reduci possunt.

I. Classis includit Antidota *simplicia*. Hæc verò desumuntur, 1°. Ex Animalibus: ut *Carnes* omnium Animalium Venenatorum, eorumque *Sales*; item *Olea* per infusionem cum ejusmodi *Carnibus* præparata; nec non Venenatorum *Lapides* sive *Calculi* concreti: huc porrò spectant *Trochisci de Bufonibus* Helmontii, *de Viperis* Andromachi, atque *de Serpentibus*: sic etiam Itali *Olea Scorpionum*, *Viperarum*, *Serpentium*, *Bufonum*, *Ranarum*, pro summis habent Alexicacis. Pertinent huc itidem *Attrahentia* sive *Absorbentia*: qualia sunt *Lapis Bezoar* uterque, Orientalis nimirùm & Occidentalis, *Lapis Hystricis* sive *Pedra del Porco*, *Lacryma Lapidosa* (a), *Os*

(*a*) Per *Lacrymam Lapidosam* intellige Sordes illas, quæ in angulis Oculorum reperiuntur in *Cervis*, velutì Cera indurata, odoris gravis & penetrantis. De quarum facultate differens Matthiolus, in *Comment.*

Cervinum, *Oculi Cancrorum*, &c. 2°. Ex Vegetabilibus: ſcilicet ea quæ vel *adſtrin-*

ad Libr. II. DIOSCOR. pag. m. 290, ſcribit (ex mente SCRIBONII LARGI) " haſce Sor-„des, tàm hauſtas, quàm illitas, mirificè „præſtare ad Venenatorum Serpentium „*Morſus*; ideòque (SCRIBONIO teſte) illas „à Siculis Venatoribus diligenter colligi, „& quòcunque portari cum ipſis in cin-„gulo.„ SCHRODER itidem, in *Pharmac.*Lib. V. Claſſ. I. Art. 17. N. 7. pag. m. 283. eas ad plures Morbos maximè commendat: „Siccant, (inquit) adſtringunt, corrobo-„rant, Sudorem cient; ideòque, adversùs „Venena Morboſque Contagioſos, quàm „ſummè celebrantur, ut vel cum Lapidis „*Bezoar* viribus certare dicantur. Quin „imò proſunt hæ *Lacrymæ* quòque in Dif-„ficultate Partûs, adeò ut earum vis nu-„per adhuc ſit comperta in mortuo etiam „Fœtu expellendo. *Doſ.* gran. jjj, vel jv.„ Hæc SCHRODERUS. Ab aliis etiam Auctoribus, contra Venena Morboſque Venenatos, vocantur *Antidotum* pretioſis Regum Theſauris anteponendum: confer ZACUT. LUSITAN. *de Medicorum Principum Hiſtoria*, Libr. V. Hiſtor. XXIX, ſub finem, pag. m. 901. Tom. I. ubi refertur inſignis *Obſervatio* de hujuſce *Lacrymæ* (ad gran. jjj exhibitæ) maxima efficacitate contra Febrem valdè malignam: vide quoque FRIDER. HOFFMANN. *Clav. Pharmaceut* SCHROD. pag. 659; nec non GASP. à REIES, *Elyſ. jucundar. Quæſtion. Camp.* Quæſt. LXVII, pag. m. 537. Verùm tamen his omnibus ſi-

gunt, vel *aperiunt*, vel *demulcent*; ut Radices *Angelicæ*, *Anthoræ*, *Carlinæ*, *Contrayervæ*, *Dictamni albi* seu *Fraxinellæ*, *Hirundinariæ* sive *Vincetoxici*, *Serpentariæ Virginianæ*, *Tormentillæ*, &c. Folia *Abrotani*, *Cardui benedicti*, *Juglandis*, *Rutæ*; *Scordii*, Cortex & Fructus *Fraxini*, &c. ex quibus omnia Præparata optima sunt pro Alexipharmacis. 3°. Ex Mineralibus: scilicet omnia *Absorbentia*; ut *Boli*, *Terræ*, &c.

II. Class. continet Antidota *composita*: uti sunt *Theriaca Diatessaron* MESUE, (quæ quidem summè Diaphoretica & innoxia est) *Electuaria de Succo Rutæ*; *de Baccis Lauri*, *de Satyrio*, *de Ovo*; *Confectio Hyacinthi*, *Alkermes*: dein Antidota *Opiata*; ut *Requies* NICOLAI, *Philonium Persicum*, *Romanum*, &c. *Theriaca* ANDROMACHI, *Diascordium* FRACASTORII, ac SYLVII; nec non *Mithridatium*, & *Orvietanum*: hoc autem ultimum

dem denegat ETTMULLER, in SCHROD. *Dilucidat.* Part. I. Sect. III. pag. m. 221. ubi quidem asserit, "Veterum fabulam „ esse, quòd istæ *Lacrymæ* sint *alexipharmacæ* „ & *Bezoar*, illasque nihil valere & nullum „ esse earum usum.„ Cæterùm, quicquid de hac re sit, hodiè saltem illarum usus ubique ferè exolevisse videtur.

Magistrum


Magistrum suum fefellit; quum enim iste gloriaretur, se illius ope quodlibet Venenum internè sumptum debellaturum, atque, ex Medicorum præscripto, triginta grana Arsenici sumpsisset, *Antidoto* hocce suo non obstante, brevî mortuus est.

COROLL. Ex dictis patet, *Antidota generalia* nulla esse, [quin & repugnare talia dari;] sed Medicamenta evadere *Antidota*, quatenùs hunc illum-ve *diversum* effectum in Corpore nostro producunt. (*a*)

(*a*) De *Venenis*, eorumque *Antidotis*, plura & meliora vide in *Institutionibus Medicis* Clarissimi AUCTORIS nostri, *paragraph.* 1119. & *seq.* Porrò, super eodem argumento, uberrimè scripsit (qui quidem, inter Veteres, omnium instar esse potest) SANTES DE ARDOYNIS; cujus *Opus de Venenis*, unà cum *Commentariis* FERDINANDI PONZETTI, Cardinalis, editum est Venetiis, 1492. *in-folio*, deinde verò (ex *castigatione* & cum *Præfatione* THEODORI ZWINGER) Basileæ, 1562. *in-fol.* Inter Recentiores autem, super hac re, legi merentur imprimis quatuor doctissimorum Auctorum Tractatus; scilicet, (1) RICHARDI MEAD *Mechanical Account of Poisons, in several Essays*, i. e., *Mechanica Expositio Venenorum, in variis Tentaminibus contenta*; qui Liber evulgatus est *anglicè*, Londini, 1702. & 1708. *in-8°.* ac demùm in *linguam lati-*

am versus, impressusque Lugduni-Batavorum, 1737. *in*-8°. (2) JOHANNIS LINDELSTOLPE *Liber de Venenis*, cum *Animadversionibus*, &c. CHRISTIANI GODOFREDI STENTZEL, Francofurti, & Lipsiæ, 1739. *in*-8°. Hic verò Tractatus jam quidem anteà, nimirùm anno 1708, editus fuerat *in*-12°. Lugduni-Batavorum, ab ipso Auctore JOHANNE LINDER, Medico Sueco, (qui dein à Rege Sueciæ nobilitatis jure donatus, auctô nomine, LINDERSTOLPE, sive LINDELSTOLPE, vocatus est) sub hoc titulo, *De Venenis in genere & in specie Exercitatio.* (3) CHRIST. GODOFR. STENTZEL *Toxicologia Pathologico-Medica, sive de Venenis Libri tres*, Vitembergæ, & Lipsiæ, 1733. *in*-4°. Denique (4) JOHANNIS-JACOBI WEPFER *Cicutæ Aquaticæ Historia & Noxæ*, (ubi etiam de pluribus aliis Venenis Observationes exstant) Basileæ, 1679. & 1716. *in*-4°.

FINIS.



INDEX

RERUM ET VERBORUM.

A

C

E

G

H

L

M

N



Odor

Q

R

S

T

V

Finis Indicis Rerum & Verborum.





INDEX AUCTORUM

IN HOC OPERE

CITATORUM.

A

B

C

D

E

F

G.

H

I

K

L

M

Finis Indicis Auctorum.

DAVIDIS

ABERCROMBY,

DOCTORIS MEDICI,

NOVA MEDICINÆ,

TUM SPECULATIVÆ,

TUM PRACTICÆ,

CLAVIS;

SIVE

Ars explorandi Medicas Plantarum, ac Corporum quorumcumque, Facultates ex ſolo *Sapore*.

EDITIO NOVA,
Londinenſi emendatior.



PARISIIS,
Apud GUILLELMUM CAVELIER.

M. DCC. XL.




LECTORI BIBLIOPOLA.

QUandoquidem binas Epiſtolas, *quas, ad calcem præcedentis Tractatûs, ſemel atque iterùm tibi antehàc ſtiti, nullius ferè eſſe momenti, neĉ ad rhombum quidquam facere, monitus fuerim; ideò, harum loco, & pro* apophoretis, *egregium ac rarum hîc tibi jam offertur Opuſculum : quod quidem ſubjungi meritò poſſe arbitratus ſum, ob eam, quam habet, cum prioris Tractatûs argumento, analogiam. Licèt autem ad Operis* BOERHAAVIANI *præſtantiam non accedat, neque ratiocinia, in eo reperienda, ita firmo ſtare omnia talo videantur, ut emunctioribus quibuſque Lectoribus planè arridere poſſint, illud tamen res optimas ac perutiles non paucas, utut ipſum parvæ ſit molis, continere*

nemo negaverit. Quin etiam « iste » Tractatulus (*inquit* AUCTOR *in* » Epistola Nuncupatoria) *quantùmvis mancus, mutilusque videatur, compendiosioris certè* Botanicæ *non contemnendum fortè* » *rudimentum est.* » *Editus fuit, primâ vice, Londini, ann. 1685.* in-12°. *unà cum* Observationibus de Variatione & Varietate Pulsûs, *simulque dicatus celeberrimo* ROBERTO BOYLE, *Auctoris Conterraneo. Porrò cùm, distractis jamdudùm omnibus exemplaribus, istud Opusculum vix uspiam in Gallia prostaret, idcircò gratum equidem tibi me facturum non dubitavi, novam illius Editionem præbendo: hac igitur jam fruere, & vale.*





AUTHOR LECTORI.

QUI Philoſophicam *Sapidorum* Corporum naturam propiùs intueri voluerit, ei author ſum, ut celeberrimum ubique Philoſophum ROB. BOYLEUM conſulat, ibi maximè, ubi de Mechanica diverſarum Qualitatum origine, ac *Saporum* ſpeciatim, ingenioſiſſimè, ſuo more, agit. Quod enim ad me attinet, Medici tantùm, non Philoſophi, hîc mihi partes aſſumpſi, quum de *Sapidis*, hoc eſt, *Acerbo*, *Auſtero*, *Acido*, *Pingui*, *Dulci*, *Salſo*, *Acri*, *Amaro*, ipſoque *Inſipido*, quod etiam ſapimus, non ut Philoſophus, quod tamen, aliquâ ſucceſsûs ſpe, tentare mihi fortè licuiſſet, ſed ut Medicus ſolummodò diſſerere decreverim. Quam mihi Provinciam eò lu-

bentiùs imposui, quòd non modò novam omninò (nî mea me fallit opinio) Artem Orbi Erudito proponam; at cujus etiam objectum, vix ipsis quorum maximè interest, aut paucissimis certè Medicis, sit notum: in quosdam enim, hac ipsa in Civitate, incidi, qui quid *Acerbum*, aut *Austerum* foret, vel omninò nescirent, vel turpiter confunderent: quin etiam cum quodam, alicujus etiam nominis, certamen mihi haud ita pridem non leve fuit, qui *Sapidum* omne, aut Acre, aut Amarum, aut Dulce esse sat ineptè contenderet. Quare Facultati Medicinæ *Londinensi*, quæ totâ jam Europâ famam sibi peperit, pergratum quid facturum me existimavi, si quædam publici facerem juris, quæ nonnullis etiam ejusdem Sociis non inutilia, ac scitu etiam planè necessaria esse possent. Cæterùm, ut instituti mei ratio-

nem faciliùs capias, meminiſſe te oportebit, quàm multa multi, & quàm multis, de Plantarum & Medicamentorum Viribus ſcripſerint, majore ſanè Scientiæ ſuæ oſtentatione, quàm Humani Generis emolumento. Quis enim Plantarum, quarum obvius ubique Catalogus, vel virtutes, vel nomina ipſa memoriæ imprimat omnia? Quàm operoſi prætereà laboris creſcentes in agris hortiſque Herbas, vel de facie, ut aiunt, noſſe, niſi à teneris quis unguiculis cum iiſdem verſatus fuerit! Quibus ut incommodis iretur obviàm, rationem mecum ipſe inire cœpi. Memor itaque legiſſe me aliquando apud Authorem quendam antiquum, *Medicam* ineſſe Brutis Animantibus *Linguam*, quâ *pura ab impuris*, *pretioſum à vili*, *noxia ab innoxiis*, *ſalubria ab inſalubribus* ſecernerent, ſtatui, hôc ipsô planè modô, comparari poſſe quod

ſollicitus quærebam; atque non proprium illud eſſe Brutorum privilegium, ſed & Hominibus quòque ſagacioribus eò uſque conceſſum, ut labore aliquo, experientiâque frequenti id acquirere poſſent, quod expertia rationis Animalia tanquàm munus à Natura acceperunt. Imò longè potior mihi videbatur Hominum conditio, qui ex diſtinctis rerum *Saporibus* diſtinctas earumdem virtutes, Ratiocinationis (quâ Bruta fortè carent) beneficiô, inferre poſſunt: quanquàm, quam ipſos Artem doceo, ea non Rationis, quæ ſæpe fallit, ſed Senſûs, qui rariſſimè, opus ſit, ejuſque Senſûs, Guſtûs, inquam, qui tenaciſſimas nobis imprimit rerum ſpecies. Sed, ne te diutiùs morer, BENEVOLE LECTOR, Artem hîc tibi propono, quæ ſit breviſſimum ad Medicinam Practicam, Materiemque Medicam ubique adinvenien-

dam, compendium. Hactenùs enim non nisi summo labore, vel consultis Authoribus, vel propriâ ipse fortè experientiâ, medicas paucarum Plantarum vires deprehendisti: hoc jam instructus artificio, ubicumque locornm sis, quamvis Plantarum nomina non nôris, de propriis earum affectionibus ac viribus, nî fueris insipidi omninò Palati, ex solo Gustu pronunciare tutò poteris. Quam autem methodum infrà servârim, nunc paucis habe.

Sapidorum primùm Corporum, hoc est, *Acerborum*, *Austerorum*, *Acidorum*, *Salsorum*, *Acrium*, *Amarorum*, *Pinguium*, *Dulcium*, atque etiam *Insipidorum*, cùm ea quòque Gustu percipiamus, medicas facultates indico; tum quî potissimùm ex Gustu unumquodque singillatim *Sapidum* discernere possis (quâ potissimùm in re, tota hujus Artis

energia poſita videtur) indiciis haud obſcuris commonſtro. Sed, ut quâ ipſe induſtriâ, hanc mihi Artem comparârim, ingenuè tibi, publici ſtudiô boni, aperiam, ſelegi mihi ex quavis *Sapidorum* ſpecie unum aliquod, &, quàm maximè potui, ſincerum; quale eſt ex *Acidis* Olus Sylveſtre, ſive Oxylapathum, ex *Acerbis* Meſpilum, ex *Auſteris* Malum Cotoneum, ex *Dulcibus* Muſtum dulcibus ex Uvis expreſſum, ex *Pinguibus* Seſamum, ex *Amaris* Cucumerem Aſininum, ex *Salſis* Salem, ex *Acribus* Allium, ex *Inſipidis* Cucurbitam: quibus omnibus alternatim Palatum tamdiù exercui, ut non ſimplices modò ſingulis in rebus *Sapores*, ſed & conjunctos quòque, ex priorum notitia, facili negotiô diſtinguere poſſem, obſervatis ſcilicet attentiùs, quas ſingula *Sapida* Linguæ imprimerent, affectionibus. Totum itaque myſte-

rium paucis tibi ſine invidia revelavi: utere, & vale, acceptique memor beneficii vive.

At Inſcriptionis ratio penè mihi exciderat, quanquàm ex ſe ipſa ſatis pateat. Artem igitur hanc, *Novam Medicinæ, tum Speculativæ, tum Practicæ, Clavim* inſcripſi: *Practicæ* quidem, quòd ad eruenda è divite Naturæ penu omnis generis Remedia aditum aperiat: *Speculativæ* verò, quatenùs non certè circa Medicinæ ſubjectum, quod Corpus Humanum eſt, ſed circa objectum ejuſdem ſaltem latiùs ſumptum, Medicas ſcilicet rerum Virtutes occupatur tota: *Novam* denique dixi, quòd nullum ejuſdem, apud Authorem ullum, vel leve repererim veſtigium, quanquàm de *Saporibus* non pauci nec paucis egêre. Plura hîc non addam, ut tuo pariter & meo labori parcam; fruere igitur, iterùmque vale.

ubi tamen poſtremùm te monuero, nullas *Sapidis* Corporibus adſcriptas eſſe à me virtutes, quas præſtantiſſimorum Medicorum, ac GALENI præſertim, ubi de *Simplicium Medicamentorum Facultatibus*, non confirmet Authoritas, cui quotidiana, ut Medici nôrunt, experientia ſuffragatur.





NOVA MEDICINÆ, TUM SPECULATIVÆ, TUM PRACTICÆ, CLAVIS;

SIVE ARS

Explorandi Medicas Plantarum, ac Corporum quorumcunque, Facultates ex ſolo *Sapore*.

PROPOSITIO PRIMA.

Medicam Acerborum *Corporum naturam exponere.*



QUÆ Medica *Acerbis* Corporibus virtus inſit, multiplici dudùm experientiâ patuit: cùm enim *Acerbum* omne refrigeret, exſiccetque, vi illud adſtringendi pollere vel maximâ

quis inficias eat? Quod tamen ne quis gratìs à me dictum putet, meminerit is velim, quæ nativæ propriæque Frigoris dotes fuerint: annon enim Frigus & omne Frigidum contrahit, condensat, obvia colligat? Quæ pariter, *Acerbum*, omnia præstat. Frigidum itaque est: ubi autem Frigiditatem deposuit, ut in Fructibus jam maturis, *Acerbitatem* quòque exuit. Sed & terreæ prorsùs asperæque indolis est: hinc fit ut humorem degluttiat, ac siccitatem inducat, nec eâ Palatum celeritate, quâ Acidum, Acre-ve solet, penetret: terrenæ siquidem quicquid substantiæ, crassæ quòque, spissæque est; suas proinde vires in superficiem potiùs Organi, quàm ipsam in profunditatem exerit, ipsâ scilicet corpusculorum crassitie, ne altiùs subintret, cohibente: Frigiditas etiam à profundiore in Linguam impressione prohibet. Ex dictis, vel me tacente, sat innotescit, vim quòque repellendi *Acerbis* inesse vel maximam, imò nihil existere fortassis in rerum natura, quod fortiùs intrò repellat. Dum tamen inconspectos Corporis meatus occludunt, suam ipsorum virtutem à Corpore excludunt: hâc autem meatuum occlusione contingit, ut interiùs ipsa sese intro-

mittere, viresque suas in profundiores Corporis partes exerere nequeant: quare Medicis author sum, ut si quid ex *Acerbis* Pharmacis commodi ægris procurare velint, ea acrioribus, subtilioribusque acuant; hæc enim illis viam aperient, atque in intimum Corpus quasi manu ducent: viscosæ siquidem tenacisque naturæ cùm sint, ipsa per se nec apertioni, nec ruptioni, nec corrosioni favent; quin contrà his validè resistunt: ut igitur ad remotiores Corporis partes penetrent, aditus primùm, subtiliorum ope, patefaciendus; quibus debilis alioquin eorum actio acuatur, sive ad roborandum, sive ad divisa conglutinanda.

Hîc autem loci an *Acerba* Stomacho amica sint, nec ne, non abs re inquiri potest? Ex iis enim quæ hactenùs diximus, non immeritò quis collegerit, debiliori Stomacho vim, stypticâ suâ adstringendique virtute, conferre posse non mediocrem: observatum tamen à te velim, ea tantùm *Acerba* Ventriculo favere, quæ mediæ sunt stypticitatis, temperatæque; qualia sunt Pyra maturitatem plenam assecuta, Rosæ, atque id genus sexcenta: ad hanc autem Classem cùm non existimem *Acerba* propriè di-

cta pertinere, ea nonnisi concocta tutò interiùs adhiberi queunt; concoctione enim crassa eorum substantia tenuior redditur, aptiorque quæ ulteriùs in Corporis nutrimentum concoquatur.

PROPOSITIO II.

Acerbum *Gustu explorare.*

TRibus maximè, *Acerbum* omne discernitur, desiccatione, contractione, exasperatione: Linguam enim validissimè quasi exsiccat, contrahit, atque exasperat; quod Pyrorum Sylvestrium, ac Cornorum, maximè esu experieris. His itaque Linguæ affectionibus si te dignoscendis assuefeceris, nullô penè negotiô *Acerbitatem* ab Austeritate, Aciditate, Amarore, Salsedine, Dulcedine, aliisque, siqui adhuc supersint, Saporibus distingues. Cuicumque, seu simplici, seu composito, corpori Saporem hunc inesse, aut prædominari cognoveris (ut facillimè, modô mox dictô, deprehendere poteris) de virtutibus ejusdem medicis, ex priore PROPOSITIONE, erroris omnis securus pronunciabis. *Acerba* autem sunt *Pyra Sylvestria, immatura,*

immatura, *Corna*, *Meſpila*, *Acacia*, *fructus Arbuti*, *Ilicis*, *Fagi*, &c.

PROPOSITIO III.

Medicam Corporis Auſteri *naturam exponere.*

CORpora quà *Auſtera*, ſolo intenſionis gradu ab *Acerbis* diſtant: intenſius autem *Acerbum* eſt, *Auſterum* remiſſius; ac proinde quæ de adſtringendi facultate Corporibus *Acerbis* inſitâ diximus, *Auſteris*, eâdem ſervatâ proportione, applicabimus: vehemens quidem adſtringendi vis in illis, in his mediocris tantùm reperitur; quòd non adeò glutinantis ſint viſcoſæque indolis: licèt autem minimè tenuia, non tamen craſſæ adeò terreæque ſubſtantiæ ſunt. Refrigerant denique, exſiccantque, *Acerborum* inſtar: diſcrimen, ut dixi, in gradu tantùm ſitum eſt. Palato autem longè jucundiora ſunt; neque enim ſine voluptate quadam Mala Punica, aut Cotonea, comedimus: *Acerba* verò, ſi ſanè conſtituti ſumus, reſpuimus: dixi, ſi ſanè conſtituti ſumus; quibuſcumque ſiquidem perverſa eſt conſtitutio, his

interdùm gratissimus Acerborum Acidorumque usus. Non tamen *Austera* eo sensu intelligi velim quasi grata Palato, quòd sola, sine Aciditate comite, aut jucundâ quâvis aliâ qualitate, placeat *Austeritas*; id enim quotidianæ experientiæ repugnat. Amarities siquidem *Austeritati*, in Aloë & Absinthio associata, illa mero Amaro ingratiora reddit. At Dulcedo *Austeritati* juncta, corpus reddit Palato longè gratius eo, quod solummodò Dulce est; ut patet in Fructibus nimiùm maturis: ipsa enim *Austeritas* facit, ut tùm Amaritudo, tùm Dulcedo altiùs à Lingua imbibantur, diuturnioremque isthîc moram trahant: unde major vel voluptas, vel fastidium oritur.

PROPOSITIO IV.

Austerum *Gustu explorare.*

A*usterum* iisdem planè indiciis, quibus *Acerbum*, innotescit: Linguam enim exsiccat, contrahit, exasperat; sed longè hæc remissiùs omnia præstat. Quicquid igitur Ori admoveris, à quo Lingua desiccata, contracta, atque ex-

aſperata, ſed leniter, fuerit, id erit, dubio procul, *Auſterum*; cujus facultates medicas mox tibi indicavi. *Auſtera* porrò ſunt *Mala Cotonea*, *Olivæ*, *Sorba*, &c.

PROPOSITIO V.

Medicam Acidorum *naturam exponere.*

UT, quoties ſpiſſus *Acerbis* Corporibus humor accidit, *Auſterum* toties generatur, quòd aquea illa denſaque humiditas *Acerbitatem* ipſam retundat; ita pariter *Aciditas* orietur tenui, *Acerbum* ad Corpus, humore accedente; Corpuſque, quod *Acerbum* priùs fuerat, jam, à ſubtiliore humiditate, *Acidum* evadet: ſic Fructus duræ primùm ac ligneæ quaſi naturæ, *Acerbi* copioſo poſteà Humoris affluxu, omninò, ut conſtat experientiâ, aceſcunt. Sed *Acidum* quòque non humoris tantùm ſuperabundantis copia, ſed & ejuſdem corruptio generat: annon enim & Lac diutiùs repoſitum, & Vina in Cellariis aliquando aceſcunt, ſtatim atque corrumpi ac mutari incipiunt, ita ut primus ad corruptionem gradus *Aciditas* eſſe videatur?

Quod enim terreum, aëreumque, corruptioni non adeò obnoxium eſt; ſecùs verò quod Aqueum, nî coctione ita domitum fuerit, ut in nativum ac genuinum ſuccum converti poſſit. Quæ idcircò omnia dixi, ut medicam *Acidi* vim indicarem: frigidæ enim eſſe tenuiſque naturæ, ex dictis ſatis ſuperque conſtat. Quem igitur Succum, aut Plantam guſtui merè *Acidam*, ex indicio inferiùs tradendo, deprehenderis, eâdem frigidos omnes Affectus in pejus, calidos verò in melius degenerare comperies: quocircà ad temperandos Renum Ardores, ad minuendam Hypochondriorum Caliditatem, ad diſcutienda Eryſipelata, aut alias quaſcunque ejuſmodi Affectiones, promptius nullum, quàm quæ, vel prædominiô, vel merè *Acida* ſunt (ut Olus Sylveſtre, ſeu Oxylapathum) remedium invenies. Quorum refrigerandi facultatem licèt diminuat nonnihil juncta in ſuccis Uvæ, Rubi, Mori, acrimonia, non tamen tollit, ſed tardiorem tantùm efficit. *Acidorum* autem frigiditas longè diſcrepat ab *Acerbi*, & *Auſteri* frigiditate: hæc enim craſſioribus conſtat corpuſculis, illa tenuioribus. *Acida* ſiquidem non extimis tantùm partibus ſui ſenſum imprimunt; ſed altiſſimè in


ima penetrant: nemo proinde *Acidum* summè frigidum existimârit: quæ enim ejusmodi sunt, nihil prorsùs *Aciditatis* gustanti exhibent: summam autem *Acidorum* frigiditatem ipsa partium tenuitas prohibet. At, inquies, si *Acida*, ut insinuavimus, frigida sunt, *Acidos* ergo Ciborum Ructus non frigida, sed calida sedabunt: docuit tamen sæpe, docetque quotidie experientia, calidorum usu, ejusmodi Ructibus obnoxios pejus se habere; frigidorum verò, ut Oxycrati, Alimentorum coctu difficilium, Piscium, Carnium, & Pedum Suillorum elixorum, sanari, neque *Acidum* ampliùs eructare. Huic difficultati, in speciem non levi, ut faciam satis, animadverti diligenter oportebit, licèt *Acidum* omne victoriam Frigoris interni, in re quæ *acescit*, consequatur, fieri tamen interdum posse, ut Calor ipse *Aciditatis*, adeòque & Frigiditatis, ex accidenti causa sit: quod tum contingit, quum calorem minorem major foràs evocat: quâ de causâ Vina debiliora æstivo æstu *acescunt*; quòd nimirùm hic calor debilem Vini calorem facilè educat: unde, cùm Vinum nativo jam calore destituatur, quid mirum si jam *acescat*, & corrumpi incipiat? Ructus itaque *Acidi* à

frigidis ſæpe reprimi poterunt : licèt enim omnis *Aciditas* ab interno ſemper frigore fluat, contingit tamen, ut à cauſa calida aliquando, per accidens, oriatur; quum ſcilicet calore fortiore, debilior rei *aceſcentis* calor evocatur. Si igitur frigidis calorem hunc nimium temperes, Eructatio *Acida* ceſſabit: ſublatâ enim causâ, tollitur effectus. Ut autem quibuſdam inſitus à natura *Acor*, ut Pomis nonnullis, & quibuſdam, ut Vino aceſcenti, præter naturam competit; ita nonnulla refrigerare nata ſunt, alia ex accidente tantùm, ut Vinum, ſi aceſcat. Quæcumque tamen *Acida* ſunt, ſive ſecundùm, ſive præter naturam, incidendi, attenuandi, dividendi, farctu liberandi, aperiendi, purgandique vi, citra calefactionem, prædita ſunt; imò Calorem ipſum extinguunt; Corpus detergunt, denſant, aſperant; Acre obtundunt; Dulce, Inſipidumque exacuunt: ſed aliâ non levis momenti virtute pollent; appetentiam ſcilicet Ciborum faſtidienti procurant. Famelicos enim *Acida* Pituita Homines reddit, ut *Dulcis* Somniculoſos, *Salſaque* Siticuloſos efficit: quod GALENUS inſinuat, quum Caninam Appetentiam *Acido* Humori, Ventriculum infeſtanti, adſcribit.

PROPOSITIO VI.

Acidum *Gustu explorare.*

AMarum, Acre, Salſum, *Acidumque* cùm Linguam rodant, Corroſio nota characteriſtica non erit, vi cujus, *Acidum* ab Acri, Salſo, aut Amaro diſcernamus: hanc igitur regulam, quæ neminem unquam fallat, Lectori propono, uſu experientiâque frequenti familiarem facilè futuram: Quod ſine omnis omninò Caliditatis ſenſu, Linguam mordet, corrodit-ve, id merum *Acidum* audacter pronuncia: Quod verò mordet quidem, ſed cum aliquo Caliditatis ſenſu, *Aciditas* in eo dominium obtinebit, eritque temperatius Refrigerans, quàm *Acidum* merum. *Acidi* ſunt *Fructus immaturi*, ſed non ſincerè; *Olus Sylveſtre* merum eſt *Acidum.*



PROPOSITIO VII.

Medicam Dulcium *Corporum naturam exponere.*

DUplici quidpiam ſenſu *medicâ* pollere *vi* dici poteſt; altero quidem ſtricto, altero latiore: Poſteriore ſenſu omne Alimentum, Medicamentum erit; præterquàm enim quòd Alimenta Morbos præoccupent, debilitati, languorique noſtro medentur: Priore verò, ea tantùm id nominis ſortiuntur, quæ quod alteratum fuerat reſtaurant, atque priſtino ſtatui reſtituunt. Utroque modo *Dulcia* nobis prodeſſe poſſunt. Quoniam præcipua nutriendi vis in *Dulcibus* Cibis ſita eſt, hos ſagax Natura Guſtui gratos jucundoſque idcircò effecit, ut, hâc velut eſcâ, & appeterentur avidiùs, & à Ventriculo allicerentur; cujus munus eſt Viſceribus & Venis ea ſuppeditare, quæ convenienti ipſis alimento futura ſint. Cur autem *Dulcia* maximè nutriant, ac ſuaviſſimè Palatum afficiant, ſi quis ſcire velit, is hujus rei rationem ex ipſa *Dulcium* natura repetere poterit; quorum caliditas in ſubſtantia non admodùm

modùm craſsâ mediocris eſt: quæ enim nimiùm frigida, aut ſummo in gradu calida, aut ſubſtantiæ nimiùm craſſæ, vix in ſubſtantiam noſtram converti poſſunt. Eandem ob cauſam, delectationem pariunt maximam: moderata enim caliditas Linguæ meatus, citra violentiam, aperit, diuturnioreque in iis morâ ſenſui noſtro gratiſſimè abblanditur. Quid quòd quandam omni nutrienti ineſſe *Dulcedinem* oporteat: hinc ſummâ Acerbitate, Aciditate, Amarore, ut Fructus recentes, Acetum, Aloë, &c. ìmbuta, nutriendi facultate carent, quamvis medendi vi plurimùm polleant. Nec pauca è *Dulcium* quòque genere reperies, quæ ſimul & Alimenta ſint, & Medicamenta; Alimenta quidem, quòd deperditam, vi caloris interni, ſubſtantiam inſtaurent, reparentque; Medicamenta verò, quod mutatam in pejus, in melius reducant.

Rerum autem *Dulcium* temperiem ſi propiùs intueri placuerit, ipſam à Calore, ut ſuperiùs inſinuabam, proficiſci *Dulcedinem* concludemus. Annon enim, exempli gratiâ, ipſa Fructibus *Dulcedinem* maturitas conciliat? Quæ cùm à Calore oriatur, ab eodem quòque *Dulcedo* omnis ortum ducet. Erit autem hic

Calor, vel rebus *Dulcibus innatus*, ut iis Fructibus qui in Arbore maturescunt; vel adscititius, quo *dulcescùnt* paulatim decidui Fructus. Cæterùm, moderatus *Dulcium* Calor est, nostroque proinde temperamento, quod humidum in mediocri, calidumque est, eo nomine conformior. At peculiaris licèt *Dulcibus* concoquendi, laxandi, rarefaciendi indita virtus à natura sit, (Ventriculum enim emolliunt, Thoraci, Pulmonique non levi subsidio sunt, emaciatum Corpus restaurant, fœcunditatem, Semenque tribuunt) tarda tamen pigraque est eorum operatio. Si quid autem iis vitii insit, Aperientibus corrigatur necesse est: Jecur enim & Lienem plerùmque obstruunt; quod ex harum partium tumore, à nimio eorum usu, non semel patuit: cujus rei ratio unicuique obvia est, quòd eorum crassa sit substantia, orta scilicet ab ipsa concoctionis crassitie; ut omittam ipsas viarum, quas permeant, angustias, Meseraïcas scilicet, Venasque ad Jecoris gibbas progressas, in quas spissior substantia facilè impingit. Adde quòd, cùm *Dulcia* naturæ nostræ mirè congruant, avidiùs à Ventriculo, tanquàm quid ipsi amicum, gratumque, attrahuntur, ac sæpe prius-

quàm omninò concocta fuerint; unde Jecoris, Lienisque obstructio oritur: quæ tamen ab iis tantùm *Dulcibus* quæ crassiora sunt, metuenda est; non verò ab iis quæ tenuia magis, subtilioraque existunt. *Dulcia* denique (quod hîc omisisse piaculum fuerit) Ventriculus frigidior mutat in Acorem, calidior verò in Bilem; ob magnam partium aërearum, quas continent, copiam, quæ, facili transmutatione, Bilis fiunt: Ut enim Aër in Ignem, ob mutuam naturarum affinitatem, facilè abit, ita pariter quidquid Aëreis abundat partibus, aut Ignis, levi metamorphosi, fit, aut Igneum, cujusmodi ferè Bilis est: Acria tamen, Amara, atque Salsa, citiùs adhuc *Dulcibus*, quia calidiora, in Bilem abeunt: de quibus illud tantùm hîc loci superaddam, noxiam eorum vim *Acidis*, ut Acero, Malis Punicis, Syrupo Acetoso, Cotoneorum Succis, aliisque id genus, tutò ac certò emendari.



PROPOSITIO VIII.

Dulcia *Gustu explorare.*

S*Apidorum* nullum faciliùs *Dulci* dignoſcitur: quicquid enim manifeſtâ cum voluptate Linguam velutì inungit, illud omne è *Dulcium* eſſe tribu omnes nôrunt. *Muſtum* itaque dulcibus Uvis expreſſum, atque ad dimidias coctum, *Melle*, quod acrimoniam habet ſibi adjunctam, *dulcius* eſt: *Triticum* pariter *dulce*, *Liquiritia*, *Hordeum*, &c.

PROPOSITIO IX.

Medicam Pinguium *Corporum naturam exponere.*

QUicquid Corpori noſtro idoneum alendo eſt, hoc à GALENO, aut *Dulce* pronunciatur, aut *Pingue*; quod à pleriſque licèt frigidum exiſtimetur, in eam tamen ſententiam adduci nunquam potui: calidum enim,ut humidum haud dubiè eſt; non modò quia, denſitate ſuâ, caloris effugio obſtat, ſed quia

à concoctione quæ à calore existit, generatur: quemadmodùm igitur sicca in cineres redacta, nonnullas Ignis in se particulas adhuc retinent, sic concocta humida, Caloris, absolutâ concoctione, nonnihil sibi reservant: huc accedit, quòd reliquis innatet humoribus *Pingue*, acquisitâ, scilicet à residuo illo calore, levitate. At, inquies, quî fieri potest, ut *Pingue* non frigidum sit, sed calidum & leve, cùm, ut patet, Carni ipsi nihil densitate cedat? Jam densitas frigiditatis notum certumque indicium semper fuit: Frigus enim contrahit, constipat, substantiamque ægrè mobilem reddit: ut Calor contrà liquefacit, diffundit, coquit, rarefacit. Hanc quivis Objectionem facilè diluerit, qui voluerit animadvertere, coctione omnia cogi condensarique: *Pingue* itaque si densum sit, hanc non ex natura sua densitatem, sed ex concoctione acquisivit; unde aërei, & terrestris quidpiam in se continere, & leve, & densum esse poterit: quanquàm *Pinguium* quòque quædam tenuia maximè sint; ut Oleum, quod lucidum est, & purum, ac facilè intimèque sese in Corpus nostrum insinuat.

An autem *Pingue* Dulci calidius sit, nec ne, dubitari meritò potest, ac in-

quiri? Cui Quæstioni ut paucis faciam satis, annotanda est duplex *Pinguedinis* causa; altera, Aqueum quoddam à nativo calore elaboratum; altera est Dulce ipsum à quo, ulteriore concoctione, efficitur. *Pingue* itaque à posteriore causa natum, haud dubiè Dulci calidius est; frigidius verò eâdem erit, quoties à priore generabitur. Cæterùm, moderata admodùm, ac quasi tepida, *Pinguium* Corporum caliditas est, ut quæ vix primum ultra calefactionis gradum assurgat. Quod tamen de mero tantùm sinceroque *Pingui* intelligendum videtur: quoddam enim, ut Hircinum, & Taurinum, igneâ vi, ab acrimonia, abundat; quod propterea suppurationi inidoneum est: Poros siquidem, ad præcludendum halitibus effugium, non obstruit; à nimiùm enim Detergentibus, aut Calefacientibus, Exsiccatio quidem, at nulla Puris commotio oritur: hæc enim, quoniam obstructiones tollunt, calori aditum aperiunt. Quæ autem *Pinguedo* omni caret acrimoniâ, emplasticâ vi pollet; ut Adeps Suilla recens: vetusta enim calidior est, digeritque. Quod de Adipe Suillâ, de cæterâ quòque elotâ dictum puta. Ex quibus omnibus colligere licet, *Pinguia* humefa-

cere, emollire, laxare, obſtruere: imbecilliter tamen hæc omnia præſtant, ob tenuem ſcilicet caliditatem. Idcircò autem quòd Ventris Fluorem procurent, Ventriculo noxia eſſe liquet; ſola enim Adſtringentia eum defendunt, ac roborant: quæ autem eundem extendunt, laxant, emolliunt, eadem quòque debiliorem reddunt. Quibus igitur adſtrictior Alvus eſt, his *Pinguia* proderunt; Lientericis verò, aut Cephalicis non levi incommodo erunt.

PROPOSITIO X.

Pinguia *quævis Guſtu explorare.*

EAdem ferè ratione *Pinguia* explorabis, quâ *Dulcia* priùs explorare didiciſti. Quæ enim Linguam velutì inungunt, implentque, at abſque manifeſto voluptatis ſenſu, hæc omnia, quæcumque demùm fuerint, *Pinguia* eſſe certò noveris. *Pinguis* autem exactè Saporis ſunt, & *fructus* & *ſucci Oleæ caducæ*; ut & omnia ex quibus Oleum conficitur, qualia ſunt *Seſama*, *Amygdala*, *Nuces*, &c.

PROPOSITIO XI.

Medicam Corporum Salſorum *naturam exponere.*

DE Philoſophica *Salſorum* Corporum natura hîc agere non ſtatui: ſive enim *Salſedo* ex partibus Aquæ, quas Sol adurit, & tenuioribus admixtis, ſive ex reſolutione Amari (ut vult AVICENNA) in inſipido Aqueo, ſive ex alia quacunque demùm cauſa oriatur, ad propoſitum mihi ſcopum parùm refert; nos enim hîc non tàm quid ſit Corpus quà *Salſum*, quàm quid poſſit, inquirimus: ut tamen hoc ipſum intelligamus, ipſius etiam naturam obiter intueri oportebit. *Salſum* igitur è Terreni Aqueique conjugio naſcitur; quod ex eo, quo generatur, modo apertè demonſtratur. Quoties enim aqueum humorem, terrenis permixtum particulis, ignis, calor-ve, externus concoxerit, toties Sapor *Salſus* exiſtit: unde duplex *Salſorum* virtus, quarum alterâ lavant, detergunt, alterâ roborant, adſtringunt; ab aquea enim parte prius habent, poſterius à terreſtri:

prævalet tamen adſtringens *Salſorum* vis, quâ, ab omni corruptione, corpora tuentur, omni ſcilicet humidô abſumptô, reſiduôque, ſubſtantiæ ſolidioris adſtrictione, contractô; putreſcit enim id omne, & ſolum, cujus ſubſtantia, excrementitio quodam humore diſſoluta, dilabitur.

PROPOSITIO XII.

Salſa *quævis Corpora Guſtu explorare.*

A Quibus Lingua nec contractionem, nec conſtipationem patitur, ſed potiùs quaſi detergitur, abluiturque, hæc omnia ſunt *Salſa*; quæ facilè ex Sale ipſo explorabis.

PROPOSITIO XIII.

Medicam Amarorum *Corporum naturam exponere.*

A *Marum* inter, *Salſumque*, quamvis affinitas non exigua ſit, cùm ambo terreſtria ſint, & calida, conſpi-

cuum tamen diſcrimen intercedit: quòd ſcilicet validiore longè calore *Amarum* elaboratum ſit; unde multò ſubtilius *Salsô* evadit: quo autem in gradu *Amari* caliditas conſiſtat, adhuc ſub judice lis eſt; alii in tertio, alii in ſecundo locant. Quodcunque igitur *Amarum* eſt, hoc & calidum quòque erit. Id tamen quiſpiam à veritate alienum exiſtimârit; quòd Cichoreum ſit amarum ſimul & frigidum, ſimiliter & Roſa, aliaque non pauca: quæ tamen objectio facilè diluitur, ſi dixerimus *Amara* quidem omnia, non minùs quàm Dulcia, & Acria; calidioris eſſe naturæ; fieri tamen poſſe interdùm, ut alterius qualitatis, purà frigiditatis, prædominiô, in proprium Calefacientium actum erumpere nequeant.

Hinc, maximè omnium, Vermibus *Amara* reſiſtunt, ut experientia penè quotidiana docet, & ratione manifeſtâ conſtat. Vermes enim in humidis præcipuè Corporibus naſci ſolent: igneæ autem eſt ſiccæque ſubſtantiæ *Amarum*; unde, ſi ſincerum fuerit, tàm inidoneum cuicunque Animali alimentum futurum eſt, quàm cinis, pulvis, favilla, aut calx. Vermium proinde quorumcunque, ex humido natorum, certiſſimum exci-


dium eſt. Medicamentum itaque tantùm reputatur, non Alimentum; quòd merum ſiccum abſque humido non alat, quale *Amarum* omne eſt; ſive oriatur ex Dulci excalefacto, ut contingit aliquando; ſive ex Salſo, humiditate, ulteriore elaboratione, abſumptâ. *Amarum* itaque, *terreſtre Subtile*, non ineptè, cum GALENO, dixeris, ſi præſertim Acerbis, aut Auſteris collatum fuerit; at *Craſſum terreſtre*, ſi comparetur Acribus: *Amarum* ſiquidem extimam tantùm Linguæ partem rodit; Acre verò, utpotè ſubtilius, profundiùs abſtergit. Expurgant tamen *Amara*, ſive exteriùs adhibita, ſive interiùs aſſumpta, obviamque in Venis craſſitiem incidunt. Peculiari pariter Menſium movendorum virtute donata ſunt. Pituitam ex Pectore Pulmoneque potenter educunt. Sanguinem tamen ſpuentibus, quòd incidant dividantque, valdè nocent; ejuſmodi enim, adſtringentibus, tenacibuſque plurimùm egent. Ut in intimas Corporis partes diſtribuantur, tenuiorum pariter calidorumque conſortium expoſcunt. Ut igitur, exteriùs adhibita, Ulcera mundant, Impetigines, Lentigines, cæteraſque Cutis Maculas ſtirpitùs delent; ita, interiùs aſſumpta, quæ craſſiora,

lentioraque, ſeu viſcoſa, incidunt, atque attenuant: quia autem Dulcedini, Putredinis matri, omninò contraria ſunt, idcircò Putredini adverſantur, corporaque diu à corruptione prohibent. Noveris tamen *Amara* quævis Ventriculo eſſe noxia; & ſi Abſinthium vulgò eidem credatur, & ſit, amicum, hoc non ab *Amaritudine*, ſed ab *adſtringendi* quâ pollet virtute, trahit.

PROPOSITIO XIV.

Amarum *Guſtu explorare.*

QUæcunque maximè Linguam detergunt, exaſperantque, ac quaſi corrodunt, hæc, ſive Plantas, ſive corpora quævis alia, *Amarorum* familiæ adſcribito: qualem ferè Linguæ affectionem reperies in *Cucumere Aſinino, Felleque.*



PROPOSITIO XV.

Medicam Acrium *Corporum naturam exponere.*

SApida inter Corpora, nulla *Acribus* calidiora. Nihil itaque his, utpotè quæ tenuissimæ sunt substantiæ, potentiùs aut incidit, aut resolvit. Unde Linguam urunt mordentque *Acria*, ut Piper, Pyrethrum, Nasturtium, Allium, Cepa, aliaque id genus plurima; quartum enim caliditatis gradum attigerunt: quæ tamen (quod fortè mirêre) tenera molliaque Viscera non erodunt; licèt duriorem longè Cutem exedant, exulcerentque: cujus rei ratio non alia afferri videtur posse, quàm quòd concoctione Ventriculi plurimùm alterentur; vel quòd non uni hæreant affixa parti, sed quoquoversùm ulteriùs diffluant; vel certè quia plerùmque Succis aliis, igneam acrimoniæ vim retundentibus, commixta sumuntur; vel denique quòd velocissima sit eorum concoctio, separatioque puri ab impuro, parte unâ, quæ conveniat, assimilatâ, parte alterâ, quæ supervacanea & *acris* fuerit, per

alvum, urinas, aut ſudorem, expulsâ. Humiditas tamen *Acribus* ſæpe non exigua ineſt, quâ fit, ut & Condimenti, & Cibi loco nobis eſſe queant: Allia enim, Cepaſque comedimus. Unde AVERROES huc reſpexiſſe non videtur, quum *Acria* dixit calida eſſe & ſicca: eorum enim plurima, humiditate quòque abundant; quod ex facili eorundem corruptione diſcimus: Piper enim longum, Zinziber, aliaque id genus innumera, niſi calore ignis, aut ſolis, probè exſiccata fuerint, facilè dilabuntur. Cæterùm, *Acria* Capiti Oculiſque omninò contraria ſunt; propterea quòd, nimio ſuo calore, vapores, tum Capiti, tum Oculis infeſtos attollant: quamlibet itaque Epilepſiæ ſpeciem mirè promovent. Iis quòque in quibus Bilis princicipatum obtinuit, plurimùm obſunt; ut proſunt iis ſolis, qui Succô Pituitosô, craſsô, lentôque abundant: reſolvunt enim, incidunt, aperiunt, ſiccant, emaciant, Medicamentiſque imbeciliter operantibus ſtimulos addunt.



PROPOSITIO XVI.

Acria *Gustu explorare.*

UT *Acida* ea diximus omnia, quæ Linguam dum mordicant, nullum prorsùs Caliditatis ſenſum eidem imprimunt; ita *Acria* hæc dicuntur, & ſunt, quæ magno Caliditatis ſenſu eandem mordent: qualia ſunt *Allia*, *Cepæ*, *Sinapi*, aliaque id genus plurima.

PROPOSITIO XVII.

Medicam Inſipidorum *Corporum naturam exponere.*

QUod peculiaris omnis expers eſt qualitatis, *Inſipidum* Corpus hîc voco; ſive quod neque Acerbum, neque Auſterum, neque Acidum, neque Amarum, neque Acre, neque Dulce, neque Pingue, neque Salſum. De *Inſipidis* autem hîc loquor, ad Palatum noſtrum comparatis: quædam enim Animalibus Brutis ſuavia ſunt, ut Paleæ Equis, quæ nos non afficiunt. Ut au-

tem *Insipida* omnia aquosa sunt, ita Alimentum subfrigidum, aqueum, crassumque ministrant. Cùm igitur humida sit, frigidaque eorum temperies, *Acribus*, *Acidis*, *Acerbis*, aut *Austeris* acui ea oportebit: si autem cruda fuerint, præterquàm quòd ingrata sunt, Stomachum plurimùm gravant, ac pondere quodam velut opprimunt; quæ nisi sursùm expultrix facultas per Os extruserit, paucos intra dies intereunt qui hæc copiosiùs deglutierint. Adde quòd Flatus moveant, Intestina lubrica reddant, obstruant, ac frigore suo condensent: *Acribus* tamen, *Calidisque* juncta, nec aliter, utilia esse possunt.

PROPOSITIO XVIII.

Insipidum *Gustu explorare.*

IN quocunque Corpore neque Acerbitatem, neque Austeritatem, neque Aciditatem, neque Amaritudinem, neque Acrimoniam, neque Dulcedinem, neque Pinguitudinem, neque Salsedinem deprehenderis, hoc *Insipidum* puta. De genere *Insipidorum* sunt *Terra*, & *Aqua*, *Cucumis*, *Cucurbita*, &c.

Ubi

Ubi itaque quas, commemorata ſuperiùs corpora, affectiones Linguæ imprimant, frequenti experientiâ, uſuque didiceris, eaſdem etiam eâdem in re conjunctas facilè diſcernes; ut in Uva immatura *Acerbitatem* ſimul & *Aciditatem*, in Aloë *vim adſtringendi* junctam *Amarori*, in Aceto *Aciditatem Acrimoniæ* ſociatam, &c. Quod ut faciliùs exequaris, ac, Linguâ judice, *Sapida* Saporeſque perfectè diſcernas, para tibi ex ſingulis Sapidis unum quodpiam; ut ex *Acidis*, Olus Sylveſtre, ſeu Oxylapathum; ex *Acerbis*, Meſpilum; ex *Auſteris*, Malum Cotoneum; ex *Dulcibus*, Muſtum è dulcibus Uvis expreſſum; ex *Pinguibus*, Seſamum; ex *Amaris*, Cucumerem Aſininum; ex *Salſis*, Salem; ex *Acribus*, Allium; ex *Inſipidis*, Cucurbitam: varioſque, hæc omnia ſæpiùs guſtando, *Sapores* ad amuſſim diſtingues; non ſeparatos modò, ſed & conjunctos; non in his ſolùm, ſed & in omnibus aliis corporibus, ſive ſimplicibus, ſive compoſitis.

FINIS.



INDEX PROPOSITIONUM

In hoc Opuſculo contentarum.

Finis Indicis Propositionum.





Approbatio Regii Censoris.

ILlustrissimi Regiorum Sigillorum Custodis jussu, Librum cui titulus est : *Hermanni Boerhaave Opera omnia*; accuratè perlegi, eumque dignissimum judicavi qui typis denuò mandetur. Datum Lutetiæ-Parisiorum, die sextâ Januarii, ann. 1729.

BURETTE.

PRIVILEGE DU ROY.

LOUIS, par la grace de Dieu, Roy de France & de Navarre : A nos amés & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maîtres des Requêtes ordinaires de notre Hôtel, Grand-Conseil, Prevôt de Paris, Baillifs, Sénéchaux, leurs Lieutenans Civils, & autres nos Justiciers qu'il appartiendra, SALUT. Notre bien amé GUILLAUME CAVELIER, Libraire à Paris, Adjoint de sa Communauté, Nous ayant fait remontrer qu'il souhaiteroit continuer à faire réimprimer & donner au Public plusieurs Ouvrages qui ont pour titre : *De Morbis Venereis Lib. 6. Auctore J. Astruc ; Hermanni Boerhaave, & J. Freind Opera ; Opérations de Chirurgie de Garengeot*, s'il Nous plaisoit lui ac-

corder nos Lettres de continuation de Privilege ſur ce néceſſaires, offrant pour cet effet de les faire réimprimer en bon papier & beaux caracteres, ſuivant la feuille imprimée & attachée ſous le contre-ſcel des Préſentes. A ces cauſes, voulant traiter favorablement ledit Expoſant, Nous lui avons permis & permettons, par ces Préſentes, de faire réimprimer leſdits Livres ci-deſſus ſpécifiés, en un ou pluſieurs volumes, conjointement ou ſéparément, & autant de fois que bon lui ſemblera, ſur papier & caracteres conformes à ladite feuille imprimée & attachée ſous notredit contre-ſcel, & de les vendre, faire vendre & debiter par tout notre Royaume, pendant le tems de dix années conſécutives, à compter du jour de la date deſdites Préſentes. Faiſons défenſes à toutes ſortes de perſonnes, de quelque qualité & condition qu'elles ſoient, d'en introduire d'impreſſion étrangere dans aucun lieu de notre obéiſſance; comme auſſi à tous Libraires, Imprimeurs & autres, d'imprimer, faire imprimer, vendre, faire vendre, débiter, ni contrefaire leſdits Livres ci-deſſus expoſés, en tout, ni en partie, ni d'en faire aucuns extraits, ſous quelque prétexte que ce ſoit, d'augmentation, correction, changement de titre, ou autrement, ſans la permiſſion expreſſe & par écrit dudit Expoſant, ou de ceux qui auront droit de lui; à peine de confiſcation des Exemplaires contrefaits, de trois mille livres d'amende contre chacun des contrevenans, dont un tiers à Nous, un tiers à l'Hôtel-Dieu de Paris, l'autre tiers audit Expoſant, & de tous dépens, dommages & intérêts.

A la charge que ces Présentes seront enregistrées tout au long sur le Registre de la Communauté des Libraires & Imprimeurs de Paris, dans trois mois de la date d'icelles; que l'impression de ces Livres sera faite dans notre Royaume, & non ailleurs; & que l'Impétrant se conformera en tout aux Réglemens de la Librairie, & notamment à celui du dixiéme Avril 1725. & qu'avant que de les exposer en vente, les Manuscrits ou Imprimés qui auront servi de copie à l'impression desd. Livres, serons remis, dans le même état où les Approbations y auront été données, ès mains de notre très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France, le Sieur Chauvelin; & qu'il en sera ensuite remis deux Exemplaires de chacun dans notre Bibliotheque publique, un dans celle de notre Château du Louvre, & un dans celle de notredit très-cher & féal Chevalier Garde des Sceaux de France, le Sieur Chauvelin; le tout à peine de nullité des Présentes. Du contenu desquelles vous mandons & enjoignons de faire jouir l'Exposant, ou ses ayans cause, pleinement & paisiblement, sans souffrir qu'il leur soit fait aucun trouble ou empêchement. Voulons que la copie desdites Présentes, qui sera imprimée tout au long au commencement ou à la fin desdits Livres, soit tenuë pour dûement signifiée; & qu'aux copies collationnées par l'un de nos amés & féaux Conseillers & Secretaires, foi soit ajoutée comme à l'original. Commandons au premier notre Huissier ou Sergent, de faire pour l'éxécution d'icelles tous actes requis & nécessaires, sans demander autre permission,

& nonobſtant clameur de Haro, Charte Normande, & Lettres à ce contraires: Car tel eſt notre plaiſir. Donné à Paris, le vingt-uniéme jour du mois de May, l'an de grace mil ſept cent trente-cinq, & de notre Regne le vingtiéme. Par le Roy en ſon Conſeil.

SAINSON.

Regiſtré ſur le Regiſtre IX. de la Chambre Royale des Libraires & Imprimeurs de Paris, n° 104 fol. 90. conformément aux anciens Réglemens, confirmés par celui du 28 Février 1723. A Paris le 23 May 1735.

G. MARTIN, *Syndic.*

ADMONITIO AD BIBLIOPEGUM.

PLagulæ quæ ſignatur A a a connexa ſunt ſex Folia denuò impreſſa, mendoſorum totidem Foliorum loco ſubſtituenda: Præterea unum additum eſt ad finem Plagulæ quæ ſignatur *f*, initiô Libri.

AVIS AU RELIEUR.

A *La demi-feuille* A a a *ſont joints ſix* Cartons, *qu'il faut avoir ſoin de mettre chacun à ſa place: Il y en a encore un à la fin de la* Signature *f*, *au commencement du Livre.*

Quelques autres Livres de Médecine, publiez par M. BOUDON, à *Paris*, chez GUILL. CAVELIER.

LEs Vertus Médicinales de l'Eau Commune, ou Recueil des meilleures Piéces qui ont été écrites sur cette matiere, &c. Nouv. Edition, revûë, corrigée, & augmentée de plusieurs Piéces. 1730. 2. vol. *in*-12°.

Anatomie Chirurgicale, ou *Description exacte des Parties du Corps Humain, avec des Remarques utiles aux Chirurgiens dans la Pratique de leur Art; publiée ci-devant par M.* J. PALFIN. Nouvelle Edition, revûë, corrigée & augmentée, accompagnée de Notes dans le premier Volume, & refonduë dans le second, &c. 1734. 2. vol. *in*-8°.

Abrégé de toute la Médecine Pratique, où l'on trouve les sentimens des plus habiles Médecins sur les Maladies, sur leurs Causes, & sur leurs Remèdes, &c. Traduit de l'Ouvrage de M. J. ALLEN, Médecin Anglois. Nouvelle Edition, revûë, corrigée, & augmentée de plus du double, &c. 1737. 6. vol. *in*-12°. chez CAVELIER, & HUART.

Traité des Maladies Vénériennes, où, après avoir expliqué l'origine, la propagation, & la communication de ces Maladies en général, on décrit la nature, les causes, & la curation de chacune en particulier Traduit du Latin de M. ASTRUC, par Mrs BOUDON, & JAULT. 1740. 3. vol. *in*-12°.

De l'Imprimerie de la Ve D'HOURY, ruë de la Harpe, au St Esprit.



